Katolik

Bibliothecæ Genovefensi
comparavit Eustachius
[illegible] — 1770.
Ex auctione.

VITÆ PRÆSULUM

Poloniæ
Magni Ducatus Lithvaniæ
Res præcipuæ
Illorum temporibus gestæ
Ad Annum MDCCLX.
Origo Ecclesiarum Cathedralium
Quatuor Libris
COMPREHENSÆ
Operâ
P. FRANCISCI RZEPNICKI
è Societate JESU.
Luci publicæ
Cum permissu Superiorum
PROPOSITÆ

TYPIS POSNANIENSIBUS
Clari Collegii Societatis JESU.
1762.

TOMUS SECUNDUS
Libros II. & III. comprehendit.

TEMPLO DEI ANIMATO (a) Illibatæ in Primo ſuo Conceptu Pretioſiſſimæ DEI PARENTI & VIRGINI MARIÆ Complacitô ſibi titulô Poloniarum REGINÆ (b) Religioſo Cultu DEDICATÆ

(a) *S. Gregor: Thaumat: de laud: Virg:*
(b) *Vide L. I. p. 259.*

PROTESTATIO AUTHORIS.

INſiſtendo Decreto SS. D. N. Urbani VIII. profiteor: non alio ſenſu, quidquid in his Libris refero in laudem alicujus, quod ſpeciem ſanctitatis aut miraculi habere videatur, accipi ab ullo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Beatorum Catalogo adſcripſit.

FRANCISCUS KOZMINSKI

Præpoſitus Provincialis Societatis JESU Per Majorem Poloniam.

CUm Opus, quod inſcribitur. *Vitæ Præſulum Poloniæ &c. Quatuor Libris comprehenſæ Authore P. Franciſco Rzepnicki S. J.* aliquot Ejusdem Societatis Theologi recognoverint & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi facta ab A. R. P. Noſtro LAURENTIO RICCI Societatis Noſtræ Præpoſito Generali facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem has Litteras manu mea firmatas & ſigillô munitas dedi Poſnaniæ anno 1761. die 16. Februarii.

FRANCISCUS KOZMINSKI S. J. mpp.

(L. S.)

THEODORUS
DUX
In Klewan & Zukow
CZARTORYSKI
DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ.
EPISCOPUS POSNANIENSIS
Et VARSAVIENSIS

OPus ſub titulo. *Vitæ Præſulum Poloniæ &c. Quatuor Libros comprehendens Anthore ARP. Franciſco Rzepnicki S J.* multiplici eruditione, & ſana doctrina facundum, clare facta Antiſtitum Regni ex antiquioribus authoribus collecta illuſtrans, ſvaviterq; Lectoris animum occupans, ac in decus Infularum poſteros ad imitandum alliciens per aliquot ejusdem Societatis JESU Theologos reviſum; nec dubium? quin litterariæ Reipublicæ magnam afferat lucem & utilitatem; dignum hinc, ut ſicuti omnium oculis, ita & præli ſudoribus committatur, cenſuimus, & facultatem imprimendi authoritate ordinaria damus & concedimus. In quorum fidem &c. Datt: in Cancellaria Curiæ Epiſcopalis Poſnanienſis. Die 11. Menſis Martii Anno Domini 1761.

STEPHANUS SKRZEBOWSKI

Canonicus Cathedralis Poſnanienſis

Auditor Generalis & Judex
mpp.

(L. S.)

LIBER SECUNDUS

Cruſvicienſis, demum Vladislavienſis, Poſnanienſis in Polonia, & Vilnenſis in Magno Ducatu Lithvaniæ Epiſcopatuum originem, ac eorum Præſulum Vitas comprehendit.

CAPUT PRIMUM.
De Epiſcopatu Vladislavienſi.

CRuſvicia, quam Popielus I. Dux Poloniæ, Leſconis III. Filius, loci planitie delectatus ad lacum Gopło dictum per leucas aliquot extenſum, cum arce ſat commoda in eodem lacu condidit, & Ducum Sede Gneſna translatâ adornavit: Popieli II, Ejus Filii impie in Polonia dominantis fatô, à muribus ex corporibus Patruorum ſuorum per ſe venenô ſublatorum genitis, latitudine, profunditate tam vaſti lacûs minime territis, cum uxore & duobus filiis conſumpti (a) famoſa: Piaſti agricolæ liberalitate in egenos & peregrinos cum ſua conſorte Rzepica (b) commendati, poſt exceptos binos in ſpecie humana Angelos, ſive Joannem & Paulum Divos MM. hoſpitiô, ac electorem populum lautiore in gratiam nati filii tractatos conviviô, in Ducem Poloniæ electione celebrior. (c) Prima

A

(b) Dlugoſſius L. I. (b) Idem ibidem. (c) Idem ibidem.

ma Sedes fuit Epiſcoporum Diæceſis hujus: à Mieci-
ſlao nomine & fide Chriſtiana primo, Poloniæ Duce,
annô 966. fundata per annos prope ducentos titulum
Epiſcopatûs Cruſvicienſis retinuit. Sed cùm civitas
hæc variis hoſtium irruptionibûs vaſtata pro dignitate
& commodo Antiſtitem cum Canonicorum cætu ſuſti-
nere non poſſet, ab Onoldo Epiſcopo X. Vladiſlaviam,
non ita pridem à Ladislao Duce ad Viſtulam fluvium
conditam, de conſilio Canonicorum tranſlata, à prædi-
cta civitate Vladiſlavienſis denominata eſt. (Eadem
perſæpe à Provincia Cujaviæ, Cujavienſis etiam voca-
tur) In memoriam tamen primæ Sedis Eccleſia Cru-
ſvicienſis in primordiis ſuis ſub titulo S. Viti M. ere-
cta, & ſacris ejus oſſibûs ex Civitate Saxonica, Corbeâ
tranſlatis decorata (d) in Collegiatam converſa Cano-
nicorum dignitates hucuſq; conſervat.

Latitudinem Diæceſis hujus Ægidius Cardinalis,
Epiſcopus Tuſculanus, Joannis XIII. Legatus per Pa-
latinatus, Breſtenſem Cujaviæ, Junivladislavienſem,
Pomeraniam, (unde Epiſcopi Vladislavienſes, etiam
Pomeraniæ Antiſtites nominantur) definivit. Hanc
Diæceſis amplitudinem ab Ægidio circumſcriptam, &
quòd Gedanum juris ſit Præſulis loci hujus, declaravit
Eugenius III. annô 1148. die 9. Aprilis.

Et quia ſæculo XVI. Lutherana, aliorumq; hære-
ticorum ſecta per Germaniam & vicinas Provincias là-
tè diffuſa etiam Duces Pomeraniæ infecit; bini diſtri-
ctus (e) Lemburgenſis & Bytomienſis à fide Romana
& juriſdictione Epiſcoporum Vladislavienſium defe-
cerunt. In anno tamen 1638. hi diſtrictus in duos De-
canatus: Lemburgenſem & Bytomienſem per Mathi-
am Łubienſki, tum Vladislavienſem Præſulem diviſi
& diſtincti ſunt.

Diæ-

*(d) Łubienſki Geographia. (e) Terminus eſt in jure Po-
lono, Polonicè Powiat dictus, qui terras denotat, ex quibus
Palatinatus componuntur.*

Diæceſis hæc continet in ſe Archidiaconatus tres: Vladiſlavienſem, Cruſvicienſem & Pomeraniæ. In Vladiſlavienſi habet Decanatus ſeptem: Breſtenſem Cujaviæ, in illo Eccleſias 13. Kovalienſem, in hoc 14. Radziejovienſem in quo 15. Lubſtinenſem, in eo paræcias 9. Nieſzavienſem, Słuzevienſem & Bobrovnicenſem: in primo 7, in altero 10, in ultimo 8. paræcias continet. In Archidiaconatu Cruſvicienſi habet Decanatus quatuor: Cruſvicienſem, Junivladislavienſem, Bidgoſtienſem & Gnievkovienſem: quorum ſinguli Eccleſias 13. parochiales comprehendunt. In Archidiaconatu Pomeraniæ complectitur Decanatus undecem: Gedanenſem, Starogardenſem, Svecenſem, Derſavienſem ſive Tczevenſem: in quibus ſingulis Eccleſias cum earum Rectoribus curam animarum habentibus 16. numerat. Mirachovienſem ſeu Koſcierzynenſem, Novenſem in his ſingulis paræcias 17. habet. Pucenſem, in eo 13. Lemburgenſem, in hoc 18. Mevenſem, in illo 9. Minoris Inſulæ, in quo 10, in Bytomienſi undecimo Eccleſias complectitur 11: quibus ſi addas ædes ſacras, quas furens & prædominans hæreſis pulſis legitimis dominîs, juris ſui fecit, longè plures numerabis. Præter Eccleſias ſuperiùs ad numerum redactas, habet templa Religioſorum ſat multa antiquitate commendata.

In Eccleſia Olivenſi PP. Ciſtercienſium aſſervatur panis in lapidem converſus ex ea occaſione, ut *Hiſt: Pruſſiæ L. III.* recenſet. Tempore famis cùm Patres prædicti egenorum neceſſitatibus ſubvenirent; die quadam praxi ſolita certam potûs, olerum, ac panis menſuram inter egentes diſtribuebant. Adfuit quiſpiam peregrinus profeſſione ſutor, Velaviâ oriundus ſtipem cum aliis efflagitans, accepitq; eleemoſynam omnibus dari ſolitam. Olus & potum mox abſumpſit, panem verò, futuram eſcam in ſinu repoſuit. Redeunti à clauſtro obvia venit paupercula mulier infantem

bra-

brachiîs complexa, quam alter sequebatur macie confectus & vix trahens animam: implorabat illa magnis precibus & lachrymis panis fragmentum pro famelico puero; verùm peregrinus non panem sed lapidem ad abigendos canum impetus se ferre asserebat. Post aliquod temporis spatium, dum cibum ex pane recondito sumere intendit, in sinu verum lapidem reperit. Rediit ad Patres, rem totam aperuit, & panem illum in lapidem versum, immisericordis animi in pauperes monumentum Olivæ reliquit.

Diæcesis hæc, ut fidem Romano Catholicam operâ Præsulum suorum amplexa est, ita eandem semper retinuit usq; ad tempora Lutheri, qui perfidus & à Religione orthodoxa, & ab Instituto, quod in Ordine Eremitarum S. Augustini professus erat, Apostata non habuit satis Patriam suam Saxoniam corrumpere doctrinâ falsâ, & pridem in variis Conciliis damnatâ, eâdem totam fere Germaniam Sveciæ & Daniæ Regna, vicinas Provincias infecit, ac totum, si valuisset, orbem per suos emissos asseclas depravare conatus est. Vladislaviensis Ecclesiæ clavum tum moderabatur Mathias Drzewicki, Antistes ut generis claritudine, sic meritis in Patriam, probitate in Ecclesiam insignis. Hic strenuus pro Religione Præsul metuens, ne præcipue Gedanum, urbs vetustate (*f*) & opibûs potens, grassante lue Lutherana corrumperetur; Vicarium Officialem, in iis, quæ ad veram fidem pertinent, eidem præfecit, qui gregi attenderet, & ne qua parte hæresis corrumperet tam amplam urbem, seriò animadverteret.

Sed callida hæreticorum indoles ea est, ut malum in aperto non seminet; quærit latebras, & ubi radices fixerit, nunc primum sylvescens illius fructus palam pro-

(*f*) *Initia illius adscribuntur Visimiro Duci Poloniæ, qui profligatô Sivardô Danorum Rege illam coudidisse fertur, & ex captivis in bello Danico amplam fecisse.* Cromerus L. II. Sarnicki L. IV.

prorumpit. Relictus pro custodia Vicarius invigilabat omni studiò, ne hæresis in Civitatem irrumperet; perspicacem tamen ejus conatum antevertit illa. Jacobi Finckenblock, Lutheri emissarii operâ rudem populum primùm in secretis conventiculis imbuit falsô dogmate: & dùm suis quisq; recentem commendat doctrinam, plebs novitatis curiosa, & facile credula, adhæsit errori, magnumq; crevit in numerum. Eo rerum successu lætus Finckenblock prodiit in lucem, publicos indixit, celebravitq; congressus: in quibus tantam sectatoribus suis inspiravit insolentiam, ut hi, omnia sibi licere arbitrati, cerimoniis Ecclesiæ, & quibusve sacris, ac ipsi honestati nuncium remiserint. Ad famam perversæ urbis accurrit Drzewicki, Clerum, Religiosos convocat, fidei admonet, in ea constantiam, circa alios solicitudinem & solertem curam commendat, & urbi valedicit.

Abiit Antistes, Civitas quoq; ad errores rediit, & majore licentiâ in sacra desæviit. Tantæ gregis sui temeritati indoluit religiosus Præsul, & impudens facinus ut majore authoritate comprimeret, comite Joanne Łaski Regni Primate Gedanum venit, ac in primo urbis aditu Lutheranum quendam Ministrum, erroris præconem secreto paræciæ ergastulo includi jussit: ipse verò cum Archipræsule Divinis operam daturus ad sacram descendit ædem. Captivitas Lutherani ubi plebi innotuit, furens, armata, aucta numerô operiebatur egressum Præsulum. Lacessitus convitiis Mathias rabiem populi vix evasit. & nisi fores atrii essent præsidiô, quibus secures, & gladii vibrati inhæserant, furoris victima cecidisset. Superveniens Magistratus tumultum vix compescuit, qui nonnisi dimissô captivô compositus est. *Hist: Pruss: L. VII.*

Detulit Drzewicki Gedanensis populi scelus Sigismundo Regi. Princeps hic eâ urbis sibi subditæ in Superos, & Præsules seditione offensus, cùm & alium

Magistratum substituissent hæretici, cujus dissimulatione omnia auderent, ut sua Sacerdotibus & jurisdictioni esset reverentia, in comitatu Procerum venit Gedanum. Re bene cognitâ, Joannem Salicetum Jurisperitum cum tredecem tumultûs & sceleris authoribus ac sociis ad secures damnavit, aliis ultra quinquagenis urbe & Regno proscriptis. Demum Senatu Catholicô instituto, ad tuendam Religionem, Majestatem Regiam legibûs Civitatem circumscripsit Regni sui annô vigesimô, Christi 1526. *Legum Volum. 1.*

Vladislaviense Capitulum componitur ex Præposito, Decano, Archidiacono, Scholastico, Primicerio, Custode, Archidiacono Pomeraniæ, Cancellario, & Canonicis 18. E medio sui ad Judicia Tribunalis Regni unum eligit Judicem. Stemma illius est: effigies Deiparæ Virginis, unâ manu Christum, altera sceptrum Regium tenentis, pedibus innixa Lunæ.

Episcoporum Vladislaviensium prærogativa est: in absentia Primatis Regni, aut ejus Sede vacante, Illius obire munia sub tempus Interregni. *vide L. I. p. 21.*

ORDO & VITÆ
EPISCOPORUM CRUSVICIENSIUM
Demum
VLADISLAVIENSIUM

I.

LUCIDUS ITALUS.

PRimus hic Diæcesi Crusviciensi ab Ægidio Cardinale, Legato Pontificio præfectus est. Vir morum integritate insignis opinioni Legati, desiderio Miecislai Ducis ac totius populi abunde satisfecit. In partem laboris non paucos ex Bohemia accivit, qui novum Christi gregem erudirent, ipse verò, cùm illum patrio sermone

mone instruere non posset, hunc defectum optimæ vitæ exemplô compensare studuit. Instituit Collegium Canonicorum, quorum consiliô juvaretur, iisq; certam bonorum Principis donatione perpetuâ inscriptorum Ecclesiæ, aliorumq; redituum partem attribuit. Diæcesim in plures parœcias divisit, & ut suô exemplô in erigendis Ecclesiis præiret aliis, in pago Dzvierzno mensæ suæ ædem sacram struxit, eiq; dotem ex agris & decimis assignavit. Imo, ut scripsit antiquitas, omnium Parochialium Ecclesiarum in Cujavia fuit Fundator. Sic intentum curis pastoralibus Lucidum annô regiminis 27. mors Diæcesi & vitæ subtraxit 993. Dzvierznæ sepultus.

II.

MAURITIUS ITALUS.

A Canonicis acceptâ notitiâ de obitu Lucidi Miecislaus ad Joannem XV. nuncios expedivit, qui ejus & Capituli nomine Præsulem ad vacantem Ecclesiam Crusviciensem postularent. Pontifex cùm hunc Mauritium labori ejusmodi maxime idoneum judicaret, eundem annô 994. huic Ecclesiæ regendæ dedit. Venit ille in Poloniam, & in aditu Diæcesis ab effusa nobilitate, ac populo inter faustas apprecationes exceptus est.

Hic, cùm munus Apostolicum religionis officiis: oratione, verbi Divini prædicatione, Sacramentorum administratione potissimum contineri perspectum haberet, magnâ ejus muneris parte sibi assumptâ, reliquos labores, præcipue docendi populi, quibus per se exercendis, ut pote lingvæ harum Regionum imperitus, par non erat, in maxime idoneos distribuit: eosq; qui præ aliis eruditioni rudis populi videbantur aptiores, sacris Ordinibûs initiatos addicebat Ecclesiarum regimini, & obsequiis. Sic optime de sua Diæcesi meritus, viribûs deficiens anno 1014. obiit: eundem cum Antecessore suo Dzvierznæ tumulum nactus.

III.

MARCELLUS ITALUS

De Stemmate Włoszek. Stemma hoc dicitur etiam Pieleſz.

In campo coloris rubri duo sunt gladii in figuram crucis compositi, acie erecti, inter quorum latera quatuor, totidem sunt rosæ coloris albi.

MIecislao I. Christiano Principi Boleslaus Chrabry, Filius successit, primusq; Rex Poloniæ salutatus est. Princeps hic felicitatem Regni à vera fide pendere æstimans, ut quævis Diæcesis suum haberet Antistitem, seriò invigilabat. Quare, ubi obiisse Mauritium intellexisset, Romanæ Sedi erat supplex, ut in ejus locum Virum pietate & doctrinâ pollentem substitueret. Morem gessit Regi Benedictus VIII, & hunc Marcellum Crusviciam ire jussit. Magnâ omnium lætitiâ Episcopatûs possessionem adiit. His humanitatis officiis ut responderet, singulas Præsulis & optimi Senatoris partes strenuè implere curavit. A primordiis Religionis susceptæ ea fuit Polonorum erga suos Episcopos pietas, ut quos salutis Magistros quæsivissent, eorundem consiliis Rempublicam permitterent.

Dum in dies & fidelium & Ecclesiarum numerus & splendor augeretur, generis humani hostis invidit eum Religionis in Polonia statum. Itaq; pluribus Nobilium odium contra Sacerdotes inspiravit, illosq; in tantam egit vesaniam, ut à Miecslao Principe assignata, & à Rege Boleslao confirmata Ecclesiæ bona occuparent: maximè autem acerbam & onerosam decimarum in manipulis pensionem querebantur: & dum pleriq; non ferendam vel ideo Religionem Christianam arbitrarentur, ad proscriptas redire superstitiones, barbaroq; ritu vivere, apud se decreverunt: jamq; ab Ecclesiis abhorrere, sacra aversari, Sacerdotes variis contumeliis afficere, vitam insolentem agere, & penitus Christi jugum excutere, ad pristinas profanas consvetudines converti cœperunt.

Ingemuit Præsul optimus ad eam populi temeritatem, & ut Religioni, ac Reipublicæ subveniret, adit Regem, periculi gravitatem universo Regno imminentis edocet, si posthabitô veri Numinis cultu impunè ad ritus sacrilegos populus rediret. Non difficiles æquitati Rex religiosus dedit aures. Impium gliscentis conspirationis semen in ipso exortu opprimit: authores illius maturè conquisitos immissis militibûs comprehedit, & cojurationis capita extremô suppliciô plectit alios verberib9 mulctat, reliquis min9 obnoxiis, quos aut sangvinis, aut familiaritatis necessitudo, aut svasio in societatem criminis traxerat, veniam præbet; & ne deinceps in fide inconstantes essent, aut in reddendis Ecclesiarum juribus pervicaces, seriò admonet. Sic compressâ seditione populi, Boleslaus Chrabry Rex annô ætatis suæ 58, Regni 25, Christi 1025. ultimum diem obiit.

Tanto Regi parentaturus, ad ejus celebrandum funus in Basilica Posnaniensi cum aliis Præsulibus & Marcellus perrexit. Ivit postea Gnesnam pro coronatione Miecislai II. Filii Boleslai, quem Hippolitus Ursinus, Archiepiscopus Gnesnensis præsentibus, Gompone Archiepiscopô Cracoviensî, hoc Marcellô Vladislaviensî, Paulinô Posnaniensî, Clemente Vratislaviensî, Albinô Plocensî, Episcopîs, plurimisq; Regni Proceribûs, unxit & diademate insignivit. Redux Crusviciam totum se impendit curis Pastoralibus, piisq; operibus, quibûs consumptus annô 1035, viam universæ carnis ingressus est.

IV.

IV.

VENANTIUS ITALUS

De Stemmate Mora

Caput est Æthiopis vitta cinctum.

CUm Crusviciense Capitulum in eam dignitatem crevisset, ut idoneos regendæ Diæcesi in suo cætu numeraret; post fata Marcelli indictâ die Venantium omnibûs suffragiis defuncto Præsuli substituit: qui impetrata confirmatione à Benedicto IX. operâ Miecislai Regis, annô 1036. faustis acclamationibûs, populiq; lætitiâ in Cathedram suam introductus est.

Hic generis sui nobilitatem variarum virtutum ornamentô auxit, præsertim Religionis amore, cujus propagator erat strenuus. Calamitosa tum in universo Regno tempora mortem Miecislai Regis sunt consecuta, cùm Rixa defuncti Principis consors rerum summâ potiretur, omnibus molesta, universis odiosa, tandem Regnô pulsa. Casimirus Filius licet, in spem futuri Regni aleretur, sed hic à Matre in Galliam missus, rebus caducis nuncium miserat, in Cluniacensi claustro D. Benedicti Institutum professus.

In his publicis ærumnis nihil non erat afflictum. Sacra neglecta, templa supellectili spoliata, aræ eversæ, civium armis, & Bohemorum irruptione vastatæ Provinciæ. Non poterat non indolere huic Regni & Religionis calamitati Venantius; quare aliquam spem solatii admissurus, facilè ivit in sententiam Stephani Archiepiscopi Gnesnensis, qui evocandum à monasterio Casimirum Miecislai defuncti Filium svadebat. Principem hunc e Cluniacensi claustro apud supremam Sedem impetravit Stephanus, & in Poloniam deduxit. *vide Lib: I. p. 43.*

Rediit in Poloniam cum Casimiro splendor, tumultus attriti. decus Religionis innovatum: Lætus labentis fidei, & sacrorum institutione Venantius, cùm in conventu generali Ordinum condictum cum Sede Romana tributum a Polonis pendendum omnium consensu constitutum fuisset, illud in sua Diæcesi promulgari fecit. Tandem 1055. morbô epidemiæ sublatus, in Templo Parkanensi sepultus est.

V.

ANDREAS I. ROMANUS.

ET hic viâ electionis Venantio successit, à Victore II. operam interponente Rege Casimiro confirmatus. Feliciora inito Pontificatu sortitus est tempora; cùm res, quæ non ita pridem ibant in deterius, optimi Regis solerti gubernio ad meliorem statum redigi cæperunt. Præsul arduis Reipublicæ expeditis negotiis, Templa sub interregnum vastata suo nitori, Principis, aliorumq; Procerum, ac propria liberalitate restituta visitavit sæpius, & strenuæ Rectorum designavit curæ. Attendebat ne communis illis temporibus Simonia per Synodum Florentinam Italicis proscripta Regionibûs in suam Diæcesim irrumperet: omne præterea adhibuit studium in extirpandis rudis plebeculæ superstitionibus, longa consvetudine firmatis. Post necem D. Stanislai Episcopi Cracoviensis, lati à Sede Romana interdicti sententiam magno suo, populiq; mærore in Diæcesi Crusviciensi promulgari, ædesq; sacras occludi jussit: Ipse senio & curis in ea luctûs acerbitate consumptus obiit 1081, in Ecclesia Parkanensi ad corpus Venantii sepultus.

VI.

JOANNES I. ROMANUS.

De Stemmate Sternberg

In campo cæruleo stella est aurei coloris.

UNanimi voto electus, cujus electioni Ladislaus Hermannus,

mannus, post abitum è Regno Boleslai Audacis Fratris sui toti Poloniæ à Proceribus præfectus, subscripsit, & confirmationem illius à Gregorio VII. obtinuit. Eminuit Præsul hic insignî rerum gestarum prudentiâ, quam modestiâ & svavitate morum adeò commendatam fecit, ut severiores etiam animos in sui amorem & reverentiam flexerit. Totus erat in excolenda Diæcesi, ejus culturæ dum seriam navaret operam, illam inopinata tempestas impedivit, quæ totam involvit Cujaviam.

Sbigneus naturalis Ladislaî Filius, anno 1096. à Boleslao (g) Bohemiæ Duce, viro callido & Polonis infenso inductus, excusso disciplinæ jugo, e Saxonia rediens fugitivorum & exulum exercitu coactô, Pomeranis aliunde Ladislao invidis, in belli societatem accitis in Patrem arma strinxit: præoccupatôq; Crusviciensi castrô & urbe, Sedem belli contra Ladislaum gerendi statuit. Ad comprimendam Sbignei temeritatem, & vindicandam ab injuriis Provinciam probatam militum virtutem opposuit Ladislaus. Ad lacum Gopło signis collatis acies dimicârunt: pro Ladislao & virtus, & reverentia Patris, pro Sbigneo parricidalis licentia decertabat. Exules & fugitivi spe melioris fortunæ destituti pro victoria obtinenda dum acriùs vires intendunt, tantum cruoris hostilis fusum est, ut lacus Gopło sangvine rubuerit, & cadaveribûs plenus, neq; potari, neq; piscem sustinere potuerit. *Długossius Lib: IV.*

Pauci ex Ladislai militibus desiderati, vulnerati plures; omne verò robur exercitûs adversi extrema clade obtritum est, Sbigneus ipse vivus venit in potestatem Patris *vide L. 1. p. 45.* Urbs Crusvicia, quòd Sbigneo adhæsisset, in prædam militi permissa, opibûs & facultatibûs spoliata est. Hoc bello maximam jacturam in bonis, sacra supellectili, aliisq; ornamentis subiit Ecclesia Cathedralis: super quibus sponsæ suæ damnis mæ-

(g) *alii Bretislaum scribunt.*

mæstum & anxium Episcopum annus sequens 1097. è vivis sustulit. Primus hic Præsulum Crusviciæ sepultus est.

VII.

PAULINUS ITALUS

De Familia Vitelliorum.

A Damalevicio scribitur fuisse Frater Roberti, Archiepiscopi Gnesnensis: verùm Nepos illius esse debuit; Robertus enim centum annis priùs obiit, antequam hic Paulinus Crusviciensis Antistes factus esset. Omnium voto electus, ab Urbano II. confirmatus est.

Pomerani, (Provincia est Diæcesis hujus) cùm ex occasione sacrilegi facinoris in Martinum Zabawa Archipræsulem Gnesnensem, & ejus Archidiaconum *vide L. 1. p. 45.* commissi ad sacrum baptismi fontem crimen expiaturi properarent, præ lachrymis pius Præsul continere se non valuit, ipseq; non paucos abluit salutari undâ, huicq; operi post 12. annorum regimen immortuus est in Ecclesia Crusviciensi sepulturam nactus.

VIII.

BALDVINUS

De Stemmate Ramult.

In campo rubro, quinque sunt rosæ albæ: una in medio, quatuor in lateribus dispositæ.

POst fata Paulini in electione Successoris magnâ animorum dissensione decertabant Canonici: discordes tamen mentes facile in unam coëgit sententiam Boleslai Crivousti pro Baldvino latum suffragium. Electus itaq; & à Paschali II. confirmatus, regimen Diæcesis auspicatus est.

Illius temporibûs, annô videlicet 1113 visum est cæleste prodigium Crusviciæ. In Pomeranos, qui & à Religione Christiana, quam non ita pridem professi erant

rant, & obedientia Polonorum deficientes, frequenti irruptione vocatis in subsidium Pruſſis vaſtabant Poloniam, Boleslaus Crivouſtus ducebat exercitum, ac cum copiis Cruſviciam pervenit. Ubi de ſtativis decedente milite in oculis omnium apparuit juvenis formæ venuſtiſſimæ in turri S. Viti. A ſplendente adoleſcentis vultu tantus prodibat fulgor, ut non Cruſviciam duntaxat totam, ſed & vicinos campos illuſtraret. In juvenem ora & oculos univerſus exercitus, ſed maxime Boleslaus religioſa motus admiratione cum convertiſſet; e turri Templi deſiliens adoleſcens agmini copiarum præibat, atq; recto tendens itinere, exercitu novum ducem ſequente, Naklum pervenit: (urbs hæc metropolis Pomeranorum erat) intra cujus pomærium pomo aureo jacto ſpem certam urbis capiendæ in animis Polonorum fecit, ac mox diſparuit.

Spectaculo hoc erectus Crivouſtus admovit arietes infeſtæ urbi, ex qua plurimæ terris Polonorum erumpebant populationes & diſcrimina: & cùm magna parte muros concuſſiſſet, obſeſſi 15. dierum inducias impetrârunt, intra quod tempus niſi ſuppetiæ à Pomeranis adeſſent, urbem & caſtrum Boleslao tradituri erant. Interea civitati venere in auxilium 50000, captoq; conſilio Pomerani, per intempeſtæ noctis ſilentium tutiſſimum rati, relictis equis, ne eorum hinnitu proderentur, caſtra Polonorum impetu rumoribûs celeriore incipiunt adoriri

Agebatur tum ſolennis dies honori D. Laurentii M. dedicatus, quo Crivouſtus devotioni cum ſuo exercitu intentus arma depoſuerat, ut Religioni ſatisfaceret, tum quod nulla hoſtis advenientis timeretur ſuſpicio, tum quòd pactæ induciæ occaſionem bellandi intercepiſſe viderentur. Ecce ſubitò Pomeranorum exercitus à Polonis in tentoria à ſacris redeuntibus magis conſpicitur, quàm adeſſe nunciatur. Tam celer & inopinatus eorum adventus ut Polonorum animos non parum turba-

turbaverat, ita Pomeranis victoriam attuliſſet, ſi eâdem celeritate, quâ cœperant, uti ſciviſſent, Boleslaoq; juſtum temporis ſpatium colligendi & componendi militis eripuiſſent. Sed Deo ita diſponente, locum primò, quo tutius conſiſterent, eligunt, eumq; vallô & foſsis muniunt, ac ſudes præacutas & oblongas tam in fronte quam lateribus frequenti ordine terræ infigunt, quæ exercitum Pomeranorum à quavis incurſione tuerentur.

Crivouſtus ſpatio dato, ægrè ordines aciemq; tumultuarie magis quam ordinate explicuit, & inſtruxit longe hoſtium turmis inferiorem. Concurritur magnâ ab utrinq; contentione; ſed Boleslaus effractis ſui exercitûs impetu ſudium hoſtilium munitionibûs, iter victoriæ ad ſe jam deflectenti amplum aperuit, tantâq; clade hoſtem fudit ut Pomeranorum & Pruſſorum 40000 cæſa, duo in ſervitutem abacta numerarentur. *Dlugoſſius Lib. IV.*

Lætus victoriâ de hoſtibus obtentâ Baldvinus laudes Divinas toti Diœceſi injunxit, eò ferventiores quò præſentius periculum Cujaviæ & toti Poloniæ imminebat ab hoſtibûs. Quanquam non ſine imminutione bonorum ſubjectarum ſibi Eccleſiarum ac toti terræ Cruſvicienſi ea moles belli incubuit. Damna tamen præſertim Cruſvicienſi Cathedræ pius Princeps liberali compenſavit manu. Obiit Baldvinus 1128. in Eccleſia Cruſvicienſi ſepultus.

IX.

SVIDGERUS GERMANUS

De Stemmate Grzymała

Porta eſt tribûs turribûs eminens, cataphracto milite in foribus cum evaginato gladio ac ſi excubias agente armata.

SUffragiô virtutum, quibûs inter Canonicos eminuit, ad hanc Sedem evectus eſt, & ab Honorio II. confirmatus, Diœceſis regimen morum ſvavitate, humanitate

tate commendavit. Ejus temporibus claruit in Polonia Petrus Danus, ex Dania communi Scriptorum ſenſu oriundus, Vir omnium ſæculorum memoriâ dignus, Clariſſimæ Duninorum Familiæ, & Comitum de Skrzynno Parens & primus Author, ſeptuaginta ſeptem, juxta alios ſeptuaginta Eccleſiarum conditor: quam ejus in ſe liberalitatem Deus abunde remuneratus eſt, dum ejus Familiam in tot nobiliſſimas diſtinxit ſtirpes, quot ille Eccleſias benefica erexit manu. Inter hæc præclara munificentiæ ſuæ documenta Eccleſiam & cænobium Deo dicatarum Virginum Inſtituti D. Norberti Strzelnæ dotavit & fundavit: quod templum 1133 anno præſente Bernardo Epiſcopo Lubuſcenſi & Petro Comite ſub titulo S. Crucis & Deiparæ Virginis Svidgerus dedicavit. *Dlugoſſius Lib: IV.*

De limitibus Diæceſis orta erat à nonnullis quæſtio, hæc ne ſucceſſu temporis majoris controverſiæ eſſet occaſio, approbationem finium jurisdictionis Epiſcoporum Sedis hujus apud Eugenium III. 1148. impetravit. Tandem curis & vitio hepatis in dies debilior fractam ætatem depoſuit 1151. Cruſviciæ ſepultus, ultimus Cruſvicienſis Præſul.

X.

ONOLDUS ITALUS VLADISLAVIENSIS I. EPISCOPUS

De Stemmate Oliva

In campo viridi lilium eſt, inter cujus folia binæ roſæ coloris rubri expreſſæ ſunt.

BRevi poſt obitum Svidgeri electus, ſed ab Adriano IV. annô 1157. nunc primum confirmatus poſſeſſionem Epiſcopatus adiit. Hic cùm dignitatem Præſulenem Epiſcopatus adiit... Hic cùm dignitatem Præſulam in ſolitudine Cruſvicienſi non poſſe decenter conſiſtere concluſiſſet, maturo conſilio cum Canonicis habito Sedem Vladiſlaviam Cruſviciâ tranſtulit, primusq; ſeriem Epiſcoporum Vladiſlavienſium inchoavit. De litteris erat optime meritus, patientiæ inſignis, cujus non poſtremam dedit illi cauſam gravis belli moles imminens Reipublicæ cum Friderico Cæſare Ducatum Poloniæ pro Ladislao exule vindicante: ad quem reprimendum miles conſcriptus bona hujus Epiſcopatûs miſere afflixit. Obiit Onoldus 1160. Vladislaviæ ſepultus.

XI.

RUDGERUS BOHEMUS

De Stemmate Wieniawa

Caput eſt biſontis habens ſphæram auream per nares pendulam.

SIngularis modeſtia, qua inter Canonicos eluxit, facile omnium vota devinxit, ut in locum Onoldi vitâ defuncti ſubſtitueretur: ab Alexandro III. confirmatus, Epiſcopus inſtitutus eſt. Ad dotem Miechovienſis cænobii Canonicorum SS. Sepulchri plurimum contribuit. Et ne aliena ditare videretur, totus fuit in adornanda ſua Vladislavienſi Eccleſia, in Diæceſi viſitanda, providendoq; gregi pabulo. Sic curis Paſtoralibus intentum commune omnibus fatum è vivis abſtulit 1170.

XII.

VERNERUS BOHEMUS

De Stemmate Wieniáwa.

JUxta Paproccium Rudgeri Frater, ab Alexandro III confirmatus. Ingens Schiſma univerſam Eccleſiam à fatis Adriani IV. divellebat. Rolandus Cardinalis, dictus Alexander III, electus fuerat à majore Cardinalium numero: Octavianus tamen, aliquorum adjutus ſuffragiô, ſub Victoris IV. nomine ei ſe oppoſuit; quo

quo vitâ defunctô sperabatur tranquillitas Ecclesiæ; ve-
rùm Fridericus I. Cæsar offensus Alexandro in locum
Victoris Gvidonem Fremensem Cardinalem sub no-
mine Paschalis III, quo extinctô, itidem Joannem
Fremensem Cardinalem, qui Callistus III, dici voluit,
hoc mortuô rursus Laudonem, qui Innocentius III di-
ctus est, vi & potentiâ Antipapas curabat. Ut alii Po-
loni Præsules, Friderici Germanorum & Bohemorum
his commentitiis Pontificibus adhærentium vires ni-
hil veriti Alexandrum III. verum Christi Vicarium
adorabant, ita Vernerus omnî studiô incubuit ad reti-
nendam suam Diæcesim in obedientia legitimo Eccle-
siæ Capiti. Obiit 1178. in Vladislaviensi Ecclesia se-
pultus.

Sub ejus tempora, anno 1178. Samborius Pome-
raniæ Dux monasterium Ord: Cisterciensis in villa Du-
cali Oliva fundavit. *Damalevicius. Dlugossius L IV.* huj9
cænobii fundatione Boleslao Duci Pomeraniæ attribuit.
Conditum est & aliud eorundem Patrum Pelplini 1170
à Subislao seniore Duce Pomeraniæ, qui primus ex
Principibus Pomeranis fidem Christi suscepisse scribi-
tur. *Hist: Pruss: Lib: I.*

XIII.

VUNELPHUS.

CUjus Nationis, stemmatis? nemo Scriptorum anno-
tavit: virtutis tamen nobilitate omnia meruit: E-
jus electionem Casimirus Dux ratam habuit, & Ale-
xander III. confirmavit. In procurandis Ecclesiarum
ministris, defendendis earum bonis, in patrocinio sub
gravissimis oneribus gementis populi paternam pro-
bavit solicitudinem; dum ad Comitia indicta Lanciciæ
1180, ibidemq; Synodum celebrandam Senatoris &
Antistitis munere præclare functurus iter maturavit.

Inoleverat Principum aliquorum avaritiâ, aliquo-
rum desidiâ barbara consvetudo inter Proceres & equi-

tes

tes Polonos: ut iter facientes agros & prata depasce-
rent: præterea equorum pabula & commeatum, effra-
ctis per vim horreîs, quantum vellent, rapiebant: nec
in usum convertisse contenti, quod supererat necessi-
tati, dilapidabant dissoluto luxu: jumenta e stabulis ab-
ducta, quin curribûs & aratris soluta suis curribus ve-
hendis adjungebant: iterq; suum emensi vel laboribûs
confecta dimittebant, vel, si apta videbantur, usurpa-
bant: Bona Episcoporum morientium aliorumq; Sa-
cerdotum facultates invadebant, occupabant. Ipsius e-
tiam Principis fiscum augebant possessionibûs, quæ
cultûs Divini administris, pauperumq; usibus erant
consecratæ. Creverant multorum opes hîs rapinîs, ob-
stinataq; defendebantur mente. Casimirus pius Prin-
ceps, ut extirparetur ea iniquitas, effecit lege promul-
gata in Comitiis Lanciciæ celebratis. Ne verò ma-
lum hoc renasceretur, obviam ivêre Præsules autho-
ritate Synodi, dum eos, qui in posterum tale quid au-
derent, gravi anathemate execrati, Diris devoverunt,
universo conventu assentiente, amenq, ad singula pun-
cta anathematis acclamante. Puncta decreti Synodi e-
rant sequentia.

*Qui colonorum & agrestium annonam, aut alias res
vi, aut aliquo modo tulerit, aut auferre jusserit; anathema
sit. Qui legationis aut necessitatis publicæ vel privatæ occa-
sione, præterquam ad denunciandum hostium in Patriam im-
minentem insultum, cujusq; quadrupedem & jumentum in an-
garia podvodarum acceperit, vel accipere jusserit; anathema
sit. Qui bona Pontificum, aut Ecclesiasticarum personarum
decedentium rapuerit, occupaverit, vel distraxerit; etiam si sit
persona illustris, & Regali aut Ducali aut quacunq; alia præ-
fulgeat dignitate; anathema sit. Qui Episcoporum spolia-
torum, restitutione non præhabita, acceptaverit, aut rapto-
rum aut distractorum relaxationem raptoribus, satisfactione
legitima non satisfaciente, vel præcedente impenderit, velut
sacrilegii particeps & consentaneus, & qui ambitioni suæ,*

&

& commodis inhiando sacrilegis occasionem præstiterit; anathema sit.

Ut autem sancita hæc perpetuum robur haberent, in tabulas relata, suoq; Præsulum' Principum ac Procerum sigillis munita per Nuncios ex utroq; statu lectos Casimirus confirmanda Alexandro III. misit: ac per eos Ossa alicujus Sancti à Sede Apostolica donari Poloniæ petiit. Collaudatâ Summus Pontifex Polonæ Nationis devotione, quæ legitimum & verum Pastorem, aliis gentibûs in pernicioso schismate fluctuantibûs, agnosceret; de obtinendo corpore Divi alicujus spe facta, constitutiones justas & Religioni congruas approbavit.

Vunelphus suæ Ecclesiæ memor à Lescone Duce impetravit castrum Złoncze cum omnibus prædiis. Ita de Ecclesia meritus ultimum diem obiit 1190.

XIV.

STEPHANUS GERMANUS

Sede vacante præfuit sæpius electioni Episcoporum, tandem Vunelpho succedere meruit. Electionis suæ instrumentô, & litteris à Casimiro Duce acceptis ivit Romam, ubi, à Cælestino III. confirmatione obtentâ, in Præsulem consecratus est. Inter labores, quos in regimine Ecclesiæ strenue obiit, præcipuam nactus est laudem de operâ optime navata Petro Capuano Cardinali, Legato Cælestini, Venerat ille in Poloniam, tum ut Clerum reformaret ad mentem Conciliorum & Sacrorum Canonum, tum ut Laici, maximâ licet eminentes dignitate, matrimonia publice in Ecclesiis contraherent. In rebus perficiendis efficaci studiô juvit Legatum Stephanus, ejusq; sancita ut sacrosancte servarentur, accurata solicitudine invigilavit. Obiit 1197, in Ecclesia Vladislaviensi sepultus

XV.

XV.

OGERIUS ITALUS.

Ambitio aliquorum interturbabat electionem, sed cum metuerent Româ ignotum sibi mittendum Præsulem, in hunc Ogerium consenserunt: qui licet non esset indigena, benevolentiam tamen Polonorum virtute & humanitate comparare sibi studuit. Ab Innocentio III. confirmatus est. Optimus Præsul & Senator indoluit, cùm Ducatus Lubulcensis, illiusq; insignis Episcopatus à corpore Reipublicæ avulsus est. Nactus illum erat divisionis sorte Boleslaus Henrici Barbati Ducis Vratislaviensis Filius, eumq, Ducibus Brandeburgicis pro certa pecuniæ summa cessit perpetuìs temporibûs. Intervenerant & dissessiones ac bella inter Duces Poloniæ, quorum non exiguam molem sustinuit Cujavia, injurias vero & damna expertæ Ecclesiæ. His malis pressus Antistes exactô quinquennio in Episcopatu vitâ decessit 1203. In sua Cathedra sepulturam nactus.

XVI.

BARTHA ROMANUS

De Familia Toporeorum.

Ut in electione Ogerii ambitio nonnullos incesserat, sic post illius obitum longe major crevit, dum quivis præesse vellet. Primo conventu soluto, cum nullus alius designaretur, electionis negotium fere neglexerunt Canonici. Id Romæ ubi innotuit, ne Sedes tam inclyta esset acephala, Innocentius III, motu proprio Bartham Palatii sui Auditorem, legum Canonicarum peritum Ecclesiæ Vladislaviensi Antistitem designavit, & Romæ consecratum in Poloniam ire jussit. Hic cùm litteras provisionis ApostolicæCapitulo exposuisset, solenni ritu à Clero & populo exceptus regimen Diæce-

ſis 1204. inchoavit. In ea ita ſe geſſit, ut magnam laudem ſui muneris apud omnes adeptus ſit. 12. annis rexit Eccleſiam ultimus exteræ Nationis Præſul, dolore calculi 1215. rebus humanis exemptus, in Vladislavienſi Eccleſia congruo honore ſepultus.

XVII.

MICHAEL POLONUS

De Stemmate Godziemba

Pinus eſt in campo rubro cum radicibus evulſa, triplici vertice eminens.

ANnos jam 249. ab exteris Nationibus, Italiâ, Germaniâ, Bohemiâ accitis Præſulibus paruit primùm Cruſvicienſis demum Vladislavienſis Eccleſia; cùm Gneſnenſem Boſſuta Polonus ab anno 1027, Cracovienſem Lambertus II. Zula ab anno 1059, Poſnanienſem Laurentius ab anno 1106., Plocenſem Stephanus ab anno 1087, Vratislavienſem quoq; in Sileſia Joannes Jaſtrzembiec ab anno 1062 Poloni rexiſſent. Quare Vladislavienſes Canonici poſtquam juſta perſolviſſent Barthæ, diemq; conventui pro eligendo novo Antiſtite indixiſſent; antequam negotium proſequerentur; id primum, tanquam ſcopum electionis propoſuerunt, ut votis in eum irent Præſulem, qui eſſet natione Polonus.

Ex primis Epiſcopis ſatis gloriæ & decoris habuit Vladislavienſis Eccleſia, ſed ex Polono, ob ſangvinis & idiomatis conjunctionem, amorem & benevolentiam inter Proceres & ordinem Equeſtrem, plus emolumenti habituram ſperabant. Michaël hic omnium maxime idoneus ad eam dignitatem, & par tanto oneri viſus eſt: qui,cùm in ſe ſuffragia majoris partis conſenſiſſent, electionis ſuæ confirmationem Conrado Cujaviæ & Mazoviæ Duce operam interponente ab Honorio III obtinuit, ac regimen Epiſcopatûs inter feſtivas Polonorum

norum

norum gratulationes 1216. auſpicatus eſt: quantusq; Religionis, bonorum Eccleſiæ & Patriæ defenſor fuerit? non obſcura dedit ſpecimina.

Conrado Mazoviæ & Cujaviæ Duci Chriſtinus Palatinus Plocenſis, Vir ut probitate ſic prudentia præſtans, deſignatus erat, qui teneram adhuc ejus ætatem moderaretur. Felix hoc Tutore erat Princeps, ejus conſiliô & manu de Pruſſis barbaris oras ſuas invadentibus glorioſus Victor. Sed cùm per invidiam aliquorum (ut ſæpe numero favores Principum inconſtantes ſunt) odium Conradus contra Chriſtinum concepiſſet, quod eò devenit, ut innocentem Palatinum oculis primùm privaverit, ad extremum interfecerit, liberoſq; ejus veluti reos læſæ majeſtatis proſcripſerit. Pruſſi ubi Chriſtinum (quem Deum Polonorum vocabant) interemptum didiciſſent, animô & viribûs reſumptis, irruptione in Terram Culmenſem facta, ferro & igne in Provinciam ſævierunt, ac caſtra, vicos, oppida ſolô æquârunt. Ad eam ditionis ſuæ populationem ingemuit Conradus, indoluit & Michaël Antiſtes, in cujus Diæceſi gens barbara Olivenſe cænobium ſacro apparatu ſpoliavit, & Abbatem cum Religioſis nece crudeliſſima furori impio litavit: ne ultra ſæviret, ex amore boni publici ad reficiendum Culmenſe caſtrum operam & impenſas contulit liberalis Præſul.

Injurias pauperum quàm ſeverè Deus puniat, exemplô fuit Miecislaus, ob mentis impotentiam Choſciſko dictus, Conradi Ducis Mazoviæ Filius. Hic Cujaviâ, quæ illi diviſione ceſſerat, minimè contentus, non tantùm divitum opibûs, ſed etiam exiguâ inopum portione facultates ſuas augebat. Viduas quaſdam bonis ſpoliavit, & armentis earum mactatis ſplendidum paravit convivium Optimatibus Cujaviæ. Dum menſæ opiparè inſtructæ epulaturus accumbit cum hoſpitibus, inter prandendum juſtiſſima Dei vindicta enormia pauperum oppreſſoris facinora puniens apparuit. Mures

innu-

innumeri convenere, & in Ducem impium ſævire cæperunt. Dapes raptô paratas deſeruit Miecislaus, & judiciô ſuô lanienam & vitæ periculum fugâ evaſurus, navim conſcendit. Sed fruſtra, à muribus undis & fluctibûs minimè impeditis miſerrimô exitiô corroſus, qui alieno vivere intendebat, ipſe in pabulum ceſſit. *Cromerus Lib: VIII.*

Pæna hæc Ducis avari ubi innotuit, non ſolùm Cujavia, verùm & vicinæ Provinciæ ſalutari metu territæ alienô malô meliùs ſapere didicerunt. Ea opportunitate uſus Michaël multa damna & injurias Eccleſiæ ſuæ illatas vindicavit. Incolæ Bieleviciani, temporibûs Ogerii, ut à rapinis militum Eccleſiæ facultatibus inhiantium ſub patrocinio Leſci Ducis immunes eſſent, officium venatorum ſubierant; eos in priſtinum jus & obſequium Vladislavienſis Eccleſiæ aſſeruit. A Caſimiro Conradi Filio pagum Chełmce (quem 110. marcis emerat Michaël) violenter per Matrem Caſimiri ereptum recepit. A Conradi Ducis Lancicienſis juriſdictione, & ad judicia Ducalia provocatione, aliiſq; indebitis tributis Caſtrum Olborz liberavit, ac villam Bankowo antiquitus Eccleſiaſticam vindicavit. Quæſivit & alia plura ſtrenuus bonorum Eccleſiæ defenſor, & ut ſuæ facultates cuiq; eſſent, inveſtigator diligens. Synodum Junivladislaviæ 1223. celebravit, in qua Collegiatæ Cruſvicienſis ornamento, & utilitati illius populi proſpiciens, Archidiaconatum Cruſvicienſem Vladislavienſi adjunctum reſtituit. Dierum & meritorum plenus 1258. viam univerſæ carnis ingreſſus eſt.

XVIII.

VOLIMIRUS

De Stemmate Pobog

Solea eſt cruce deſuper inſignita.

PRæſulis Poloni in agendo efficacem prudentiam ex-

perti

perti Canonici, facile in futurum ejusdem gentis Epiſcopum conſenſerunt: votaq; ſua direxerunt in hunc Volimirum. Fuit is Præpoſitus Cruſvicienſis, Vladislavienſis Canonicus, & Ducum Mazoviæ Cancellarius, quorum patrociniô apud Alexandrum IV. electionis ſuæ confirmationem adeptus eſt.

Facultatum Eccleſiaſticarum integritas adeò intendit hujus Volimiri ſtudium propugnandi bona Epiſcopatus ſui, ut cùm videret, non poſſe injurias jure vindicari, ad comprimendos raptores agmen militum collegerit. Commoda ſe obtuliſſe videbatur occaſio 1259
Varcislaus Caſſubitarũ Princeps irruptiones Svantopełci Pomeraniæ Ducis in terras ſuas ulturus collecto exercitu tendebat in hoſtilem terram. Huic expeditioni cum lecta militum manu adjunxit ſe Præſul, ut ea opportunitate injurias Epiſcopatui ſuo per Ducem Pomeraniæ illatas vindicaſſet. Verùm conatibus illius non juxta animi ſententiam eventus reſpondit. Varcislaus cùm Pomeraniam vaſtâſſet, Słupiam versùs pervenit, & ut celerius hoſtiles adhuc terras popularetur, impedimenta & ſarcinas reliquit, illarumq; cuſtodiam Epiſcopo cum parte copiarum demandavit. Svantopełcus rem ita ſe habere abexploratoribus edoctus, Varcislaum in ſuis ditiones graſſare permiſit, in Antiſtitem verò cuſtodem impedimentorum exercitum movit, ac incautum adorſus, Præſule cum paucis fugâ elapſo reliquos aut delevit, aut in ſervitutem abduxit, ſpoliiſq; potitus, priuſquam à Varcislao intercipi poſſet, in caſtra & munitiones ſe recepit. *Damalevicius.*

Afflictum eo infortuniò Antiſtitem majore calamitate involvit Ducis Lancicienſis Caſimiri avaritia. Princeps hic bonis Eccleſiaſticis violentas injecit manus, caſtrumq; Raciąż Vladislavienſis Eccleſiæ occupavit. Cum iniquo Duce certavit Volimirus humanitatis officiis, ſed cùm nihil proficeret, ſacrilegum facinus cum Principe diris devovit: & terras illius abſq; ſacris

eſſe

esse jussit. Ne verò quid durius in se statueret & committeret Casimirus, Diæcesi egressus in Cracoviensi ditione Zagoviæ domicilium fixit. Dux in absentem cùm sævire non posset, in bona rabiem vertit: plures curias Episcopi cum prædiis, horreis igne sustulit: thesaurum Ecclesiæ Raciąznensis diripuit: Decanum & Canonicos Vladislavienses domibus exesse jussit: Ecclesiarum Rectores affecit verberibus, ac facultatibus spoliavit. De his omnibus certior factus Clemens IV. latam Volimiri sententiam approbavit.

Duravit in hac impietate annos plures Casimirus, donec 1267. Gvido titulô S. Laurentii Presbyter Cardinalis Clementis in Polonia Legatus Abbati & Custodi cænobii Vratislaviensis Ord: S. Augustini Canonicorum Regularium commisit, ut longam litem inter Volimirum & Casimirum dirimerent: qui Vladislaviæ congregati castrum Raciąż cum suis prædiis Episcopo adjudicarunt: Principem communioni fidelium restituerunt, postquam pro injuriis & damnis 200. argenti marcas Antistiti persolvisset, multasq; libertates ipsamq; civitatem Vladislaviam perpetuô donô contulisset Vladislaviensi Ecclesiæ. Dedit & aliud specimen suæ in Deum pietatis: Brestæ in Cujavia ædes Patribus Ord: Prædic: condidit, templum Ducali munificentiâ erexit & dotavit. *Damalevicius.*

Emit plura bona suæ Ecclesiæ Volimirus, alia non pauca multorum liberalitate quæsivit. Obiit 1271. in Ecclesia Vladislaviensi honorem sepulturæ nactus.

XIX.

ADALBERTUS

De Stemmate Wieniawa *vide p. 17*

EX Decano Vladislaviensi electus, à Gregorio X. confirmatus est. Optimô agendi modô favores & beneficia meruit Mscżugii Pomeraniæ Ducis. Princeps

ceps hic cùm Gedanum, urbem subditam, sed ad sua imperia contumacem ad officium reduxisset, ac seditionis capita punivisset, ex bonis fisco adjudicatis prædia Serobotow Wichowino, portum maris, qui *Mosty* nuncupatur, cum omnibus fructibus, tum Villas: Brod, Gogolewo, Swaryszewo, Sobkowo, Tulce, Meszczino, Postolewo, Miłobadz & medietatem pagi Czetnowo ac Mnoszyno cum effluvio, vulgo *Sluza* super Radunia flumine sito jure pleno, dominio ac proprietatibus Ecclesiæ Vladislaviensi in crastino B. Jacobi Apostoli 1283. perpetuis tabulis contulit. Eodem beneficiorum anno 1283. Nonis Decembris Adalbertus suæ Diæcesi prodesse desiit, in Ecclesia Vladislaviensi sepultus. Testimoniô Długossii *Vir spectatæ virtutis, & in pauperes religiososq; ac quoslibet inopes liberalitatis profusæ*

XX.

VISLAUS

De Stemmate Zabawa.

Tabulá est lusoria, latrunculis rubeis & albis distincta.

EX Præposito Plocensi, Vladislaviensi Canonico electus à Jacobo Swinka, Archiepiscopo Gnesnensi 29. Martii 1284. in Ecclesia cænobii Strzelnensis confirmatus & consecratus est. Novus Præsul, nobilitatem, quam illi virtus Majorum paravit, meritis ampliorem fecit: inter quæ non postremum fuit, propagandi Divini cultûs studium. Cænobium PP. Cistercensium, cujus prima initia fuerant in villa hospitali e regione civitatis antiquæ Vladislaviæ, inde Bischoviam translatum annis 70. duravit: in villam Smiesse sub regimine Engelberti Abbatis, Felix Vallis à se appellatam pro majori Religiosorum commodo transtulit, nunc Coronovum dictam. *Dlugossius Lib. VII.*

Suæ quoq; memor Ecclesiæ, ut virtutibus, quibus illam adornavit, munificentiam superadderet; ultra 20. villas

villas in ejus majorem dotem partim emit, partim donô quæsivit. Condidit prætterea ædem sacram in Komorsko, cui sortem cum area in eodem pago, marcam argenti in molendino, & decimas in villis nonnullis assignavit. Reperiebantur non pauci, qui liberalitatem in Ecclesias damnabant, de ea contendere & jure agere parati. Has malevolorum intentiones, ut impediret Vislaus, apud Casimirum Lanciciensium & Cujaviensium Ducem obtinuit legem, qua cuivis data potestas res suas mobiles & immobiles donare, & ultimis codicellis disponere non attenta affinium quorumvis retractatione. (a) Pastorali munere optime peracto, vitâ defunctus est Vislaus anno 1300. die 27. Novembris: in Ecclesia Vladislaviensi Prædecessoribus suis annumeratus.

XXI.

GERVARDUS
De Stemmate Leszczyc.

Acervus est frugibus imponendis accommodus.

CUm Episcopatum concordibûs votis Canonici huic Gervardo detulissent 1301, anno eodem à Jacobo Swinka, Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus, & in Strzelnensi D. Norberti Templo consecratus est. Præsul bonorum Ecclesiæ propugnator acerrimus, jurium Patriæ defensor strenuus, Vir consilii, Senator Reipublicæ amans. Ea tempestate Crucigeri, quos Conradus Dux Mazoviæ contra infideles Prussos conduxerat, *vide L. III.* ambitiosæ cupiditati frena laxare cæperunt.

Anno 1304. Lescus Michałoviensis & Gnievkoviensis Dux, Ladislai Locticі Nepos pertæsus captivitatis, in quam, quod Caroli Hungariæ Regis partes secutus esset, à Venceslao Bohemiæ & Poloniæ Rege recutus esset, Conrado Sacco Fratrum Domûs Teutonicorum

(a) *Damalevicius.*

per Prussiam Magistro (b) Terram Michałoviensem Premislao & Casimiro Fratribus communem, illis frustra reclamantibûs, in 180. marcis Torunensibus hypothecæ nomine obligavit ita, ut infra biennium haberet potestatem eam redimendi, secus lapso tempore, reponendæ pecuniæ spatium & locus non esset, sed Provincia ad Magistrum & Ordinem devolveretur: quæ sic stabilita Magistri & aliorum Fratrum Ordinis nominibûs munita sunt, & exemplar litterarum Duci traditum. Porro: licet tam ipse Lescus, quam Fratres sui plenam Magistro pararent solutionem, ad restitutionem Terræ Michałoviensis nusquam Ordo adduci potuit.

Huic injuriæ longe majorem addiderunt Crucigeri. Gedanum fraude Petri Szwanca Pomeraniæ Cancellarii & tota Pomerania prodebatur Marchionibus Brandeburgicis. Jam Volmarus Marchio interceptis quibûsdam castellis ad obsidendum Gedanum properabat, cui per id tempus Bogussus Judex Pomeraniæ ex mandato Loctici præerat. Cives Gedanenses, quorum pars præstantior Germani, urbem dediderunt hosti. Quo celerius huic necessitati Bogussus consuleret, nuncios facti ad Ladislaum mittit, eosq; brevi ipse sequitur, & imminens periculum exponit. Non erat in statu dandi subsidii Locticus, aliis bellis distentus. Bogussus moræ impatiens advocandos è Prussia svadet Crucigeros. Annuit Ladislaus, datq; negotium, ut rem componeret cum Ordine conditionibûs quam optimis. Convenit Bogussus Henricum de Plotzko Magistrum (c) in Prussia: & memoratis beneficiis in Ordinem ab Avo

(b) *Dlugossius L. IX.* qui etiam pactionis hujus litteras cum Conrado adducit. *Harnocht* eundem Conradum in Prussia Magistrum allegat. Porro: *Historia Prussiæ* eo tempore Magistrum, Gotfridum scribit.

(c) *Dlugossius L. IX. Historia Pruss: L. III.* hunc Henricum, magnum Commendatorē nominat: jam verò Ordinis Magistrum Sifridum fuisse asserit.

Avo Loctici Conrado collatis, majora spondet, modò essent præsidiô rebus præsentibus. Amplectuntur Crucigeri Ladislai & Bogussi postulata eo pacto, ut castrum Gedanense media parte à suis occupatum, alterâ mediâ Bogusso & Polonis relictâ, unô annô propriis tuerentur impensis; quô finitô subsequentis anni numerarent Poloni expensas, quarum solutione præstita Crucigeri castrô decederent.

Rebûs ita constitutis, Bogussus parte castri cedit, Marchiones quoq; his viribûs facile pulsi, & urbs vindicata est. Sed Crucigerorum miles viribûs & numerô superior Bogusso & Polonis gravis esse cæpit adeò, ut altera etiam castri parte cedere debuerint, ea tamen conditione: ut ad placitum Ladislai habita omnium suarum expensarum solutione absq; omni controversia Crucigeri castrô & Pomeraniâ abirent. Brevi Radzieioviam Ladislaus cum Gervardo Episcopo supervenit, & missa legatione honesta ad Ordinis Magistrum in villa Kraiowice ad Radzieiow conventum Cujaviensium celebravit. Suorum Cruciferorum consiliô adiit Magister Locticum, acceptus humaniter à Ladislao, cùm hic de castro Gedanensi occupato & ejectis ferè Polonis gravi quereretur sermone, Magister nihil quidpiam ad rem prolocutus, solas Ordinis impensas in medium adduxit: rebûsq; infectis congressus ille solutus est. Magister verò ut nominis sui memoriam relinqueret, Gedanum & alias Pomeraniæ civitates, cum Locticus Ruthenico & Lithvanicô bellô implicitus esset, juris sui fecit. Et ne in solos Principes injurius esset, in Deum & Ecclesias impius fore non dubitavit. Manipulares decimas, quæ Gnesnensi Archiepiscopo; Vladislaviensi & Posnaniensi Episcopis pendebantur in exiguas pecuniarias convertit, bona verò Ordinis ab hac etiam pensione libera fecit: plures item villas Ecclesiarum, cænobiorum dominio suo applicuit.

Interea Ladislaus, cùm Provinciæ nonnullæ, quæ ejus

ejus antea detrectabant imperium, æmulis sublatis, illum legitimum Principem agnovissent, ab omnibus Ordinibus Rex proclamatus est. Nihilominus cùm memoriâ repeterent Poloni inaugurationem Regis Premislai inauspicato stetisse, quod inconsulta Sede Apostolica ad eam processissent; Summo Pontifici supplicandum decreverunt, ut prohibitionem Gregorii VII. juberet esse irritam. Id datum est Gervardo Episcopo Vladislaviensi, ut ille hanc Pontificis gratiam impetraret, simulq; de occupata per vim Pomerania contra Crucigeros ageret, tum negatas decimas vindicaret.

Ivit Avenionem in Gallias, quo Clemens V. ob seditiones Italicas Sedem Româ transtulerat. Eam ad Sedem Apostolicam provocationem flocci pendebant Crucigeri: Gervardus tamen strenuus causæ procurator, victor extitit: super occupatione Pomeraniæ, damnis ac sumptibus inde secutis pro Ladislao pronunciatum est: additæ censuræ, contra Crucigeros nisi rei judicatæ parerent. Quo Regis spectat titulum, omni conatu adnixi Crucigeri agebant, ne is Ladislao decerneretur in Curia Pontificia. Missis itaq; qui intentionibus Polonorum obsisterent, Joannem Bohemorum Regem, induxerunt, ut Regis Poloniæ titulum usurparet, & Loctico negotium facesseret. Superavit eas difficultates Gervardus, Vir cordatus & perspicax. Breve Apostolicum à Joanne XXII, qui Clementi V. successerat, obtinuit, 1319, quo nec prohibebatur, nec permittebatur Polonis solennis Regum suorum inauguratio. Quare Præsules & Proceres Poloni per litteras Nuncii sui Gervardi meliùs de mente Pontificis instructi, diem Dominicam SS. MM. Fabiano & Sebastiano sacram, huic festivitati celebrem indixerunt. *vide Lib: I. p. 66.* Septennium integrum Gervardus in curia Pontificia pro bono Patriæ & vitam ipsam consumpsit, defunctus Avenione 1323. Ibidem in Ecclesia PP. Ord. Prædic: sepultus. *Dlugossius L. IX. Damalevicius.*

An-

Annis superioribûs irrepserant in ejus Diæcesim Begvardi & Begvinæ fæminæ. Genus hominum ex Alemannia oriundum, variis erroribûs infectum: inter quos ille non postremus erat. Afferebant illi, hominem in hac vita talem ac tantum perfectionis gradum consequi posse, qualis & quantus requiritur ad periculum peccati vitandum, nec amplius in gratia proficere valere. Lues hæc cùm se multis insinuâsset locis, etiam in fundo Złotoria nuncupato constiterat, cænobiô & Ecclesiâ S. Crucis erectâ, quæsiverat jam & possessiones aliquas. In jus vocati à Gervardo, cùm illorum impietas patuisset, cænobiô, Ecclesiâ, totâq; supellectili, ac particulâ ligni S. Crucis, nec non quibusvis possessionibûs spoliati exesse jussi sunt. *Damalevicius.*

Quemadmodum hos sua Diæcesi, ita suis movit Sedibûs FF. Hierosolimitanos, qui alio nomine Templarii dicti erant. Eorum Religio Hierosolimis orta; unde nomenclationem sortiti, quod fines & vias Hierosolimitanæ ditionis ab incursionibus hostium, & latrociniis, peregrinantibus securas redderent. D. Bernardus huic Ordini regulas præscripsit, Gelasius II. confirmavit. Plures vitâ & martyriô celebres equites hi numerârunt, sed à sancto Instituto (ut persæpe accidit) deerârunt, fecêre. Subditi illi erant Patriarchæ Hierosolimitano, à quo prima beneficia opes &bona obtinuerant; sed cum huic obedire renuerent, in varias Provincias dispersi sub Magistro Ordinis sui facultatibûs aucti vixere, at nihilo meliores, Ecclesiis injuriosi, multisq; vitiis obnoxii & ut Bulla Clementis V. indictionis Concilii Viennensis meminit, in hæresim, apostasiam, aliaq; scelera prolapsi. Clemens itaq; V. ne latius magnô Ecclesiæ detrimentô virus tantum serperet, cavens, anno 1312. Concilium Viennæ coëgit, in quo Ordinem hunc sustulit, bonaq; illius temporalia Equitibus Hierosolimitanis S. Joannis attribuit: cujus etiam decretô Magister Ordinis cum nonnullis Commendatoribus Parisiis igne publico

blico XI. Martii 1313. absumptus est. *Burius in Vitis Pontificum.* Magistrum igne exustum anno 1312. scribit. *Dlugossius L. IX.*

Contra hos equites statuta strenuè exequi curavit in sua Diæcesi, obtinuitq; ut illis, pulsis, eorû bona authoritate Apostolica Ecclesiæ Vladislaviensi adjungerentur: censuræq; latæ essent in univladislaviensem urbem, si illorum Commendatori adhærere aliquando ausa esset. Ita intra paucos annos vigil Præsul tribus Ordinibus Sacris & Religioni perniciosis lite intentatâ victor extitit nominis sui immortalî memoriâ.

XXII.

MATHIAS I. GOLANCZEWSKI

De Familia Toporeorum.

PAtre Sławnico Castellano Naclensi, Matre Margaretha genitus. Hæc uno partu duodecem filios enixa esse scribitur *à Dlugossio L. IX. Cromero L. XI* ex quibus sacro fonte levatis hic Mathias superstes ad dignitates in Polonia crevit. Omni curâ Parentum alebatur in spem magnam, cùmq; animum optime litteris excoluisset, seq; cultui Divino & Ecclesiæ obsequiis consecrâsset, brevi in Capitulo Vladislaviensi Decanus eminuit. Indolem Viri ad quævis aptam advertit Gervardus iturus Avenionem, quare viæ & negotiorum comitem assumpsit. Enituit in rebus tractandis dexteritas illius & prudentia, eamq; existimationem in aula Pontificia nacta est, ut cùm Gervardus humanis ereptus esset, Joannes XXII. Mathiam Vladislaviensi Ecclesiæ præfecerit, & ab Episcopo Prænestino Cardinale consecrandum curaverit. Rediit in Poloniam & obiti muneris contra Crucigeros gloriâ, & Præsulea dignitate insignis, à Loctico & omnibus Ordinibus fausta acclamatione acceptus.

Censuræ in Crucigeros latæ, quæ eorum malitiam flectere debuerant, in furorem verterunt. Pomeraniam occupâsse Ordo non satis habuit, Dobrinensem Terram frequenti Lithvanorum irruptione vastatam in tantam solitudinem ferro flammisq; redegit, ut eâ Ladislaus Dux Ladislao Poloniæ Regi cedere adactus fuerit: quin & Cujaviam Venceslaô seu Vankone Mazoviæ Duce suppetias ferente populatus est. Has injurias Rex ulturus expeditionem indicit, copias conquirit, & lecto exercitu Culmensem terram percurrit ferrô & flammis sæviens. Venceslai quoq; Mazoviæ Ducis perfidiam pro datis Crucigerorum Magistro subsidiis meritis pænis afficit. Non erat in statu Vernerus ab Orsele Ordinis Magister, ut in aciem prodiret cum Loctico: sed brevi auctis viribûs Regis Bohemiæ milite, Dobrinensem ditionem subegit, annô vero 1329. ingenti calamitate Vladislaviam & totam viciniam implevit & oppressit.

Disterminatur illa fluviô Vistulâ à Dobrinensi Tractu, sed cùm se in officio continerent Crucigeri, illorum irruptionem minime sperabat: cùm ecce ex improvisô numerosô agmine eam invadunt, & primo impetu in Cathedralem Basilicam, ædesq; Canonicorum irruunt. Furori non obstitit Sacrorum reverentia & Divorum metus; Ecclesiam opibûs, ornamentis spoliant, & quidquid immanis ferocia agere poterat, omnia perpetrant. Ædem sacram cum Divorum Reliquiis incendunt, pluriumq; cæsorum hominum in ipso templi ambitu cruorium q; cæsorum hominum in ipso templi ambitu cruore undantes flammas irritant, civitatem & villas in favillam redigunt. Nec sævire contenti, tam improbi facinoris vestigia ut transirent ad posteros, omnibus sub pæna capitis inhibent, ne aliquod ædificium e miserabili busto suscitare auderent. Cedendum erat tempori; sed anno sequenti meliora sperare jussi Cujavienses incolæ memoriam priorum ædium e ruderibus sublevabant. Oppugnabat tum Vernerus Naclense castrum

strum, quo incensô rerum Cujaviensium famâ permotus in eam Provinciam copias duxit, easq; arci Raciąż (paret illa Vladislaviensi Episcopo) admovit: variis machinis arietabat munitionem non absq; suorum damno, sed cùm puteum obsessis ademisset, decimoquarto die per deditionem illâ potitus est. Plurimam ibi prædam reperit, plurimosq; nobiles & plebejos in servitutem abduxit, quos, afflictam hominum illorum sortem misertus Præsul, 400. marcis Polonicis redemit. Quia vero in castrorum expugnatione non pauci insignes e Crucigeris desiderabantur, in rabiem quandam actus Magister, suorum parentando funeribus, nulli ætati, nulli parcens sexui in obvios quosq; nece crudelissima sævit.

Ea Provinciarum & sacrorum vastitas determinavit Ladislaum ad vindicandas bello injurias. Vincentius Szamotulius Posnaniensis Palatinus, Majoris Poloniæ Generalis Præfectus ob munus sibi ademptum infensus Loctico partes Crucigerorum secutus erat: tantô administrô hostis Majorem Poloniam Siradiensem regionem infesta strage peragravit: sed sibi redditus Vincentius & Ladislao reconciliatus cladis Crucigerorum causa non postrema extitit. Dies 27. Septembris D. Stanislai E. M. Translationi sacra anni 1331. decidit belli fortunam. Hæc ut Polonis fausta, sic Crucigeris fuit infelix prope Radzieioviam ad pagum Płowce. Eo conflictu cæsa scribuntur *à Cromero L. XI.* Teutonum 20000. *à Długossio L. IX.* 40000. Poloni ex promiscua multitudine 30. ex nobilitate 12. occubuerunt. Tam parva suorum clade ea victoria Polonis constitit, Deo ipso immanem ferociam Crucigerorum ulciscente.

Hæc sors Poloniæ ut vires & superbiam Ordinis attrivit, sic Regiones Polonas in spem melioris fortunæ erexit, animumq; addidit ad ædes innovandas, instituendas colonias. Mathias primam adjecit curam ad excitandam è cineribus Principem Diæcesis suæ Basilicam

licam: in primordiis translatæ Sedis Crusvicià Vladislaviam erecta illa fuerat in honorem Deiparæ Virginis ad ripas Vistulæ; verùm fluvius violenta celeritate defluens cùm nocivus esset vicinis ædibus, in remotiore loco sub eodem titulo aliam à fundamentis posuit, quam Sbilutus ejus in Sede Successor perfecit. Condidit & alteram, quam cultui S. Vitalis M. dedicavit. Arces binas, unam Vladislaviæ, alteram Raciązi a Crucigeris fœde vastatas, restauravit. Reditus hostium incursione frequenti diminutos auxit bonis partim emptis partim commutatis, aliquibûs etiam donô quæsitis. Quadraginta duobûs annis Vladislaviensem Ecclesiam rexit, laboribùs & seniô confectus, oculorumq; officiô destitutus regimen illius Sbiluto Præposito Vladislaviensi Nepoti suo cessit: Ipse anno post quarto 16. Maji 1368. obiit, in sacrario templi Vladislaviensis tumulo illatus, quem locum ipse vivens adhuc elegerat.

XXIII.

SBILUTUS GOLANCZEWSKI

De Familia Toporeorum.

SBiluti Castellani Posnaniensis & PhilomennæFilius, superstite Mathia Patruo, consentiente Capitulô Roma probante in Præsulem consecratus primitias officii domo Dei consecravit. Mathias Patruus Ecclesiam Cathedralem Vladislaviæ struxerat, eam Sbilutus perfecit & fabricæ fastigium apposuit, varia supellectili aurea & argentea, libris adornavit. Multa idem ædificia in Pomerania ex solido muro erexit. Eam partem Ecclesiæ Brestensis Ord. Prædicatorum, in qua divinas laudes psallere mos est Religiosis, ab hoc Antistite ædificatam prodidit memoriæ Dlugossius, oppidum à nomine suo Sbiludka dictum & in eo templum S. Dorotheæ condidit & dotavit. Zukoviensem Ecclesiam consecravit: Coronoviensi cænobio, ejusq; Abbati plures deci-

decimas ad augendam dotem attribuit. In vindicandis decimis à Ladislao Duce Opoliensium, Tractûs Dobrinensis possessore, qui eas dari Ecclesiæ Plocensi vetabat, strenue Dobieslaum Episcopum juvit; cùm enim Dobieslaus in Ducem censuras Ecclesiasticas extendisset, Sbilutus in arce Złotoriensi Principem Episcopo Plocensi æquis conditionibûs amicum fecit & familiarem. Fatis cessit 30. Junii 1383. in Ecclesia Vladislaviensi, tota Diæcesi optimoPastori lachrymis parentante ad cornu Epistolæ aræ majoris sepultus.

XXIV.

TROIANUS

De Stemmate Leszczyc vide p. 28.

UT in humanis esse desiit Sbilutus, Drogossius de Kroberz Siradiensis Præfectus stirpis Toporeæ omni contentione institit, ut suus germanus Nicolaus Vladislaviensis Primicerius in Episcopum eligeretur, id ut extorqueret, castrum Olborz omnesq; proventus bonorum illius occupavit. Verùm Canonici hoc violento Drogossii progressu minime moti, die 2. Augusti electionem novi Pontificis instituerunt, & per compromissum Trojanum Præpositum Posnaniensem, Vladislaviensem, Canonicum. nobilitate & virtute conspicuum elegerunt: quem licet Bozanta Archiepiscopus Gnesnensis confirmasset, consecrationis tamen munus impendere eidem detrectabat, expostulationibûs Siemoviti Ducis, (qui tum Cujaviam moderabatur) interpellatus, quòd Vladislavienses Canonici assensu suo non requisito ad electionem ejus accessissent. Stantibûs his obstaculis, cum Troianus adverteret, se non facile Sedem Vladislaviensem aditurum, ne causa turbarum foret, favori Canonicorum renunciavit.

XXV.

JOANNES KROPIDŁO DUX OPOLIENSIS.

STante Schismate universalis Ecclesiæ Urbanus VI. electus Papa, ut in obedientia Sedis Apostolicæ nobilissima Poloniæ & Hungariæ Regna conservaret, indulgendum putavit postulatis Sigismundi Marchionis Brandeburgensis, Ludovici Regis generi, & Ladislai Ducis Opoliensium, qui tum in utroq; Regno magna pollebat authoritate. Itaq; Trojani electione, cui ille renunciaverat, reprobatâ, hunc Joannem ex Sede Posnaniensi ad Vladislaviensem promovit.

Kropidło ex innata ambitione Episcopatu hoc non contentus, post obitum Bożantæ Archiepiscopi Gnesnensis ad Metropolitanam aspiravit Sedem, quam Jagellonis Regis consensu sive neglectô, sive contemptô, operâ Ducum Opoliensium Fratrum suorum à Romano Pontifice obtinuit quidem, sed & Vladislaviensem amisit, & Gnesnensem non adiit. *vide Lib. I. p. 74.* Sic utroq; Episcopatu Joanni spoliato exiguum tenuemq; in Pomerania Camiensem Sedem Bonifacius IX. contulit. *Dlugossius Lib: X.*

XXVI.

HENRICUS DUX LEGNICENSIS.

VEnceslai Ducis Filius, Decanus Vratislaviensis. Cum Kropidło ex Vladislaviensi Ecclesia ad Gnesnensem authoritate Bonifacii IX. translatus esset, ejusdem Pontificis voluntate hic Henricus Vladislaviensi anno 1389. præfici obtinuit cujus possessionem facilè adiit Rege Jagellone annuente. Vratislaviæ ferè assiduus mansit, ne tamen solicitudine aliqua de providendis rebus ad cultum Divinum necessariis angeretur, decimam mensæ Episcopalis in bonis Osviczewo Procuratori Capituli assignavit ita, ut is quotannis rationem red-
deret

deret Episcopo perceptæ & exposita in eum finem pecuniæ. Eo Episcopatum gerente accessit Vladislaviensi Ecclesiæ villa Trzebatowo, liberalitate Sandivogii de Szubino Palatini Calissiensis Lanciciæ Feriâ quartâ intra Octavam SS. Trinitatis 1397. inscripta. Henricus anno sequenti 1398. obiit Legnicíæ 12. Decembris, Vratislaviæ in Cathedrali Basilica sepultus.

XXVII.

NICOLAUS I. KUROWSKI

POst fata Nowodworscii, Gnesnensis Archipræsul. *vide Lib: I. pag: 75.*

XXVIII.

IOANNES II. KROPIDŁO.

PLurimis difficultatibus, ærumnis, omnium rerum penuriâ afflictus Kropidło non amplius ausus est ad negatum semel fastigium aspirare, congruum & proficuum duxit, si denuo ad Vladislaviensem Sedem, quâ non ita pridem exciderat, sibi pateret regressus. Laborabat hac in re Bonifacius IX. Apostolico fretus jure, sed Jagello in reditum hominis Regno & sibi infensi minimè consentiebat: hinc factum, ut biennium Vladislaviensis Sedes vacaret. Tandem obfirmatum Ladislai animum humiles Bernardi & Boleslai Ducum Opoliensium preces expugnârunt. Annô itaq; 1404. Vladislaviensi Cathedræ Joannes restitutus est.

Erat ille Vitoldo, Magno Duci Lithvaniæ charus ob jocos festivos & liberiorem lingvam, qua Princeps hic delectari videbatur. Sigismundus Bohemiæ Rex electus Romanorum Imperator sive officii & humanitatis, sive negotiorum tractandorum causâ venerat ad Ladislaum Jagellonem, à Rege & hospitii & majestatis dignitate acceptus. Conventui & mensæ Regiæ aderat Kropidło: & cùm Principes fæcundis calicibûs diser-
tiores

tiores esse cœpissent, Sigismundo æquô majores sibi laudes heroum arroganti dixisse fertur: *Sile ô Rex, neq; Te de felici Regni Tui gubernatione extuleris; solus inter optimos Reges censeri potest Alexander Vitoldus* (in sacro fonte hic nomen Alexandri sortitus erat) *Magnus Dux Lithvaniæ. Tu & Ladislaus minùs apti Regno estis; unde si mihi divinitus foret copia serendi Reges, nullos Sigismundos aut Jagellones, plurimos autem Vitoldos sererem.* Hæc Joannis vox liberior risu non tamen absq; offensa excepta est. *Damalevicius in Vitis Episc: Vladislav:*

Quantum spectat officium Præsulis, in eo obeundo erat sedulus. Ut decimas suæ Ecclesiæ ex bonis Lubiszew, Richocin, Rownino, Komorowo vindicaret, Judices à Sede Apostolicâ impetravit, quorum sententiâ Episcopo Vladislaviensi attributæ sunt. In eodem judicio movit litem Clementi de Moskorzewo Castellano Vislicensi, & Petro Kmita Palatino Sandomiriensi, Olboriæ & villarum annexarum iniqua usurpatione possessoribus causamq; obtinuit. In hoc maximam tulit laudem, quòd Vladislaviensem Basilicam frequenti præsentiâ Collegii sacri adornaverit: præbendis inter Canonicos divisis; ita, ut singulis Prælatis 20. Præposito soli 30. Canonicis viritim 15. marcæ grossorum Pragensium cederent: in studiis verò alicujus universitatis de licentia Episcopi commorantes alterum tantum debitæ pensionis perciperent.

Cùm verò per indictum Concilium Constantiense à Joanne XXIII. pax universali Ecclesiæ rediret, Concilio huic præter Nicolaum Trąba Archipræsulem Gnesnensem, aderat Joannes hic Vladislaviensis, Andreas Lascary electus Posnaniensis, Jacobus Plocensis Episcopi, cum Legatis aliis Ladislai Jagellonis. In hoc Orbis theatro enituit horum Poloniæ Præsulum in rebus Ecclesiæ dexteritas & prudentia *vide L. I. p. 78.* Reduces à Concilio Antistites purpureo vestitu nitentes, galeris tantùm nigris à purpuratis S. R. E. Patribus distincto

solen-

solenni apparatu cum suo Rege accepit Polonia. Tertiò demùm annô, 1421. mors e vivis sustulit Joannem. Vitæ diem supremum ubi sibi imminere advertit, delicta summo animi dolore & continuis eluebat lachrymis. Opolii in medio Templi PP. Ord: Prædic: sepultus.

XXIX.

JOANNES III. PELLA NIEWIESZ

De Stemmate Wieniawa vide p: 17.

CUm frequentes Nuncii famam de obitu Joannis certam redderent, Canonici congregati hunc Joannem Patre Adalberto Tribuno Siradiensi, Matre Margaretha ortum, Præpositum Crusviciensem Vladislaviensem & Sandomiriensem Canonicum elegerunt. Electi confirmationem nonnihil retardavit apud Sedem Apostolicam Pauli Rusdorffii Magistri Prussiæ ambitiosa temeritas; qui jus patronatûs Ecclesiæ Vladislaviensis, eo quod Pomeraniam occupasset, sibi deberi prætendebat, cujus specie, initiô, magis aures benevolas Martini V. habuit ita, ut Jacobum Plocensem ad Ecclesiam Vladislaviensem transtulerit, Joanni verò Plocensem designaverit. Hac Episcopatuum commutatione contra mentem suam per Pontificem summum facta indignatus Jagello, Jacobum Plocensi etiam Sede movere intendebat, nisi hic translationis suæ apprehensionem ejurâsset. Rex verò multis ex rationibus novam expeditionem in Magistrum & Ordinem apparare in animum induxit: quibus malis ut mature obviam iret Martinus, electionem Pellæ ratam habuit.

Hic Præsul quanti esset in Patriam amoris, patuit in congressu ad Solec per Antonium Zenonem Apostolicum Nuncium designato. Rex Ladislaus bellorum cum Crucigeris pertæsus, non abnuebat pacem, modò hæc æquis conditionibus coalesceret: in eum finem Pontifex Legatum suum supra nominatum Zenonem expedivit:

divit:

divit: qui in conventu prædicto multum operæ posuit, ut mutua inter Regem Poloniæ & Crucigeros iniretur concordia. Ladislai nomine erant Legati: Joannes Pella, Vladislaviensis, Jacobus Plocensis, Episcopi: Sbigneus de Olesnica, Cracoviensis ad S. Florianum Præpositus, Mathias de Łabiszyn Brestensis, & Janussius de Koscielec Junivladislaviensis, Palatini. Jam ad firmanda perpetuo robore pacta erat munimentum litteris signatum, cùmq; partibûs probantibûs legeretur, ecce dolosam machinationem Crucigeri obvolvunt religionis specie; dum instrumento fœderum addi postulant, ut illud non diuturnius esset, quam Imperatori ac summo Pontifici visum foret.

Deprehenderant & Poloni fraudem Crucigeris à Sigismundo Imperatore insinuatam; ad cujus notitiam tali pervenerunt casu. Ferebat litteras à Sigismundo ad Magistrum in Prussiam vir agrestis mendici vestibus insutas, ut faciliùs arcanum tegeretur. Is in oppido Koninin cùm in morbum incidisset, vi illius oppressus, antequam animam egisset, enixè rogabat, ut suæ vestes Toruńium ad Commendatorem Crucigerum deferrentur. Ejusmodi petitionem cùm nemo curiosiùs observaret, vectigalis Koninensis quæstor insolitum extremæ voluntatis indicium admiratus, rem totam Sbigneo de Olesnica detulit. Hic minimè cunctatus, misit, qui vestes mendici studiose scrutaretur; illis excusis inventæ litteræ Sigismundi vilibus insertæ pannis, quibûs Imperator omnes Polonorum copias in Bohemiam Duce Sigismundo Korybuto contendisse significabat: hortabaturq; Crucigeros, ut opportunitate uterentur, interpositoq; ad arbitrium Papæ aut Imperatoris fœdere Polonos ex improviso adorirentur.

Hanc fraudem astu velatam edocti Poloniæ Legati Zenoni aperiunt: in publico verò congressu Joannes Vladislaviensis Præsul justâ commotus irâ, dolum hunc exprobravit Crucigeris. *Veniet tempus* inquiebat ille *quo*

quo Commendatores in penetralibus castrorum abditi, milites cives ipsorum conjuges & filiæ pœnas spretæ pacis dabunt, justô Dei judiciô tot injurias ulciscente. Nec pudet vos veteratoria calliditate fucum obducere candori Regis Nostri, & tot ludibriis pacis studia à vobis quæsita lacessere? atq; cùm jam toties fœderum ictorum fidem fregeritis, quid etiam nunc religionis & obedientiæ specie nos fraudibûs involvere, Deo tamen vestras machinationes nostræ integritati manifestante, molimini? Has litteras astuum vestrorum testes, publicè Sigismundi epistolám ad Ordinis Magistrum dátam protulit: *legitote* Itaq; pace infecta utrinq; lacessitis animis discessum est. *Damalevicius. Dlugossius Lib: XI.*

Egit multa Antistes hic & pro bono suæ Ecclesiæ. Antecessor illius Kropidło ut Canonicos ad Ecclesiam Cathedralem residentes faceret, certam dotem illis assignavit, eam Pella auxit, quam illius liberalitatem Metropolitanus Gnesnensis sua approbatione firmam fecit: à Rege quoq; Ladislao aream ad oppidum Solec pro ædificanda ad Vistulam curia & granario in commodum Ecclesiæ suæ impetravit. Sic de Patria & sua Cathedra meritus 1427. Feriâ 2da Paschæ paralysi tactus obiit, Vladislaviæ in Principe Basilica ad aram SS. Trinitatis sepultus.

XXX.

IOANNES IV. SZAFRANIEC
De Stemmate Starykon

In campo rubro equus est coloris albi cum aureis soleis, exhibens currentis speciem.

PEtro Szafraniec de Luczyce Subdapifero Cracoviensi, & Catharina Matre genitus. In Vladislaviensi Capitulo licet nullum haberet locum, cùm Decanus tantùm Cracoviensis esset, Regniq; Cancellarius, promovente Ladislao Rege à Vladislaviensibus Canonicis ad vacantem Sedem invitatus, à Martino V. confirmatus

tus eſt. Vir candidi ingenii, ad ſublevandam inopum fortunam liberali manu promptus, vitâ integerrimâ & defenſione jurium Eccleſiæ commendatus.

In rapinis, populatione, diuturna aſſvetudine efferati Crucigeri tempora hujus Præſulis miſerè afflixerunt. Jagello 1428. ut decus novæ civitatis Nieſſavienſis ampliaret, Eccleſiam Collegiatam Cruſvicienſem hoc Joanne conſentiente, auctis reditibûs ad Ædes S. MARIÆ Nieſſaviam tranſtulit; ſed eo in loco vix triennium ſubſtitit ſacrilegô Crucigerorum incendiô deleta. Hanc eorum ferocem veſaniam deſcribit Długoſſius L. XI. ſub Anno 1431. *Paulus de Rusdorff Magiſter Pruſſiæ, cum Commendatoribus, & ſubditis ſuis, id probantibus --- pace perpetua circa lacum Melno concluſa, temerata, accerſita etiam Magiſtri Livoniæ, gentium ſuarum & ſtipendiariorum plurimorum multitudine, in tres exercitus partita, Regnum Poloniæ cum pompa magna hoſtiliter poſt feſtum S. MARIÆ Virginis ingreditur. In oppidum Nieſchaviam igne ſævitum eſt, quoniam novis tectis & auſpiciis, Torunium vicinum ſibi, redigeret in ſolitudinem, & omnes domus illius ſumptuoſæ & nobiles, multis impenſis ex muro & lignis factæ, demolitæ ſunt: quatenus oppidi prædicti deleta memoria & nomine Torunium ad priſtinam gloriam & formam reſurgeret. Civitatem inſuper Vladislavienſem, & Eccleſiam Pontificalem S. MARIÆ Virginis, cum caſtro, omnibus calicibus, libris, ornamentis, & clenodiis ſpoliatam, igne ſubjecto vaſtarunt. Et quo latius ſub brevi tempore vaſtitatem per ignem, Regno Poloniæ & damna Magiſter Pruſſiæ irrogaret, præmia incendiariis propoſuit, ut omnis exuſtor villæ, unam marcam, oppidi verò tres marcas communes ex ærario publico, pro labore & munere acciperet: Quo effectum eſt, ut gentes ſuæ cum pro gratificatione obſequii, tum pro ſpe retributionis, per terras præfatas Dobrinenſem & Cujavienſem late diſperſeq; decurrerent, & intra paucos dies, ſingula oppida, villas & curias igne delerent, nihil intactum, nihil inviolatum, nec ipſa quidem Divorum templa*

pla relinquentes, omniaq; Divina & humana tecta flammis conſumendo, bellum nefarium cum hominibus, Diiſq; geſſere. Hactenus Długoſſius.

Cives quoq; Gedanenſes proſperis Crucigerorum ſucceſſibûs ſuperbi curiam Epiſcopalem in monte Civitati imminente ſitam, in qua Officialis Vicarius in Spiritualibus manere erat ſolitus, quæq; pro aſylo erat oppreſſis, ſolô æquarunt. Injuriæ hujus cauſam egit in curia Romana Joannes, eamq; lucratus eſt: in ſolutione expenſarum, in ædificatione ædium cives condemnati, intra certum tempus ſub cenſuris graviſſimis decreto Sedis Apoſtolicæ parere juſſi ſunt. Diæceſis ſuæ & Eccleſiarum ærumnis ac peſte, quæ tanta mala ſecuta eſt, conſumptus ſexto regiminis anno, Chriſti 1433. die 28. Julii. Corpus, ut mandaverat, Cracoviam delatum in Principe Eccleſia Urbis illius in ſacello S. Stephani ſuis & Petri Fratris Cracovienſis Palatini impenſis erecto & dotato juſto honore ſepulturæ mandatum eſt.

XXXI.

LADISLAUS OPOROWSKI.

IN Metropolitana Gneſnenſi Sede Vincentio Kot ſucceſſit. *vide Lib. I. pag. 91.*

XXXII.

NICOLAUS II. LASOCKI

De Stemmate Dołęga

In campo cæruleo ſolea albi coloris erecta, cruce deſuper inſignita, cujus medium occupat ſagitta ferrô deorſum inclinata.

MIchaële & Grymislavâ Parentibûs natus indolem optimis moribûs & litteris poſtquam excoluit, ad maxima idoneam reddidit. Promptam in agendo dexteritatem Nicolai expertus Jagello, Canonicum Cracovienſem adhuc ire Romam juſſit, ut terram Lublinenſem pro Diæceſi Chełmenſi recens erecta à Sede Apo-

Apostolica impetraret. Ad vota Regis perfecit negotium Nicolaus, sed id ne suum effectum haberet, obstitit & impedivit Sbigneus Cracoviensis Antistes. *vide Dlugossium Lib: XI.* Ladislaus quoq; Poloniæ Rex & electus Hungariæ in multis habuit probatam Viri hujus virtutem, quare in Hungariam abiens eum viæ & consiliorum accepit comitem. Illi adscripsit Croatiam, Dalmatiam, Sclavoniam à jugo Turcico vindicatam: Ejus operâ cum Elisabetha Regina Hungariæ æquis conditionibus pacem composuit: Joannem Huniadem plurimis victoris Orbi notum, supremum exercituum Hungariæ Ducem instituit, cujus bellica virtute gloriosus Turcarum Victor exstitit.

Ad Fridericum Cæsarem, Nicolaum V. Legatus nominis & rerum gestarum gloriam per Orbem circumtulit. Pontificis hujus illos affectus meruit, ut Collegio Cardinalium ejus voto adsciscendus esset, prius talem Episcopum voluit: & quia post translationem Oporovii ad Gnesnensem Metropolim Vladislaviensis vacabat Sedes, eam Nicolao detulit. Casimirus, qui Ladislao Fratri post cædem Varnensem in Regem Poloniæ electus successerat, tulit ægre hanc Lasoccii promotionem; Vladislaviensem enim Episcopatum Gruszczynscio destinaverat: quam obrem misso in urbem Petro Pniewski Canonico Gnesnensi pro Gruszczynscio Sedi Apostolicæ fuit supplex: & cùm Pontifex ac Nicolaus juri suo non cederet, Casimirus Episcopum à Roma designatum aditu & possessione bonorum Vladislaviensis Ecclesiæ prohibuit; Magister vero Crucigerorum mandato Papæ obtemperans ejus Procuratorem in Pomerania admisit.

Suas intentiones inverti doluit plurimum Casimirus, earum ut compos fieret, non despondit animum, & Creslaum de Kurozwęki Lublinensem Castellanum, Thomam de Strzamba Cracoviensem Canonicum Romam expedivit, qui Regia postulata deferrent supremæ Sedi, & Gruszczynscium Vladislaviensi Ecclesiæ impetrarent; sed frustra fatigati Nuncii, rem Lasoccii Pontifice, & Romanâ Curiâ fortiter tuentibûs.

Universi Regni Proceres cùm tanti Viri promotionem haberent gratissimam, & ejus in Patriam reditum magnô desiderio præstolarentur, Sophiam Reginam Casimiri Matrem impetrârunt, ut vel hæc offensum Regis animum mitiorem Nicolao efficeret. Audiit preces Matris filius, suisq; litteris Lasoccium in Poloniam invitavit. Parabat ille iter in Patriam sed morbo epidemiæ infectus, cum reparandæ sanitatis causâ in villam, quæ Plebs Turni dicitur prope Camerinum divertisset, ægritudine nihil remittente diem clausit extremum 1450. die 9. Septembris, in Ecclesia Camerinensi sepultus.

XXXIII.

IOANNES V. GRUSZCZYNSKI

AD Cracoviensem, demum ad Gnesnensem Sedem translatus *vide Lib: I. pag: 96.*

XXXIV.

IOANNES VI. LUTECUS

EX Vladislaviensi Cracoviensis Antistes. *vide Lib: I. pag: 316.*

XXXV.

IACOBUS SIENINSKI

IN Gnesnensi Metropoli extremum diem obiit: *vide Lib: I. pag: 97.*

XXXVI.

SBIGNEUS OLESNICKI

AD Gnesnensem Cathedram assumptus est. *vide Lib: I. pag: 104.*

XXXVII.

XXXVII.

ANDREAS II. OPOROWSKI

De Stemmate Sulima

Aquila est dimidia alis expansis, cujus pars inferior tribus lapidibus quadratis in formam triangularem insignita est.

IN locum Sbignei ad Metropolitanam dignitatem assumpti, hic Andreas ex Premisliensi Episcopatu substitutus est. Paulum de Chotkowo, suum olim in Academia Cracoviensi per annos undecem Professorem in Episcopum Plocensem consecravit. Officium ProCancellarii Regni ad latus Regium longiùs eundem in Lithvania detinuit. quare Ecclesiam Vladislaviensem non adiit. Moverat quidem Vilna 1483, sed gravi correptus febrî Merecii in viam æternitatis abiit. Ut vivens disposuit, Vladislaviam mortuus delatus est; cui Ecclesiæ ob memoriam Pontificatûs, 1000, aureos ultima voluntate designavit.

XXXVIII

PETRUS I. MOSZYNSKI

Navi pro Stemmate insignis.

CAsimiri Regis favore ex Premisliensi Sede ad hanc probante Sixto IV. translatus est. Vir morum gravitate insignis, doctrinâ magnus, Religione in Deum, pietate & mansvetudine major. Præfuit Ecclesiæ Vladislaviensi annis novem. Callimachum Hetruscum à S. Geminiano, Virum doctrinâ excellentem & rerum experientiâ probatum, Filiorum Regis Magistrum singulari fovit honore, cujus non postremas laudes meruit. Vir hic in præfatione ad Libros de rebus gestis Ladislai Poloniæ & Hungariæ Regis, Casimirum Regem alloquitur: *Petrum de Bnino Episcopum Vladislaviensem Deus nasci Rex invictissime in Regno Tuo voluit, non solum, ut esset in his, quæ ad rem Divinam attinent, quoddam priscæ sanctitatis specimen, verèq; Religiosorum Pontificum imago, sed etiam ut haberes in humanis consiliarium prudentiâ, fide, constantiâ, gravitate antiqua præditum.* Mathias vero Drzewicki, qui obiit in Archiepiscopatu Gnesnensi in Epistola ad Antonium Maurocenum hoc elogium Petro transcripsit: *Fuit Vir non solum ingeniô præstanti, ac doctrinâ singulari, sed omnium quoq; divinarum humanarumq; rerum cognitione ac prope experimentô prudentissimus.* Exuit mortalitatem 1493. die 7. Martii in Ecclesia Vladislaviensi sepultus: cui honorem sepulchri de marmore curavit Callimachus cum hac inscriptione *Petro de Bnino Vladislaviensi Pontifici Religioso & sapienti positum procuratione Callimachi anno 1493.*

XXXIX.

CRESLAUS KUROZWANSKI

De Stemmate Poray

Rosa est quinque foliorum coloris albi.

LOngî rerum experientiâ & indoles optime probata maximis negotiis tractandis fecit idoneum. Cancellarius Regni primùm, brevi ad Vladislaviensem promotus Sedem, ab Alexandro VI. confirmatus molestum Cancellarii munus ad vitæ tempora sustinuit. Joannes Albertus injurias à Turcis illatas ac si vindicaturus, sub specie belli cum Ottomanis, Stephanum Moldaviæ Palatinum subjugare intendebat. Hæc Regis intentio Creslao Viro perspicaci & ad omnia attento non potuit non esse nota; quare dehortabatur sæpius Joannem a proposito: sed vice quadam Rex familiari admonitione offensus Creslaum corripuit: *Abiret Sacerdos, sacrorum non belli curam gereret; se vel subucculam suam crematurum, si eam consiliorum suorum consciam esse sciret.* Ivit, & se, totumq; exercitum in summum di-

scrimen conjecit. Rex vix fugâ evasit periculum: mul-
ti sub sylva Bukowina dicta in acie cæsi, multi abdita
quærentes, alii interempti, alii capti ad suum Palatinum
perducti, quos Stephanus, ut furori barbariem adderet,
& sibi suisq; Satrapis crudele spectaculum proponeret,
interfici mandavit. Hac Polonorum clade nondum
contentus, cum suis Valachis, Turcis & Scythis irruit
in Russiam; & cùm nemo esset, qui hosti resisteret, præ-
ter armenta, aliamq; prædam, tot hominum millia utri-
usq; sexûs in servitutem abegit, ut mancipiis Thraci-
am, Macedoniam, Scythiam & Asiam impleverit. *Cro-*
merus L. XXX. Tanti constitit Creslai consilium à Re-
ge contemptum.

Ut Senatorem & Ministrum optimum Patriæ e-
git Creslaus, ita æque administravit boni Præsulis offi-
cium: disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ in nonnullis locis
labì cæperat, investigator & custos sedulus. Abusus in
administrandis Sacramentis, divinorumq; officiorum
celebratione diligenti visitatione emendavit. Rerum
Divinarum peritos, & vitæ exemplô commendatos in
locum rudium & remissorum in suo munere Rectores
Ecclesiarum substituit: & ut ad suas Ecclesias essent as-
sidui, seria animadversione compulit: eamq; in rem ut
salubrius Diæcesi providisset, Synodum in Archidaco-
natu Pomeraniæ congregavit. Sacrum Missæ officium
de SS. Trinitate per Vicarios in Ecclesia Cathedrali
decantari ordinavit, certa dispositione argenti in per-
petuam dotem relicta: quod quia in alios usus conver-
sum est, Alexander Rex hanc piam Præsulis institutio-
nem innovavit. Ut gregem salutari doctrina excultum
redderet, fuit supplex Alexandro VI, ut in sua Princi-
pe Basilica Verbi Divini præco dotem in Canonicatu
Joannis à Łukow haberet; tam justo Creslai postulato
annô 1501. benigne annuit Sedes Apostolica. In bo-
nis suis Szanc Ecclesiam de lapide secto quadrato 1498
erexit: ejus Præposito ac aliis Sacerdotibus dotem as-
signa-

signavit, cum ea obligatione, ut quotidie canerent offi-
cium de Beata Virgine.

Cæperat non parvis impensis arces incuriâ Præde-
cessorum labentes instaurare, sed liberalem Antistitis
manum mors intempestiva cohibuit: post novem an-
norum regimen Olboriæ 5. Aprilis 1503. vitam in
melius mutavit: in Ecclesia Vladislaviensi conditus,
ante aram SS. Trinitatis, cujus tumulo incumbit lapis
marmoreus à Joanne Łaski grati animi testis compara-
tus cum hac inscriptione: *Joannes de Lasko Archiepisco-*
pus Gnesnensis, alumnus suo Patrono Creslao de Kurozwękî
Episcopo Vladislaviensi capulum condit vita functo Olboriæ
1503. die 5. Aprilis. Munificentiæ illius monumenta,
quæ ultimâ voluntate disposuit, in Ecclesia Vladislavi-
ensi extant: Aqualis crystallinus argentô obductus,
justæ magnitudinis pelvis argentea, crux aurea gem-
mis adornata, duæ Pontificiæ mitræ gemmis & pretio-
sis lapidibus textæ, quæ aliis in ærario hujus Basilicæ
nitentibus pretiô & magnitudine lapidum ac gemma-
rum præstant: item pedum Episcopale inauratum affa-
bre elaboratum.

Et quia Domus hæc conversa est in Familiam
Męcinscianam, (a) quam non tantum Viri in Polonia
Senatoriis curulibûs distincti, sed etiam sangvine fusô
gloriosus Christi Athleta Adalbertus Męcinski S. J.
1643. die 23. Martii fecit purpuream; non abs re exi-
stimo, dum vitâ ejus prætermissâ, (a multis hæc de-
scripta habetur) epistolam hujus Martyris ex Historia
Collegii Posnaniensis S. J. annecto, quam ille ad Colle-
gium Cracoviense S. J. SS. Petri & Pauli suis facultati-
bus dotatum dedit ex Insulis Philippinis 1642. die 2.
Julii.

Reverendi Patres ac Charissimi Fratres
Pax Christi.

Ultimum in hac vita vale dicturus istas scribo; si-

(a) *Niesiecki Tom. II. & III.* qui-

quidem jam Dominus meus vocat me ad onus Crucis suæ ferendum, & moriendum in illo theatro Athletarum suorum, qui id sangvine suo purpurârunt. En jam post superatos Oceanos, & tot pericula mari terrave, post captivitatem Hollandicam & alia mortis pericula superata, pro Nomine JESU, ultimum supererat mortis genus, quod quamvis crudelissimum, fæcundum tamen vitæ æternæ gaudens amplector. Post aliquot dies circiter, dum hæc scribo, aggrediar luctam contra Tyrannum spiritualem, cui præsentabimur ad confitendum nomen Domini JESU, Tyrannum, inquam, ebrium sangvine Martyrum Christi. Video jam hic renovata Diocletiani tempora, & furentem satanam in inventione cruciatuum in caput eorum, qui evangelizant Verbum Dei. En jam catastæ igneæ, craticulæ ferreæ, sartagines, rotæ, acus ungvibus inferendæ, cruces, foveæ, gladii, & alia dira tormentorum genera à diabolo inventa in oculis meis versantur; sed veniant hæc, & omnia inferorum tormenta, tantum Christo meo fruar: non reputo hæc, tormenta, sed serta, non cruciatus, sed coronas pridem animo concupiscenti præparatas, quæ magis invitant, quam arcent. Congratulamini mihi & congaudete, quia Domino placuit hunc Orientis hortum sangvine Aquilonis rigare, & pro peccatis, pro quibus pœna ingens mihi debebatur, me ad palmas & coronas vocare; Misericordias ergo ejus in æternum cantabo. Vado lætus, confisus brachio Omnipotentis & patrocinio Deiparæ Dominæ meæ, per quam mihi hæc admirabilis gratia & omnia bona toto tempore vitæ meæ fluxerunt, cui tanquam admirabili gratias humilis persolvo, & omnes ad illius devotionem, quæ tam in me peccatorem liberalis fuit, invito. Nemo ita ambivit imperia & coronas, ut ego propter Christum carnificum manus, nemo majori sedulitate ridendos honores mundi & divitias vanas quæsivit, ut ego locum inter diros cruciatus pro Domino meo

meo ferendos. Dabunt confidentiam magnam peccatori miserabili ictus & plagæ cruentæ ante Tribunal Christi, & spes vitæ æternæ erit mihi firma, si lavero stolam meam in sangvine Agni. Dum has recipietis, jam (ut confido in misericordia Domini) cursum peregrinationis meæ finiam: & scitote, quod præ omnibus Collegiis Societatis hoc maxime dilexi, quo Dominus meus qualiscunq, substantiæ meæ hæres fieri dignatus est. Valete millies. Datum in Insulis Philippinis in itinere Japonico 2. Julii 1642.

Servus in Christo designatus ad mortem pro Christo
Albertus Mecinski.

XL.

VINCENTIUS PRZERĘBSKI
De Gente Nowinarum.

JOannis Castellani Siradiensis Filius, ingenium & indolem cùm optime litteris & pietate imbuisset, ad aulam Joannis Alberti divertit, & quia summis in Republica gerendis magistratibus, & obeundis arduis laboribus idoneus videbatur, Pro Cancellarii munus accepit: in quo cùm strenuum se præstitisset, Lubranscio successit in Plocensi Sede, ab Alexandro VI. confirmatus, & Cracoviæ 1499. consecratus. Ejus solicitudinem circa suam Ecclesiam ne exterior forensium negotiorum cura interturbaret, operosum Vice Cancellarii officium deposuit. Ubi verò Creslaum mors è vivis subduxisset, Regis Alexandri suffragiô, probante Julio II. e Plocensi Episcopatu ad Vladislaviensem translatus est 1503. die 25. Julii.

Post obitum Alexandri Regis ivit Legatus in Lithvaniam ad Sigismundum, Regnum Poloniæ nomine Ordinum eidem deferens. In bonis Episcopatûs plura ædificia restauravit, variarumq, Ecclesiarum dotes auxit: Archidiacono Crusviciensi ut in suo officio obeundo

valdo frequens esset, attribuit decimam manipularem de bonis Novogrody. Ultima voluntate mille marcas Ecclesiæ Vladislaviensi, totidem Plocensi, Vicariis Vladislaviensibus 500. disposuit ea conditione, ut quolibet trimestri diem anniversariam obitûs illius celebrarent. Annis decem & aliquot mensibus rexit Diæcesim, 1513. die 20. Septembris vitam in melius mutavit, in Basilica Vladislaviensi sepultus.

XLI.

MATHIAS II. DRZEWICKI

GLoriosè hujus Diæcesis regimine meruit succedere in Metropoli Gnesnensi Joanni Łaski vitâ functo. *vide Lib: I. pag: 111.*

XLII.

JOANNES VII. KARNKOWSKI

De Stemmate Junosza

Agnus est coloris albi in campo rubro.

JOannis Castellani Gnesnensis, Glogoviensis in Silesia, & Mederecensis Præfecti, Nepos (b) laudabili Callimachi institutione in utilem Patriæ crevit virum. Secretarius Regni primum à Sigismundo I. denunciatus, & Cracoviensis Præpositus, eodem Rege promovente, Clemente VII. probante post Andream Krzyccium Premisliensem rexit Ecclesiam, tandem ad Vladislaviensem translatus, utriq; cum laude præfuit, fuisq; consiliis Rempublicam juvit Senator optimus. Illius operâ usus est. Sigismundus in multis negotiis ac legationibus ad varios Principes, præcipuè ad Ladislaum, & ejus Filium Ludovicum Hungariæ & Bohemiæ Regem: in quibus obeundis enituit dexteritas & fides Viri hujus. Prævenerat in eo annos canities, quæ

(b) *Cromerus Lib: XXIX.*

quæ illi multum decoris & authoritatis ad maturam virtutum compositionem addidit.

Arcem Raciązi instauravit turri consummatâ: reparâsset & alia Episcopatûs sui bona, si vitam longiorem, aut saltem bonam valetudinem fata permisissent. Annô nondum in Episcopatu Vladislaviensi exactô, in conventu Ordinum Petricoviensi paralysi correptus, ut valetudini consuleret, Cracoviam abiit, ubi quadriennium decubuit: tandem vi morbi omnem medicorum curam superante, & lentâ febri consumptus est 1538. die 2. Decembris. Sepultus in Ecclesia Vladislaviensi, cui non parvi pretii supellectilem in auro, argento, sacrisq; vestibus ultimis tabulis transcripsit. Decumbit è regione monumenti Petri de Bnino Moszynski cum hac inscriptione: *Joannes Karnkowski Episcopus Vladislaviensis sciens se esse moriturum, hoc suo cadaveri monumentum vivens adhuc ipse jussit fieri annô 1536. ejus verò ætatis, 64.*

Præsul hic nepotem suum Stanislaum ad maxima Poloniæ munia & supremas Regni hujus Infulas instituit. *Niesiecki Tom: II.* quanquam *Cromerus Lib: XXIX* Stanislaum scribit fuisse Nepotem Joannis Castellani Gnesnensis qui 1503. fatis decessit.

XLIII.

LUCAS de GORKA

Navi pro Stemmate insignis.

NIcolai Castellani Gnesnensis Filius, Urielis Episcopi Posnaniensis Nepos, primam ætatem fluxis rebus & obsequiis Patriæ dedicavit: Castellanus Lanciciensis, Majoris Poloniæ Præfectus Generalis ad fœdus cum Crucigeris Posnaniæ ineundum designatus est: sed ea fuit pervicax temeritas Crucigerorum, ut hi mediis saluberrimis ad meliora reduci non potuerint; abitum à consiliis, & rebûs infectis, armis postmodum pro juribus suis abutrinq; decertatum est. Si-

Sigismundus I. Barbaram Tręciniam Principis Transylvaniæ Filiam in sociam vitæ exoptabat; ad eam rem perficiendam Lucam designavit. Egit paranymphum Lucas, & futuram Reginam in comitatu aulæ suæ solenni pompa deduxit in Poloniam. Pro hoc obsequio Sigismundus dignitatem Castellani Posnaniensis eidem contulit. Ivit postea cum Rege Viennam ad Maximilianum Cæsarem, ubi pro se & sua Familia titulum Comitis de Gorka obtinuit. Et cùm Barbara secundo partu edito obiisset; pro Bona Sfortia Mediolanensi Duce Sponsa Sigismundi in Poloniam deducenda expeditus est. Perrexit quoq; Gedanum, & Regis nomine civitatis hujus tumultus composuit. Post obitum Kościeleccii Palatinus Posnaniensis Filio suo Andreæ, quem ex Catharina Szamotulska Palatini Posnaniensis Filia genuerat, consentiente Sigismundo Præfecturam Majoris Poloniæ cessit.

Post fata Consortis, & celebratas nuptias Filiarum, quarum Anna Petro Kmita Cracoviensi Palatino, supremo Regni Mareschalco, altera Catharina Stanislao Odrowąż Palatino Podoliæ nupsit, ad Sacrum Ordinem adjecit animum. In Ecclesiastica Republica Virtantus ut emineret, fecit Sigismundus; vacabat tum Vladislaviensis Sedes Joanne Karnkowski defunctô, hanc eidem contulit, Paulus quoq; III. promotionem Regiam ratam habuit. *In ea dignitate constitutus* curavit maximè, ut officium Pastoris optimi adimpleret; magnam noctis partem sibi, dies verò dabat erudiendo populo, è suggestu ad illius captum Evangelium & Sacram scripturam interpetari solitus, callidas nascentium hæresum technas refellebat, & ut populus ab impiis dogmatibus caveret, serio admonebat.

In pauperes, ultra eos, quos suâ pavit mensâ, singulis diebûs liberalem largiebatur eleemosynam. Nemo inopum, aut afflictorum, viduarum, aut Virginum nubere volentium opem & subsidium ab hoc Antistite flagi-

flagitavit, nemo sine optato solatio dimissus unquam Nec minores fecit sumptus in Sacerdotum collegia. Szamotulis (boni illius erant hæreditaria) Ecclesiam Collegiatã errexit & dotavit. Sponsæ suæ memor ordinavit, ut in Vladislaviensi Basilica cereæ candelæ 13. in honorem Collegii Apostolici diebûs festis suo sumptu ad majus altare arderent: in eadem sacellum erexit, in quo ut Missa de B. ata die quavis cáneretur, statuit: calicem aureum, vasi de argento, supellectilem ad obeunda sacra eidem donô reliquit. Ad extremum omnibûs proventibûs anni unius Ecclesiæ suæ donatis Canonicos Vladislavienses ultimæ voluntatis custodes assignavit, & ut hi, quæ disposuit, exequerentur, statuit.

Gedani civium nonnullorum a fide diffidentium impetus contra Officii sui authoritatem erumpentes per litteras ac nuncios cum reprimere non valeret, diu præmeditatum iter magna Ordinum illius Provinciæ expectatione adjunctis viris idoneis cæpit apparare, ut Pontificii muneris dignitatem tumultuantium strepitu & temeritate depressam suo loco reponeret. Interea Wronciis (oppidum est Majoris Poloniæ) primâ suscepti itineris nocte febri correptus, rediit Szamotulios, ubi invalescente morbo Sacramentis munitus, rebûs dispositis, annô ætatis suæ 60, Christi 1642. die 3. Octobris, obiit, ad Ecclesiam Vladislaviensem ab Andrea Filio in comitatu Procerum delatus, in sacello à se erecto sepultus est.

XLIV.

NICOLAUS III. DZIERZGOWSKI

AD Gnesnensem Metropolim translatus. *vide Lib: I pag: 119.*

XLV.

ANDREAS III. ZEBRZYDOWSKI

AD Cracoviensem Sedem assumptus. *vide Lib: I. pag: 328.*

JO-

XLVI.

JOANNES VIII. DROHOIOWSKI

De Stemmate Korczak.

Tres sunt fluvii in campo rubro, quibus in pelvi canis medius linguâ exserta eminet.

FIlius Joannis, Parys dicti, & Orzechowska Filiæ Judicis Terrestris Premisliensis amorem suum in Patriam probavit multis: Castellanus Chełmensis, cùm rebus mundanis nuncium remisisset, Sacerdos factus promovente Petro Gamrato inter Secretarios Regios cooptatus, brevi ad Camenecensem, ex hac ad Chełmensem tandem ad Vladislaviensem Sedem elevatus est. Obiit Olboriæ 1557. Fuit vir facie liberali, sermone non insvavi, judiciô tamen mobili. *Damalevicius in Vit: Episc: Vladisl:*

XLVII.

JACOBUS II. UCHANSKI

POst obitum Joannis Przerębski Archiepiscopus Gnesnensis. *vide Lib: I. pag: 122.*

XLVIII.

NICOLAUS IV. WOLSKI

De Stemmate Połkozic

Caput est asini in campo rubro.

NIcolao Castellano Sandomiriensi, Visnensi, Komzensi, Sanocensi, Lanckoronensi Præfecto & Anna Glinkovna Castellani Visnensis Filia genitus. Ex Plocensi Præposito Chełmensis Episcopus, & post ascensum Uchanscii ad Gnesnensem Sedem, Vladislaviensis Antistes 1565. denunciatus est. Vir magni & excelsi animi, prudentiæ dexteritatis in rebus agendis maximæ, à cujus consilio Augustus Rex pendere videbatur

batur: ejus svasione multa egit Princeps hic, & quod optato eventu plurima perfecerit, Nicolao adscripsit. Corpus Stanislai Fratris Castellani Sandomiriensis defuncti, quem impensius dilexit, cum Olboriam delatum esset; ferendo dolori impar in morbum incidit, Varsaviam profectus valetudinem & justa ultimumq; obsequium germani curaturus, funus & tumulum auxit majore vi morbi oppressus. 1570. Varsaviæ in Ecclesia S. Joannis eidem sepulchro cum Stanislao Fratre illatus.

XLIX.

STANISLAUS I. KARNKOWSKI

JAcobo Uchanski in Gnesnensi Sede successit. *vide Lib: I. pag: 136.*

L.

HIERONIMUS ROZRAZEWSKI

De Stemmate Doliwa

Tres sunt rosæ in campo coloris rubri.

EX Familia Comitum Poloniæ & Bohemiæ domestica Joanne Castellano Rogoźnensi, Susanna Myszkowska Castellani Vielunensis Filia genitus, per Sigismundum I. de sacro fonte levatus, ætatem litteris excoluit in Silesia, Ingolstadii, Romæ, & in Gallia: quæsita magnô studiô lingvarum scientia in tractandis postmodùm negotiis magnô fuit Viro & Patriæ suffragiô. In aula Henrici II. Galliarum Regis, hujus Principis & aliorum Galliæ Procerum affectus meruit suiq; desiderium & Gentis Polonæ gloriam reliquit Romæ commorantem eruditio & mores compositi ad quæquæ maxima commendarunt. Otto Truschesius, & Comedonus Cardinales juvenē insinuaruntPio V, ubi Presbyter factus Camerariis Pontificiis adscriptus est. Offerebatur eidem a Pio Abbatia annui proventûs 3000. scudo-

ſcudorum, renunciavit favori Pontificio, contentus Vratislavienſi in Sileſia Præpoſituræ: eam poſtmodum ceſſit Andreæ Gerino, Viro erudito & verbi Divini præconi celeberrimo, quem Româ Vratislaviam peræconi celeberrimo, quem Româ Vratislaviam per- gens comitem itineris impetravit. Andreæ hujus ſeſus & merita in urbe hac ea fuêre, ut poſt obitum Martini Gertſmani Præſulis, non alium, niſi illum urbs & Capitulum ſuum Antiſtitem voluerit: qui ut ſtrenuos laboris ſocios haberet, conſiliô Rozrazevii PP. Societatis JESU Vratislaviam evocavit.

Hieronimus in hac Sileſiæ urbe Principe cùm & Clerum ad normam ſacrorum Canonum componendum intenderet, & auſus graſſantis hæreſis comprimeret, ad Maximilianum delatus, ac ſi turbarum author, eidem Cæſari ut ſuam innocentiam, ſic improborum calumnias & temeritatem manifeſtam fecit.

Poſt fata Sigiſmundi Auguſti cùm Henrico Valeſio, Andegavenſium Duci Poloniæ regimen à Statibus Regni delatum fuiſſet; lingvarum peritia, morum affabilitas Hieronimum huic Principi adeo fecit charum, ut ei Henricus Sigillum Regni conferre voluerit; ſed eam dignitatem ſatis mereri habuit, & majora in Patria merentibus ceſſit; ut tamen ſe dignum Regio favore probaret, officium Secretarii Regni & Præpoſituram Plocenſem ſuſcepit. Et cùm poſt obitum Caroli IX. Galliarum Regis ad apprehendendum Galliæ thronum jure naturæ ſibi debitum clam è Polonia Valeſius abiiſſet, expeditus Rozrażewſki, ut eum Poloniæ reſtitueret, egit, quæ potuit; ſed Henrico magis hæreditarium, quàm electivum Regnum placuit. *vide L. I. pag. 131.*

In locum Henrici, ne Reſpublica eſſet accephala, electus Stephanus Dux Tranſylvaniæ, Princeps ut rerum, ſic Perſonarum æquus arbiter, poſt aſcenſum Karnkovii adMetropolitanam Sedem, multis Hieronimum ad Vladislavienſem Epiſcopatum præpoſuit, & in Germaniam Ratisbonam Legatum miſit. Ab ea Legatio-

gatione redux Regiæ valedixit, in omnem curam ſuæ Diœceſis intentus. Viros doctos & probos ex aliis etiam nationibus invitavit, quibus regendas Eccleſias & parœcias ab hæreticis defendendas commiſit: Nicolaum Milonium Svecum, Pucenſi Martinum Culcium, alios aliis præfecit. Franciſcum Łęcki S.T.D. laborum ſuorum Vicarium & Suffraganeum Vladislavienſem inſtituit. Non ſatis habuit late diffuſa hæreſis populum ſuis erroribûs inficere, ut magis impium in ſacra quævis redderet, & ipſamet jure aliquo gauderet, Catholica templa, & eorum bona uſurpavit, eripuit, poſſedit. Partim jure, partim authoritate & poteſtate Pontificia Hieronimus inique poſſeſſa vindicavit, & ſuis legitimis hæredibus reſtituit.

In Comitiis Cracoviæ celebratis evicerat decretum: injungebat illud Gedanenſibus, ut Catholicis reſtituerent Eccleſiam Deiparæ Virginis. Eo in negotio cùm brevi ſuperveniſſet Gedanum, plebs furibunda & armata tumultu concitato extrema quæquæ parabat Præſuli, & ne ſolis minis ferocire videretur, ædibus Antiſtitis vim admovit. Ad eam temeritatem exhortuit Epiſcopalis familia. Hieronimus minime territus, famulis ſecuriora quærere juſsis, ad pedes Chriſti Crucifixi proſtratus pro Religione, ac integritate Eccleſiæ in victimam ſe ſe furori offerebat, necemq; pro Deo opperiebatur. Advertit facinus civitas, quare nefas oblitteratura, læſam Antiſtitis dignitatem precibûs, & magnâ pecuniæ ſumma compenſare ſatagebat; ſed Hieronimo magis placuit æternum præmium, quam temporale. Scelus urbis Acatholicæ toti Reipublicæ notum erat, & quia impunitum abiit, effecit manſvetudo Præſulis, qui attentato in ſuam Perſonam probro & auſui induiſit veniam, cauſam Chriſti & Religionis promovere contentus ac curare, ne alienis opibus & ſpoliis dives hæreſis in Catholicos ſæviret.

Carthuſiam, quæ cum ſuis prædiis adhuc temporibus

ribus Vislai, XX. in Ordine Episcopi Vladislaviensis de
consensu Ducum Pomeraniæ, ac Sedis Apostolicæ juris
erat Abbatum Olivensium, à Cisterciensibus recepit,
& conductis Coloniâ Carthusianis restituit, eorum in
Polonia Tutor. Carthusia hæc vocatur Paradisus Ma-
rianus. Zukoviense Sanctimonialium D. Norberti
asceterium ad meliorem redegit ordinem. Zarnove-
cense Monasterium cum assensu Sedis Romanæ tran-
slatis ad alia cænobia Cisterciensibus Monialibus, Divi
Benedicti Sacris Virginibus Culmâ conductis tradidit.
Strzelnæ quoq; multa pro bono Religiosarum illius lo-
ci constituit. Patribus S. J. Collegium Gedani condi-
dit villâ Gemlice cum consensu Capituli attributâ. Bid-
gostiæ Deo dicatarum Virginum Instituti D. Franci-
sci ædes fundavit, quarum cænobium prima rexit Do-
rothea ejus Soror germana. Testimoniô Damalevicii
nullus Præsulum Vladislaviensium in præstitis benefi-
ciis huic Diæcesi, quam annis 19 rexit, superavit Hie-
ronimum: nullum castrum, nulla fuit Episcopalis ædes,
quam non restaurasset, aut comptiorem non fecisset:
nulla Ecclesia, quæ suum ornatum aut in apparatu sacro
aut in fabrica, aut in aucta dote eidem non debuisset:
præcipuam Hieronimi beneficentiam Cathedralis Ba-
silica experta est; illi æs campanum nomine Tutelaris
sui benedictum, aram majorem, orgána, aliaq; plura
largitus est: Bona Episcopatus à Prædecessoribus suis
oppignorata redemit, alia ad optimum statum reduxit.

Joannes Zamoyski in Regni Comitiis legem fe-
rendam intendebat, ut in Senatu Episcopi dextram,
partem sinistram tenerent sæculares. Propositio Viri
in Polonia insignis, rebus gestis gloriosi quod suum ef-
fectum nacta non sit, Rozrażevii pro integritate digni-
tatis Præsuleæ decertantis effecit solertia. Et licet pro
immunitate Ecclesiarum, pro authoritate Episcoporum
adeò ageret, ab omni tamen honorum ambitu semper
alienus exstitit. Offerebatur illi Vratislaviensis in Si-

lesia

lesia Episcopatus, ut ejus Diæcesim cum Vladislaviensi
regeret: Karnkovius Regni Primas suum volebat Co-
adjutorem: Clemens VIII. per Baronium, Bellarmi-
num, Borromeum, Cardinales ad Romanam invitabat
purpuram; his omnibus favoribus renunciavit Hiero-
nimus Vladislaviensem Infulam etiam cedere paratus.

Ut Bathorei, sic Sigismundi III. ejus in Polono
solio Successoris singulares amores meruit. Rex hic
post electionem sui cùm Gedanum mari Balthicô per-
venisset, hospitem Principem cum Alberto Baranovio
Episcopo Premisliensi salutavit, diploma electionis
post præstitum ab eodem juramentum reddidit, & no-
vum Regem pluribûs vitatîs insidiis feliciter Cracovi-
am deduxit. Tractatum Będzinensem inter Maximilia-
num Archiducem Austriæ & Sigismundum III. con-
clusit: tulit maximam in eo negotio dexteritatis & pru-
dentiæ laudem, cùm Rempublicam optatâ cumulavit
pace; (in atrox bellum res propendebant) ac in pignus
amicitiæ Annam Austriacam Viennæ Sigismundo de-
spondit.

Aulam fovebat pro dignitate Nominis & maje-
state Senatoria, in hoc potissimum solicitus, ut in mori-
bus & pietate esset cultissima: fovit & musicam, quæ
dapes finita libri lectione condiret, & inter tot pasto-
rales curas, ac insultus hæreticos tristem quandoq;
Præsulem recrearet.

Imminebat Jubilæi annus 1600, illum ut in Or-
bis facie absolveret, Romam perrexit: ubi relictis vi-
tæ sanctioris vestigiis, magnô omnium dolore annô eo-
dem obiit, in Templo Nominis JESU sepultus, ne e-
tiam mortuus à Societate separaretur, ejus Gedani
Fundator, & ubiq; Patronus. Ultima voluntate sum-
mo Pontifici calicem aureum, crucem corallinam affa-
bre elaboratam, Vladislaviensi Cathedræ aureum ca-
licem, sex argentea candelabra, peristromata & Biblio-
thecam disposuit. In anniversaria pro anima sua in Ec-

clesia

cie ſia Vladislavienſi, Vratislavienſi, Plocenſi, Zukovicienſi, Romana S. Stanislai impenſas deſignavit: & ut Romæ in Templo S. Stanislai E. M. pro anima Illius ſacrificium Miſſæ die quavis celebraretur, Cardinalis Carolus Borromæus teſtamenti exſecutor ordinavit. Moriens nepotem ſuum obligavit, ut à ſupellectili rebuſq; ſuis manum cohiberet.

Poſt mortem apparuit Lucæ de Uniejovo Archidiacono Vladislavienſi ſacrificium Miſſæ pro ſe celebrandum efflagitans. Nigro apparatui obſtabat diei ritus; celebravit ritu feſti Lucas pro Hieronimo DEO ſupplex, & ſub tempus *Gloria in excelſis* ſvavem & admirabilem concentum audivit. Si opinari licet, fortè triumphus erat cælum ingredientis Rozrażevii. *Nieſiecki Tom. III.*

LI.

JOANNES IX. TARNOWSKI

POſt brevem in hac Sede moram ad Gneſnenſem Metropolim translatus eſt. *vide L. 1. pag: 140.*

LII.

PETRUS II. TYLICKI

AD Cracovienſem Epiſcopatum aſſumptus. *vide Lib: 1. pag: 340.*

LIII.

ADALBERTUS II. BARANOWSKI

EX Vladislavienſi Cathedra favore Sigiſmundi III. ad Gneſnenſem promotus *vide L. 1. pag: 147.*

LIV.

MATHIAS III. ? STROKONSKI

Poraita vide pag: 49.

SBignei de Bużenin, & Barbaræ de Gaiewniki Filius. Quan-

Quantus & quàm opportunus ſuo tempore Regno & Eccleſiæ futurus eſſet? vita Illius non ſemel ultra naturæ vires ſervata non vanum fuit omen. Infans adhuc vix ſemeſtris injectis per famulam minùs cautè agentem, à recenti lotione adhuc madidis lineis veſtibûs, ita oppreſſus erat, ut re animadverſa, ferè exanimis, ſpumas ore volvens extractus fuerit: cunctis jam de illo actum eſſe credentibûs, mater fœmina piiſſima ad vota preceſq; confugit, & in terram proſtrata, eum, ſi incolumem haberet, altari ſacro ſe addicturam promiſit. Facta voti compos mater, factus & filius poſtmodum reus materni propoſiti. Infantiam egreſſus, trium quatuorve annorum puer cum æqualibus ſuis colludens unius impulſu, ſive fortuito lapſu in profluentem Vartam decidit. Sociis metu puerili diffugientibûs & rem tacentibûs, omni ope deſtitutus, ſolius Dei curâ ſervatus eſt. Hauriendæ aquæ causâ quidam è famulis ſupervenit, puerulum ita immerſum, ut aqua unius pæne cubiti altitudine ſuper caput emineret, erecta tamen teneri corpuſculi mole, quiete ſedentem conſpicatur, & ſuffocatum credens extrahit; ſed vegetum ac omnis noxæ expertem, domum incolumem reducit.

Aptum ad omnia juvenem evocabat ad latus ſuum Hieronimus Bużenſki ſupremus Regni Theſaurarius, jamq; Sbigneus Pater parabat expeditionem Filii ad aulam tanti Viri, in qua futuræ dignitatis fundamenta jeciſſe poterat; ſed Mater verita, ne ſi puer homini de fide Catholica malè ſentienti educandus traderetur, perverſarum doctrinarum magiſtros nactus, religionis veræ jacturam faceret: quare Vidaviam primùm, deinde Siradiam miſſus, ubi dum adeò profeciſſet, ut ad capeſſenda Eloquentiæ & Philoſophiæ ſtudia idoneus eſſet, Cracoviam ſub diſciplinam Stanislai Sokolovii expeditus, in Latinis & Græcis litteris per annos quinque cumulatè doctus evaſit.

Imminebat feſtivus Regno dies, quo in Regem Poloniæ inaugurabatur Henricus Valeſius: cum hoc Principe niſi Latine (Gallici enim ſermonis rariſſimè erat uſus in Polonia) ſive in Senatu, ſive in privatis colloquiis agendum erat. Joannes Sierakovius Palatinus Lancicienſis in omnibus his Pſtrokonii uſus operâ amplum ejus gloriæ campum aperuit. Karnkovius adhuc Vladislavienſis Præſul cùm in unam alteramve Math: æ lucubrationem incidiſſet, percontatus, cujus ingenii fætus eſſet? ac Sierakovius, juvenis cujuſdam operâ hac in re uti ſe, reſpondiſſet; nequaquam juvenilem, ſed longô ac diuturno uſu paratum ſtylum ſibi videri, affirmavit. Eâ laude adoleſcentis delectatus Sierakovius, quia tempeſtate illa in legibus Patriis omnibus ferè antecellebat, in his Pſtrokonium verſatum voluit. Quare quidquid ad pernoſcendum Reipublicæ ſtatum pertineret, quæ legum & ſtatutorum Patriæ origo? quæ ratio gubernandæ & adminiſtrandæ Reipublicæ? qui Regiæ poteſtatis, & Senatoriæ modus? quæ partes Equeſtris Ordinis? qui expediendorum conſiliorum ordo? avido proponebat juveni; qui affatim opinioni Sierakovii reſpondit: eum poſtea ad perdiſcendam linguam Germanicam cum ſuis nepotibus miſit in Germaniam, ubi unius anni ſpatiô tantum profecit, ut ſermonem hunc familiarem habuerit. Redux cùm Eccleſiaſticum ſtatum elegiſſet, ad aulam Stanislai Karnkovii tum Vladislavienſis Epiſcopi aſſumptus eſt.

Multum ille deliberabat, quodnam vitæ genus arrepturus eſſet, ſed, ut ipſemet jam Premislienſis Præſul retulit, à Sorore ſua defuncta de vita in Sacro Ordine agenda admonitus eſt. *Juveni mihi admodum* inquit ille: *cùm de vitæ ſtatu ineundo ſolida agitarem conſilia, ſororem meam, quæ intra pubertatis annos non ſine ſanctitatis opinione è vivis exceſſit, in ſomnis viſam, eamq; non ſolum, quod vitæ genus legerem, monuiſſe, meq; & Sacerdotem, & Epiſcopum futurum prædixiſſe; verùm etiam, quod hactenus vos*

celavi, & à vobis ſilentiô celatum eſſe volo, Epiſcopatum Premislienſem, non eſſe ſupremum dignitatis, quem fata mihi deſtinant gradum; ad aulam mox revocabor, Vice Cancellarius Regni futurus: cùmq; hoc utroq; magiſtratu difficillimô Regis & Reipublicæ tempore (civili parricidaliq; bello arſuram Poloniam ſcitote) non ſine laude perfunctus fuero in ipſo ad eum locum, qui meritis meis debebitur, ingreſſu, hæſurum me ſuſpicor, & vereor, ne curſus vitæ meæ ſit idem qui & aulicarum functionum. Aliam, ut video, quietem ſpondent mihi fata, nihil quidem timere affirmare auſim; ſed neſcio, quid portendit ſubitus nec ſine meo horrore ſororis poſtea quam hæc, quæ dixi, mihi oſtendiſſet, à me diſceſſus. Lubienſki in monitis de geren: Epiſcopatu. Veram viſionem & vera fuiſſe dicta Pſtrokonii, eventus probavit.

Karnkovii impenſis Romam expeditus Eccleſiaſticæ diſciplinæ & Sacrorum Canonum ſtudio tempus impendit. Cum illi aura Romana non faveret, cum Petro Wolſki Epiſcopo Plocenſi, Stephani Regis ad Gregorium XIII Legato rediit in Patriam, à Karnkovio jam Regni Primate Canonicatum Gneſnenſem & Præpoſituram Lancicienſem nactus. Beneficiorum memor Pſtrokonius, gratus ſuo Patrono Karnkovio vixit ſemper, illumq; ſeniô gravem ſuis juvit conſiliis. Agebatur tum annus 1584, quo tota Polonia ingenti metu perculſa in magna novarum rerum erat expectatione. Joannes Zamoyſki Supremus Cancellarius, & exercituum Dux Samuelem Zborowſki illuſtri ortum familiâ ob cædem Wapovii ſub Henrico Rege e Polonia proſcriptum in territorio Cracovienſi prehenſum juſſu Stephani Regis affecerat ſuppliciô: gravior pleriſq; ea videbatur animadverſio, quam leges Regni permitterent, Rexq; ad eam actionem compulſus credebatur Zamoyſcii conſiliô; igitur pleriq; Proceres, ac inter eos Senatûs Princeps Karnkovius in proximis Comitiis pro Zboroviis niti conſtituerunt: verum Mathias, quantô Archiepiſcopi periculô, quantâ Regiæ gratiæ

erga

erga statum Ecclesiasticum jacturâ, id futurum esset; si Karnkovius factioni Regi adversæ, quæ magna parte hæreticis constabat, se adjungeret, efficaci suasione mentem Illius ab ejusmodi proposito avertit, effecitq; ut Archiepiscopus servata Primatiali dignitate Regi non blandiretur, & præcoces Zborowsciorum impetus moderatis consiliis temperaret. *Lubienski in Vita Mathiæ.*

Post fata Stephani Regis addictum rebus Austriacis Ejusdem Archi Præsulis animum magnis rationibûs in partes Sigismundi Sveciæ Principis traxit. Mentem & consilium hoc Mathiæ noverat perbene Sigismundus, quare soliô potitus, Viro gratus, eum suum Secretarium voluit, & comitem Legationis per Rozraževium Episcopum Vladislaviensem ad Imperatorem obitæ designavit. Ab eo itinere reduci quiescere non permissum: Bernardus Macieiowski Luceoriensis tum Episcopus Regis nomine ad Sixtum V. legationem adornabat, Secretariiq; negotium probante Rege ad Machiam deferebat, cujus potissimum operâ in expediendis quibusvis rebus usus, rectè suâ, Regis ac Reipublicæ dignitate munus hoc obivit. Interea dum Pstrokonius in urbe versatur, ad Episcopatum Plocensem Rex promovit Baranovium Regni Pro Cancellarium, officium vero Pro Cancellarii Joanni Tarnovio Regni Referendario contulit. Qui ut primùm munus hoc suscepit, Mathiam, ejus dexteritatis optime gnarus, multis prætermissis æmulis, licet absentem Cancellariæ Regentem creavit, & felicici ejus labore ac consiliô omnia egit fortunate.

Brevi Sigismundus post fata Joannis Patris, Regis Sveciæ ad apprehendendū Regnum hæreditarium ex Polonia parabat abitum. Pauci erant, qui suum Regem sequi vellent, studiô tamen Tarnovii Pro Cancellarii & nonnullorum Procerum ac Pstrokonii conscriptus minitum ac Pstrokonii conscriptus militum ac Procerum, tes pompam Principis adornavit. Pericula, difficultates

tes plurimæ Sigismundo subeundæ erant, Carolô Patruô Sudermaniæ Duce multis in locis insidias struente; vicit omnia feliciter operâ Tarnovii & Mathiæ consiliô: in Regem inauguratus cùm longiorem moram negotia Polona non permitterent, ordinatâ Sveciâ, & Carolo illius regimine relicto rediit Sigismundus. Sed cum Carolus absoluta potestate Sveciam administraret, Sigismundus denuo in Patriam ab iniqua usurpatione suam hæreditatem vindicaturus ire debuit viæ & periculorum comite Pstrokonio.

Quinque circiter millia exercitûs Rex numerabat: longe superior erat viribûs Sudermaniæ Princeps, qui ultra 16000. peditum aliquot millia equitum habebat in armis: præterea omnem apparatum maritimum obsequio Sigismundi destinatum interceperat. Quare ad mare trajiciendum, ad copias transvehendas mercatorum navibûs uti coactus est Sigismundus: nihilominus tantum animi inerat Polonis, ut ad opprimendum hostem loci opportunitate adjuti suffecturi putarentur. Et sanè debellatum eo die fuisset, nisi Rex mitiorem secutus sententiam, signum conflictui dare vetuisset. Nocuit Sigismundo ea clementia; paulo enim Caroli classis plenis in portum invecta velis Regias dispersit naves, eamq; partem, qua Regius exercitus tutus erat, ipsamq; Sigismundi stationem oppugnare cæpit, breviq; ad eas redegit angustias, ut intempesta nocte agmine silenti Rex cedere coactus fuerit.

Magnum tunc Mathias subiit periculum: equo labente parum abfuit, quin in potestatem hostis terga abeuntium infestantis veniret. Cæteris metu exanimatis, egregia ejus hoc in casu enituit magnanimitas; nam ut erat amænô ingenio *Quid* inquit, *tantopere vos hæc adversa fors turbatos reddit? quin ut ille Philosophus opibûs exutus ergo iterum ad pallium & baculum fortuna: nos quoq; in præsenti rerum statu idem usurpemus.* Id cùm non nemo e Regiis Secretariis moleste acciperet

& vulgato Kochanovii versu non sanæ mentis eum esse, qui in adversis rideret, hilaritatem Pstrokonii proscinderet: *Tu verò ipse minùs sanus es*, respondit Mathias: *qui mihi in mala re mentem bonam adimis. Ego quod ad me attinet, ita paratus huc veni, ut ea, quæ acciderunt, evenire posse non dubitarem, & ad ea ferenda obfirmatô essem animô: Tu si hæc fieri posse ante non expendisti, non mirum, si nunc metu consternaris, animôq; concidas.* Sigismundus postmodum compositis cum Carolo Patruo rebûs, & relictô Calmariæ præsidiô rediit in Poloniam. Interea Mathias Varsaviæ otium nactus res in Svecia gestas scriptô comprehendebat: reliquisſetq; egregium ingenii sui monumentum, nisi fatô quodam elegans illa lucubratio nondum perfecta periisset.

Vacabat tum post Joannem Gałczynium vitâ functum munus Referendarii Regni: illud Sigismundus Pstrokonio detulit, & brevi, Laurentio Gosliccio in Sede Premisliensi ut succederet, effecit. A Karnkovio Gnesnæ consecratus, ejus nomine in Palatinatu Siradiensi & Lancicienſi plures Ecclesias visitavit, plures recens conditas consecravit. Adorata in claro monte Częstochoviensi Deipara Virgine ad suam Diæcesim excolendam perrexit, & memor se non tantùm dignitate, sed & pastorali munere ornatum, initium regiminis sumpsit a lustranda Diæcesi: toto triennio hanc curæ Pontificiæ partem magno quidem labore, sed non postremo fructu absolvit. In pago Krakoviec ditionis Alexandri Ducis in Ostrog templum erat Catholicum, illud Princeps Schismati deditus pro suo ritu usurpaverat. Eo defuncto uxor superstes, fæmina lectissima Ecclesiam Catholicis restituit: curam illius habuit Romanus Presbyter, sed omnibûs fere rebûs destitutus suam & Templi inopiam exposuit Mathiæ. Præsul non subducta ratione pecuniæ, quanta esset, centum florenos in subsidium egestatis Parocho elargiri demandavit. Eam liberalitatem hic & nunc dissvadebat Mathias Łubienski Gnesnensis Canonicus, qui privatas Præsulis rationes tractabat: edocebat ille: quantum adhuc in lustranda Diæcesi viæ esset, & quam exigua pecunia (quadringenti circiter supererant floreni) haberetur: proinde differendum subsidium Parochi asserebat, donec Præsul domum rediret. Præbuit quidem licet ægre assensum Antistes, comminatus tamen est, brevi fore, ut illum ipsum sui consilii pæniteret. Dicto Episcopi eventus respondit; sequenti nocte arcula, quæ Præsulis & Łubienii pecuniam continebat, furtô ablata interiit. Id ubi intellexit Pstrokonius, jacturâ rei minime motus, nimiam erogandi in pios usus parsimoniam eo furto castigatam professus, ut quàm primum domô pecunia in eleemosynam Ecclesiæ promissa mitteretur, intimavit.

Ut in administratione Episcopalis muneris sedulus, ita in ea parte, quæ ad Senatoris officium pertinet, excelluit. Exigua erat in conventibus Palatinatûs Russiæ Episcoporum Premisliensium authoritas, eam ut resarciret, initiô Episcopatus sui nunc hos nunc illos invisit Mathias affabilitate & quovis humanitatis officiô amorem concilians, effecitq; ut homines longe aliam de se opinionem conciperent: quod primô, qui Visnæ erat indictus, conventu luculenter patuit. Illum magno Procerum comitatu ingressus, in expediendis consiliis primas partes obtinuit, omnesq; in suam flexit sententiam: & cùm antea Senatores locô consiliorum solerent excedere, quo Equestris Ordo liberius deliberare posset, Nobilitas publico omnium consensu candori Præsulis multum fidens Mathiam & alios Senatores retinuit, nec aliter, nisi illis præsentibûs, sua expedire consilia se velle ostendit.

In comitiis 1603. post ascensum Tyliecii ad Varmiensem Cathedram Rex Sigismundus munus Pro Cancellarii Pstrokonio deferendum intendebat, sed potentiâ Zamoyscii Cancellarii Mathiæ non adeo addi-

cti factum, ut dispensante lege Tyliccius Varmiensis Episcopus in eo officio confirmatus esset. Dignitas hæc tantum dilata fuit. Sigismundus cui prudentia, dexteritas in rebus agendis Mathiæ perspecta erat, ut Zamoyscio Virum consilii opponeret, Tyliccio Vladislaviensem Episcopatum, Pstrokonscio in Comitiis Varsaviensibus Pro Cancellariatum Regni contulit. Comem se & facilem in eo officio omnibus præbuit, cum iis ipsis optime agens, qui illi male volebant: ea re effecit, ut Cancellarius, postquam intimius actiones illius, & animum cognovisset, deposita simultate eum ad capessenda Reipublicæ negotia, secumq; consilia communicanda invitaverit. Brevi Zamoyscius e vivis abiit: post cujus obitum tota negotiorum moles in Pstrokonscium devoluta est illo difficillimo tempore, quo Duce Nicolao Zebrzydovio Cracoviensi Palatino *Rokossianorum* consilia in apertum proruperunt.

Fœderis hujus contra Majestatem, quod ex Poloniæ & Lithvaniæ non paucis Proceribus coaluerat, (a) causa fuit matrimonium Sigismundi cum Constantia Archi Duce Austriæ, Annæ prioris Conjugis Sorore germana; spargebatur per malevolos Regem hôc connubii vinculô obligatum esse ad tradendum Austriacis Regnum Poloniæ. Et ut credula vulgi indoles est, facile adversariis Regiis data fides; quare ad arma conclamatum, eoq; res devenit, ut præliô decidenda esset: & cùm Rokossiani pugnam Regi offerrent, ad Guzovum dimicatum est. Cessit feliciter Sigismundo hæc belli alea: Rex victoriâ gloriosus, sed gloriosior clementiâ omnibus Majestatis læsæ reis svadente Pstrokonscio dedit veniam. Et licet Joannes Felix Herburtus Leopoliensis Vexillifer captus, dum litteris propriis convinceretur perniciosa in Regem & Rempublicam cum Gabriele Bathoreo Transylvaniæ Principe, de tradendo illi Regno consilia agitasse, jamq; capitali supplicio universi

(a) vide Lubienscium de motu civili.

versi Senatus sententiâ addicendus esset; Mathiæ, qui extra aciem nullius Civis sangvinem fundendum fortissimis concludebat argumentis, sensu servatus est. *Lubienski in Vita Mathiæ.*

De hoc Sigismundi III. ad Guzovum conflictu rem singularem annotavit in suo Discursu de laudibus B. M. V. Albrachtus Stanislaus Radzivil oculatus testis, ut ex illo refert *Pruszcz pag: 13.* Scribit prædictus Princeps: Novi Presbyterum Ord: Min: de Observantia P. F. Bartholomæum rerum notitiâ simplicem, sed vitæ integritate insignem. Hic eo ipso die, quo Rex Sigismundus victoriâ potitus est, Romæ dum sacris operaretur, in Memento ante elevationem hostiæ fieri solito exclamavit: *O Polonia quàm multos & quantos habes Patronos!* Finitô sacrificiô dum interrogaretur de causâ illius clamosæ vocis, obedientiâ adstrictus, ingenue fassus est: Vidisse se Deum iratum cuidam Poloniæ (simplicitas illius notitiam hujus Regni habere non permisit) & audivisse Decretum Divinum ejusdem interitûs, Regis exercitu a subditis deletô. Interea Mater Sanctissima cum Sanctis Poloniæ Tutelaribus supplex Deum deprecata ut latam mutaret sententiam, effecit huic Regno benignum & placatum.

Hæc Sigismundi clementia cùm variis Principibus innotuisset; Henricus IV. Galliarum Rex, Eum omnibus Regibus præposuisse fertur, factum tamen illius adeo gloriosum imitari se nolle asseruit. *Kwiatkiewicz anno 1609.*

Eo temporis spatio cùm Maciejovius Archi Præsul Gnesnensis e vivis abiisset, ad eam dignitatem Baranovium e Vladislaviensi Sede Rex promovit, Pstrokonscium verò sua nominatione ad Vladislaviensem transtulit. Doluit equidem Sigismundus promovisse Mathiam, ubi hic aulæ & negotiis valediceret: agebat plurimis e Senatu etiam adnitentibus, ut cum Vladislaviensi Episcopatu lege permittente munus Cancellarii

exer-

exerceret; verùm ille ipse maximò fuit impedimento. Depositis itaq; publicis curis, veniâ à Sigismundo impetratâ ad suam Diœcesim debili corpore & morbis afflictô perrexit, magnoq; Procerum & Nobilium undiq; confluentium concursu Cathedram suam ingressus in dies majore febri tentari cæpit: & cùm se debilem magis adverteret, coram Korczevio Collegii Torunensis S. J. Rectore noxis animæ depositis domui suæ disposuit. Consilio medicorum ob meliorem auram Raciążum translatus pejus valere cæpit, breviq; Sacramentis munitus, Vir de Patria plus quàm bene meritus omnium, etiam invidorum dolore obiit 1609. die 29. Junii ætatis suæ anno 56.

Aliquem semper Sacerdotem fovebat ad latus, qui actionum suarum inspector ac testis esset, eumq; pietate insignem, præcipuè è Societate JESU. Quo die in Episcopum consecratus est, vestem cilicinam clam induit, totoq; triennio detulit. Die quavis comparatam induit, totoq; triennio detulit. Die quavis orationi dabat horam integram. Vice quapiam cùm in secretum cubiculum contemplationis causâ secessisset, sulphuris odorem sensit, causam illius sedulò quæsivit, sed nullam reperit: Et ecce, dum orationem perficit, ex angulo advertit prodire personas olim sibi bene notas igne sulphureo exustas. Habebant illæ funibûs constricta capita multis in locis perterebrata, flammis scintillantia: quæsivit Præsul attonitus & doloris causam, & in quo statu essent? damnatos se responderunt pro perversis consiliis & Patriæ perniciosis. *Niesiecki Tom: III.*

LV.

LAURENTIUS GEMBICKI

POst obitum Baranovii Archiepiscopus Gnesnensis, *vide Lib: I. pag: 150.*

LVI.

PAULUS WOŁUCKI

De Stemmate Rawicz

Virgo est expansis in cælum manibûs ursæ insidens.

JOannis Subjudicis Ravensis & Olstarzewska Filius. Excultam ætatem ut melius expoliret, a Stanislao Minsk: in Italiam expeditus in sacris & profanis litteris excelluit. Redux in Poloniam, eodem Minscio adnitente Secretarius Regni factus, brevi, cùm vix annum ætatis trigesimum attigisset, Abbas Claræ tumbæ, & Episcopus Camenecensis denunciatus est. Ex hac Sede favore Sigismundi III. Paulo Wołłowicz fatis sublato in Luceoriensi substitutus, ubiq; partes optimi Antistitis adimplevit.

Præsuleam Luceoriæ Basilicam ab hostibus & igne vastatam jam jam ruituram à fundamentis ferè erexit. Canonicis capitulares proventus, quos sæpius Antecessores sui proprios fecerant, restituit, & causam absentiæ ab Ecclesia amovit. Vicariis, ut in officio essent seduli, communem mensam & mansiones providit. Ordinem devotionis in templo præscripsit, & ut suo exemplo præiret aliis, matutinis horis cum Clero decantandis adfuit. Duos è Societate JESU constituit, qui in Cathedrali Ecclesia commodo pænitentium inservirent, & ne ipse huic spirituali animarum obsequio deesse videretur, aurem dare confitentibus, in viam æternitatis euntes disponere, suarum duxit partium. Ut plures ad ea charitatis & zeli opera instructos redderet, ad mensam conscientiæ casus prælegendos instituit: proponebat dubia, difficultates quasvis solvebat ipse.

Martinus Szyszkowski Luceoriensis Episcopus in hac Volhyniæ Metropoli fixam Societati parabat sedem: *vide L. I. p. 346.* Prædecessoris sui intentiones

ſedulô perfecit conatu: dotem Collegio probante Roma aſſignavit: pro Eccleſia eorundem Patrum ſub titulo SS. Petri & Pauli Apoſtolorum primum poſuit ſapidem & M. Conſtantini imitatus exemplum duodenos cophinos terræ ad numerum Collegii Apoſtolici propriis humeris extulit. Breſtenſem in Lithvania Palatinatum, magnam Epiſcopatus ſui Provinciam ut operâ Societatis cultiorem faceret Hujus Inſtituti Patres Breſtam introduxit: Advenas accepit Lithvania, & Sapieharum Illuſtriſſima Familia nutrivit ac fovit beneficiis, locumq; Collegium ac dotem eisdem dedit.

Plura pro decore & commodo Volhyniæ parantem Præſulem Sigiſmundus ad Vladislavienſem evocavit Sedem. Votis Regiis facile annuit Paulus V. gratulatus huic Eccleſiæ eum Antiſtitem, quem non ita pridem Legatum acceperat, & Ejus virtutem perſpexerat. Omni humanitatis officiô ſuſceptus, luſtrata Diœceſi Synodum convocavit, qua ad mentem Concilii Tridentini oves concreditas circumſcripſit. Eccleſiam ſuam ut ſponſam amavit, eamq; multis adornavit beneficiis: ſacro altaris apparatu, cruce argentea in publicis proceſſionibus Canonicis præferri ſolita, calice aureo lapidibûs & arte pretiosô, duabûs ex argento ſtatuis Divorum Petri & Pauli Apoſtolorum: legemq; tulit cum Capitulo, qua quivis Vladislavienſis Præſul ſtatuas binas ejusdem ponderis, & calicem aureum in primo ingreſſu in ſuam Eccleſiam offerre obſtrictus eſſet.

Ut ſuus ſemper cultus Euchariſtiæ haberetur, ſacellum erexit, in illo ut ſingulis diebûs Miſſa de Sanctiſſimo Sacramento celebraretur, inſtituit & dotem numeravit. Res Eccleſiæ ne incuriâ interirent, aut malo uſu attererentur, æditum deſignavit. In fundo Smarzevicenſi ædem ſacram honori D. Annæ ſtruxit, cujus curam poſtmodum PP. Ord: Min: Conventualium commiſit Mathias Lubienſki. Ravenſi Palatinatui, in quo primam aſpexit lucem, ne deeſſet liberalitate, cum

Fra-

Fratre ſuo Collegium Patribus S. J. Convictum Nobilitati Ravæ condidit. Toto vitæ tempore nihil curavit Præſul munificus, niſi Eccleſiarum decorem, juventutis inſtitutionem, Patriæ defenſionem, cujus vires non una auxit cohorte: captivorum libertatem, quos redemit ex Taurica ſervitute: Pauperum Pater, quorum ſublevavit inopiam.

Teſte Damalevicio, fuit in omni actione compoſitus, ſermone gravis & vultu, animô lenis & benignus, in dictis ac factis maturus & conſtans: in deliberando circumſpectus, in exequendo prudens, verborum parcus, ab omni ſimulatione alienus, virtutis æquus arbiter, doctrinæ benevolus æſtimator & promotor: res humanas & fragiles excelsô animô contemnens, divinas religioſa mente ſuſpiciens, nihil in moribus leve, nihil in verbis profanum aut arrogans præſetulit.

Annis ſeptem in Vladislavienſi Epiſcopatu exactis, cùm anno 1622. die 10. Octobris Vladislaviæ munus conſecrationis Franciſco Zaierſki Epiſcopo Argivenſi Suffraganeo Luceorienſi impendiſſet, debilitatem contraxit, qua conſumptus 16. Decembris Sacramentis ritu Catholico proviſus inter oſcula Chriſti Crucifixi & Deiparæ Virginis Deo Conditori Spiritum reddidit; in Eccleſia Cathedrali in Sacello Gorkano totius Diœceſis luctu ſepultus.

Hujus Antiſtitis germanus, Philippus Palatinus Ravenſis pro Religione & Patria meritorum plenus, cùm adhuc in ſtatu Equeſtri Nuncium ad Comitia Regni ageret, Judæi Vielicienſes grande facinus perpetrârunt. Infremuit ad illud Legatorum cætus, omnes vindictam ſceleri & pænam forti parabant argumentô: ne eſſet deciſa, nox impedimentô, judæis beneficiô fuit. Variîs illi muneribûs grande nefas fecerunt leve. Die poſtera cùm fere univerſi negotium prætermitterent; Wołuccius ut corruptos ære Nuncios perſtringeret, fabulam adornavit. Nobilis quidam filium habuit exi-

gue

guè doctum, & erudiri incapacem, præterea vitiô oris semper aperti notatum: in publico compariturus cum nato Pater Filium monuit, ut cùm ipse manu crumenam tangeret, os ille comprimeret. Satis clara fuit dictio, sed apud præocupatos opibùs Nuncios parum aut nihil valuit. *Niesiecki Tom. IV.*

Senator hic quantæ in Deum & Deiparam esset fiduciæ? patuit anno 1618. Casa subditi aulæ vicina nocturno tempore igne correptis ædibus aulicis admovebat incendium. Philippus ipse flammarum strepitu excitus, ut averteret periculum; excurrit, sed fallente gressum pede in terram procidens stipite adeo læsit oculum, ut hic cum sangvine effluxerit. Omnium judiciô erat malum insanabile; verum ille spei plenus ad patrocinium Deiparæ recurrit; & Częstochoviam locum miraculis celebrem, iter arripit. Venit Petricoviam (urbs est à Tribunalibus Regni nota) Vir omnibus acceptus à plurimis etiam diffidentibus in fide, qui Petricoviam negotiorum causâ confluxerant, invisebatur sæpius. Vice quadam hospites dissidentes nactus, *Asseritis*, inquit *in Religione Catholica non dari miracula, me verè privatum oculô cernitis; eam veritatem testimoniis confirmate coram Actis Tribunalis hujus, ego quoq; recognitam oculum ope Deiparæ mihi restituendum; tantùm erroribus vestris nuncium remittere sitis postmodum parati.* Subsecuta ab utraq; parte recognitio, qua peracta Philippus spei plenus arreptum iter comite Patre S. J. prosecutus est. *Niesiecki Tom IV.*

Nocte intempesta advenam accepit Częstochovia: quare sacram ædem cum invisere non posset, voti reus desideriô ferebatur in cultum Deiparæ. Quieti alii concesserant, ipse in genua provolutus, supplex Deo & & loci Thaumaturgæ, ut sibi afflicto præsto esset, opem implorabat. Dum preces in profundam noctem protrahit, subito capitis dolore afficitur, tantoq; ut illius violentia ex oculo læso saniem sangvini mistam expresserit

rit in ea copia, quæ non vestes tantùm, sed & humum madefecit. Territus casu, familiam excitat, lumen adferri jubet, quid rei esset? visurus. Mandato heri fit satis: tangit, palpat locum vulneris, & ecce oculum reperit, & videntem. Hæsit dubius, attonitusq; insolita rei novitate: librum porrigi mandat, hunc dum clauso sano oculo legit facile, miraculum conclamat ac in laudes Virginis Deiparæ cum familia & domo integra effunditur: Nox reliqua orationi data. Nondum bene dies illuxit, ad ædem Thaumaturgam currit; & qua par erat, devotione agit gratias. Insuper in memoriam hujus beneficii, quam primum rem omnem depingi, postmodum in argentea lamina elaborari curavit, & Aræ appendit.

Abiens Częstochoviâ divertit Petricoviam, ut incolumitatem suam manifestam faceret, & promissa actis juridicis firmata à Dissidentibus exigeret; fuère nonnulli, qui fidem dederunt miraculo, & verbo stetèrunt, alii elegerunt urbe excedere, quam pactum adimplere. Ea est quandoq; judicii pertinacia, ut illam nec ratio, nec propria experientia à proposito possit flectere. Oculus hic ope MARIÆ restitutus minor erat altero, illum Philippus ocellum MARIÆ Virginis nominare solebat: id singulare, ante mortem hujus Palatini officio suo fungi desiit. *Niesiecki Tom IV.*

LVII.

ANDREAS IV. LIPSKI

In Cracoviensi Episcopatu Szyszkowscio successit. *Vide Lib: I. pag: 351.*

LVIII.

MATHIAS IV. ŁUBIENSKI

Gnesnensis Archi præsul. *Vide Lib: I. pag: 165.*

LIX.

NICOLAUS V. GNIEWOSZ

De Stemmate Rawicz. *vide p. 75*

CHristophori, qui ad Chotimum gloriosè decertans pro Patria occubuit, & Annæ Offolinſka Filius. Quantus eſſet? patuit, dum Mathiæ Lubienſcio, de Eccleſia & Republica optimè merito Præſuli ſuccedere meruit. Legationes cum plauſu obitæ, perſpicax in rebus agendis prudentia, morum compoſitio erant Viro ſuffragium ad hanc Sedem. Ex Cracovienſi Canonico, Abbate Pokrywnicenſi Ladislao IV. promovente, probante Urbano VIII. eam adiit, & per annos duodecem moderatus eſt, ipſe norma & exemplum Diœceſis. Anno 1654. vivere & regere deſiit.

LX.

FLORIANUS CZARTORYSKI

AD Gneſnenſem Metropolim promotus eſt. Vide *Lib: I. pag: 180.*

LXI.

JOANNES X. GEMBICKI

Faſciâ pro Stemmate inſignitus.

JOannis Pocillatoris Poſnanienſis, & Catharinæ Cielecka Filius, Petri Cracovienſis Epiſcopi Frater. Decanus Cracovienſis, Præpoſitus Miechovienſis, Gneſnenſis Cuſtos, Regni Secretarius Ludovicam Ladislai IV. Regis ſponſam ſalutavit ejus poſtmodum Cancellarius. Adhuc Regens Cancellariæ à Ladislao IV. Mathiæ Caſimiro Sarbievio S. J. detulit Doctoralem lauream. Culmenſis primùm, brevi Plocenſis Præſul prope viginti annos eidem præfuit Eccleſiæ. Tandem poſt aſcenſum Czartoryſcii ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem

ſem anno 1674. eidem in Vladislavienſi Sede ſucceſſit ætate gravior, in qua anno ſequenti 1675. obiit. Antiſtes ut magnarum dotum, quibus à natura abunde erat prædìtus, ſic virtutis eximiæ, qua omnem ætatem excoluit.

LXII.

STANISLAUS II. SARNOWSKI

De Stemmate Jaſtrzembiec

In campo cæruleo ſolea cornibus erecta crucem in medio continet, eminet ſtemmati accipiter alis ad volatum extenſis.

JOannis Caſimiri, Principis Regii peregrinationis & periculorum comes. Iis ſuperatîs cum eodem in Poloniam redux, primùm Secretarius, brevi Referendarius, Regni, mox Premislienſis Antiſtes contra perfidiam & temeritatem Judaicam zeli ſui reliquit monumentum. Rymanoviæ & per totam Diœceſim Premislienſem gens hæc in magnum crevit numerum: ubivis locorum non abſq; opprobrio religionis ad viliſſima quæquæ obſequia levi quandoq; pretio conductis abutebatur Chriſtianis: feſtorum cultus erat illi ſcandalo & ludibrio. Ea re permotus Antiſtes hic perfidiæ intentavit actionem & Petricoviæ in Judiciis Tribunalis Regni anno 1663. Feriâ quintâ ipſo die feſto S. Luciæ V. M. obtinuit decretum, quo ſub pæna colli judæis obſequia Chriſtianorum inhibentur, feſtorumq; præcipuè feſtivitatis Sacratiſſimi Corporis Chriſti obſervantia intimatur: videlicet ut eo tempore, quo ſolenni pompa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum defertur, judæi ſeſe in domibus propriis modeſte contineant, omnemq; munditiem ante ædes ſuas ſervare curent. *Vide Acta Tribunalis hujus anno prædicto.*

Decretum hoc annô ſequenti 1664. die 20. Martii per totam ſuam Diœceſim promulgari fecit, utq; ſacroſan-

crosanctè servaretur, omne studium adhibuit. Et quia gens hæc cùm sibi aliquid prohibetur, innata temeritate novum quid molitur & audet, festivos congressus suos magno apparatu obire cæpit. Id ubi innotuit Stanislao, Pastorali suo mandato 1666. anni, 22. mensis Junii insolentiam hanc cohibuit.

Michaëli Regi in illis fuit amoribus, ut moriens, ultimæ voluntatis suæ executionem ei commiserit, & singulariùs commendaverit. Ex Premisliensi Episcopatu favore Joannis III. ad Vladislaviensem promotus, plenus meritorum obiit 1680.

Illum Naramowski in Facie Rerum Sarmaticarum prætermisit; cæterum 1676. circa confirmationem generalem Jurium per Joannem III. factam præsens aderat hic Stanislaus Nominatus Vladislaviensis. *Vide Volum V Legum.* Et 1678. Stanislaus Zbąski Episcopus Premisliensis, qui Sarnovio successit, per constitutionem Regni ad latus Regium designatus est.

LXIII.

BONAVENTURA MADALINSKI

De Stemmate Larissa: id est binis vomeribus insignis.

HIc promovente virtute Principum, Regum affectus meruit. Primam ætatem in aula Serenissimi Caroli Ferdinandi Principis Regii Vratislaviensis & Plocensis Episcopi consumpsit: Joannes Casimirus illo arcanorum suorum interprete utebatur: Opalenski Palatinus Posnaniensis, cùm in Gallias pro deducenda Ludovica Gonzaga Ladislai IV. Sponsa designatus esset, itineris comitem, Bonaventuram impetravit. Venceslaus Leszczynski Regni Primas suum Cancellarium voluit; omnium votis abunde respondit. à Joanne Gembiccio Plocensi Præsule Coadjutor Roma & Rege probante institutus

tutus, eidem successit. Ex Comitiis 1676. ad executionem testamenti Joannis Casimiri designatus, tandem post obitum Sarnovii à Joanne III. ad Vladislaviensem promotus Sedem, eam prope decennium rexit in suam Ecclesiam munificus, quam turribûs aliisq; beneficiis adornavit. Obiit 1691.

LXIV.

STANISLAUS III. DĄBSKI

JOanni Małachowski in Cracoviensi Sede successit *Vide Lib: I. pag: 373.*

LXV.

STANISLAUS IV. SZEMBEK

POst obitum Cardinalis Radzieiowscii Regni Primas. *Vide Lib: I. pag: 189.*

LXVI.

CONSTANTINUS SZANIAWSKI

AUgusto II. promovente Cracoviensis Præsul. *Vide Lib: I. pag: 377.*

LXVII.

CHRISTOPHORUS SZEMBEK

PLurium Cathedrarum Præsul, in Gnesnensi Metropoli obiit. *Vide Lib: I. pag: 197.*

LXVIII.

ADAMUS GRABOWSKI

VLadislaviensem Sedem cum Varmiensi commutavit. *Vide Lib: III.*

LXIX.

VALENTINUS CZAPSKI

De Stemmate Leliwa

Luna est dimidia in campo cæruleo, utroq; cornu erecta in medio stellam continens.

ALexandri & Barbaræ Białochowska Filius, ex Posnaniensi Canonico Cisterciensium Pelplini Abbas: disponente Augusto III. Roma probante Alexandro Fredro in Premisliensi, Adamo Grabowski in Vladislaviensi Sede successit. Cathedralem Vladislaviæ Ecclesiam aureo calice, pretioso apparatu adornavit, æreâ texit laminâ, & ad conservandum illius decorem aliquot millium decades inscripsit, in Suffragium verô animæ triginta sex millia florenorum ultima voluntate disposuit. Obiit Gedani 4. Martii 1751. Vladislaviæ sepultus.

LXX.

ANTONIUS DEMBOWSKI

De Stemmate Jelita

Tres sunt hastæ, quarum duæ acie erectæ in figuram litteræ X, tertia in medio erecta, sed ferrô demissa est.

PAlatinatus Plocensis huic Patria, Terra magnorum in Republica Virorum non postrema Parens. Patre Floriano, Judice Terrestri Plocensi, Matre Eva Ciechanowiecka 1682. die 2. Februarii primam aspexit lucem. Litteris maturus, Pułtusci in Scholis S. J. demum Varsaviæ teneriorem ætatem, altiorem in aulis Andreæ Chrysostomi Załuski, Joannis Szembek Cancellariorum Regni, excoluit, & crevit in Virum Domui Regiæ & Reipublicæ, proficuum. Serenissimo Augusto tum Regio Poloniarum Principi exterum Orbem lustranti itineris ac secretorum comes datus, fidum se in cunctis præbuit cor & affectus tanti Principis

in

in præmio sortitus. Obsequia Filio præstita, dexteritatem in agendo Antonii expertus Augustus II, cùm 1712. Christophorum Szembek Livoniæ Præsulem Viennam in negotiis expediret, Dembowscium Legationis Secretarium designavit. Re advota Regis peracta, cum Lipscio, Ciccendorfio, Trautsenio, quos postmodum Cracovia, Vratislavia, Vienna Præsules coluit, Roma ad purpuras evocavit, repetito passu ivit ad exteros: Germaniam, Venetias, Romam, Neapolim, Florentiam, Marsiliam, Galliam, Belgium peragravit, eamq; rerum, status Regionum quæsivit notitiam, qua in sua Polonia emineret. Redux in Patriam Tymbarscensis Będzinensis, tum Castri Plocensis Præfectus, Majoris Sigilli Regens, Referendarius Regni, Susannam Rupniewska Subdapiferi Podoliæ Filiam duxit in vitæ sociam.

In hoc matrimonio Filiam Cunegundem, Stephanum & Joannem à Cruce Filios nactus, Conjuge defuncta ad Sacros Ordines cùm adjecisset animum, parabatur Sigillo Regni ab Augusto II. (hoc tum Ecclesiastico statui debebatur; *vide Lib: I. p: 5.*) Verùm dignitas hæc lege præscribente nisi in Comitiis Reipublicæ conferri poterat. Cogebant hunc publicum Regni conventum & alia negotia; quare Augustus congressum extra Ordinem indixit; sed in ipsis consiliorum primordiis dolendo fato naturæ cessit. Parentis vota Serenissimus Filius, & in throno Successor coronare intendebat; cæterum rerum circumstantiæ hunc Poloniæ magistratum detulerunt Andreæ Załuski Episcopo Plocensi. Et quia Plocenses Antistites præesse Sigillo Regni lege prohibiti sunt; Załuski Lipscio in Sede Luceoriensi successit, ad Ecclesiam verò Plocensem Dembowski promotus est.

In Præsulem consecratus omnem intendit curam, ut sua Diæcesis composita esset ad præscriptum Sacrorum Canonum: lustravit integram, & optimis Rectori-

bûs

bûs, qui doctrinâ & exemplo essent gregi, paræcias instruxit. Tribunali Radomiensi, quod causarum Fisci dicitur, præfuit æquus arbiter (a) Post obitum Valentini Czapski Vladislaviensis Antistes Gedani contubernium erexit pro juventute Catholica utriusq; sexûs, & in illam alendam, ac in pietate formandam impensas contribuit. Anno 1756: Ministrum errorum, qui ultra 30. annos dogmata à Romana Ecclesia damnata Gedani prædicabat, Religioni Catholicæ lucratus fovit beneficiis: plures egenos liberali manu sustinet Pater pauperum: à laboribus Præsuleis non illum ætas non virium debilitas retrahit. In senectute sua, ut curæ Pastoralis providum haberet socium, Illustrissimum Antonium Ostrowski Antistitem Livoniæ Episcopatus Coadjutorem adscivit.

(a) Huic Tribunali semper Præsul præficitur.

CAPUT SECUNDUM
De Episcopatu Posnaniensi.

Cathedra hæc, ut plures aliæ, primordia debet Mieslao Duci Poloniæ: qui non satis habuit, ut ipse abjecto infidelitatis errore veram salutis viam arriperet, ut omnes subditi se se imitarentur, ad propagandum cultum veri Numinis, inter alias, & hanc anno 966. in suburbio Posnaniensi, ad fluvium Varta Ægidio Cardinale Legato Pontificio Ecclesiam sub titulo SS. Petri & Pauli Apostolorum consecrante, Joanne XIII. Pontifice Maximo probante, erexit & dotavit: primusq; illi Præsul præfectus est, Jordanus Romæ consecratus.

Urbs Posnania ad fluvium Varta sita, circa quem Varinos habitâsse scribit *Sarnicki in Descript: Poloniæ*, nomen juxta nonnullos à Lecho I. Duce Poloniæ sortita est: qui illam condidisse dicitur ex eo: quod hoc in loco

co Lechus Czechus & Russus Fratres longo tempore & Regionibus inter se dissiti convenerint, (a) Juxta alios, sub tempora Visimiri Ducis Poloniæ, ab uno e posteris Lechi *Pozny* dicto fundata (b) Juxta plures dicebatur olim Stragona (c) nunc primum nomen accepit, quod hucusq; retinet, ab inita notitia Boleslai Chrabry cum Ottone Cæsare exuvias D. Adalberti M. visitante: ut vult *Sarnicki in Descript: Poloniæ* Aut veriùs, ut idem *Sarnicki loco citato* scribit, quia hoc in loco Poloni primam fidei Christianæ notitiam acceperunt: ex Patrio idiomate *Poznanie* Posnania dicta est.

Ducum, Regum Poloniæ olim sedes fuit, nunc totius Poloniæ Majoris caput est & Metropolis: à Svecis, Saxonibus, ipsis Polonis, præcipue à fluvio Varta ripas sæpius excedente vastata splendorem suum vindicat. Præter varios Religiosorum Ordines, Ecclesias magnitudine, majestate & arte commendatas, in pratis viciniis habet ædem sacram Corporis Christi beneficentiæ Jagellonis monumentum sub cura PP. Carmelitarum antiquæ observantiæ. In illa depositæ coluntur hostiæ à Judæis sacrilego ausu & contemptu Numinis Eucharistici confossæ, sangvinem olim his ictibûs elicitum manantes, miraculis & magno populi concursu celebres.

Impia quædam fæmina turpis lucri illicio inducta, ex Ecclesia PP. Ordinis Prædicatorum festô Assumptæ in cælum Virginis 1399. tres sacras hostias furtô sublatas Judæis vendiderat. Divinâ prædâ læta gens perfida, exarsit odio, quo semper flagrat in Christiana sacra, manuq; sæviit, ac repetitis ictibûs multum sangvinem expressit. Exhorruit ad rem inexpectatam, utq; tam cruentum nefas ocultum faceret, panem Angelicum extra urbis portas in pratis lutosis terræ mandavit. Verùm non ita sibi providit nequitia, ut illius scelus non esset in aperto. Ex latebris & paludibus elevatas in aë-

(a) Lubienski Geograph: (b) Naramowski Lib: I. C. VIII. (c) Petrus Appianus.

rem hoſtias inſolitus fulgor prodidit: pecudes ipſæ neglectis paſcuis procidua commune omnium Numen flexis adorârunt genibus, ejus læſo honori mugitu indolentes. Rei novitatem admiratus Paſtor, eam urbi detulit. Miſſi exploratores cum paſtoris dicta confirmarent tota ſe effudit Civitas: Epiſcopus, Clerus, Religioſi, ſupplices, ut ſe illorum manibus concrederet cæleſte pignus: meruit eam gratiam ab ætate & pietate commendatus Joannes Presbyter. Magno omnium cultu ad ſacram urbis ædem D. Magdalenæ delatæ hoſtiæ, & in ſacrario depoſitæ, donec illis condignum pararetur tabernaculum. Sed locum ex objecto vilem, at ſangvine ſuo pretioſum elegerat Chriſtus Euchariſticus, rediit ad paludes. Quare ſupremam voluntatem adoravit Poſnania, & illo in loco præpropere ſacellum ſtruxit, in quo hoſtias cultu reverenti depoſuit. Brevi Ladislaus Jagello tum Poloniæ imperans commodo confluentis populi Eccleſiam Corporis Chriſti Regiâ munificentiâ erexit & dotavit. Judæi verò Divini ſangvinis rei cum impia muliere ad rogum damnati, & à canibus diſcerpti ſacrilegii crimen expiârunt *Nowowieyſki in Phœnice redivivo. Miechovita. Kwiatkiewicz ſub anno 1399. Dlugoſſius quoq; meminit L. X:* & Cromerus Lib: XVI. *hujus facinoris.* Extat ejus rei vetus pictura in prædicta Eccleſia.

Quæ Theatrum præcipuarum totius Orbis urbium Lib: VI. Coloniæ Agrippinæ editum 1617. & Ferdinando II. Bohemiæ Regi, Archiduci Auſtriæ dedicatum luci publicæ prodidit, hic annoto: *In hac eadem urbe* (videlicet Poſnania) *Lubrantius immortali memoriâ dignus Epiſcopus, non Collegium modo ſupra dictum* (Collegium Clericorum ab illo erectum ſcribit) *ſed & Academiam inſtituit: quam à Succeſſoribus neglectam Adamus Conarius Epiſcopus non ita pridem ſingulari curâ & munificentiâ reſtauravit.*] *Sed nihil illuſtrius, nihil ad bonarum artium mercaturam uberius, atq; optius habet Poſnania*

ſnania, quàm inſigne illud Societatis JESU Collegium, ad templum B. Stanislao dedicatum, ad cujus laudem vel unum illud ſatis eſt, quòd celeberrimum illum & Theologum, & omnis litteraturæ peritiſſimum Virum, *Antonium Poſſevinum produxit.* De Poſſevino id ego non auſim aſſerere; cùm aliunde ſciam, Virum hunc natione Italum, Patriâ Mutinenſem Societati nomen dediſſe Romæ 1559 anno, ætatis ſuæ 26. *Juvencius Hiſt: S J. Par: V. L. XXV.*

Cathedra hæc Miecislao I. Duci Poloniæ in iis fuit amoribus, ut hic in ætate fracta Boleslao, Filio ſuo in Eccleſia Poſnanienſi locum monſtraverit, quo condi vellet. Optimi Principis exemplum ſecuta poſteritas, dum & Boleslaus Chrabry, Miecislaus II. Caſimirus Monachus, Reges, pluresq; Duces Poloniæ eadem in Eccleſia ſepulturam elegerunt, Regio apparatu & ampla funeris pompâ conditi. Illorum mauſolea Caſimirus M. Poloniæ Rex vetuſtate temporis collapſa, & fere ſolo æquata mole ſuper impoſitâ erexit, & (ut inquit Dlugoſſius) deliteſcentes Anteceſſorum ſuorum, quorum ſangvine ſatus erat, umbras, ne in perpetuam inciderent oblivionem, vindicavit & illuſtravit.

Poſnanienſis Epiſcopus poſt Cracovienſem in Senatu locum olim habuiſſe ſcribitur à Cromero & Nieſieccio: ſed nunc Vladislavienſis illum præcedit. De jure coronandi Reges in abſentia Primatis apud Joannem Laſki multis egit pro ſe & ſuis ſucceſſoribus Joannes Laralſki XLVIII. Poſnanienſis Præſul, ſed cùm nullam legem afferret, prærogativa hæc Vladislavienſibus adjudicata eſt. *Vide L. I. p. 21.* Nunc cum Epiſcopo Vilnenſi alternum locum in Senatu obtinet.

Latitudo Diæceſis hujus ad Sileſiam Brandeburgicam protenditur: continet in ſe Palatinatum Poſnanienſem, magna in parte Caliſſienſem & Ravenſem, ac Diſtrictum Sviebodzicenſem, quem cum Lutheri ſecta juris ſui feciſſet, Sigiſmundus I. Rex Poloniæ ſcripſit Ferdinando Bohemiæ & Hungariæ Regi, ut Joanni E-

piſco-

piscopo Posnaniensi proventus & decimæ ex hoc districtu debitæ penderentur. Ducatus Mazoviæ licet non integer ad Diæcesim hanc pertinet. Varsavia Regum electrix & Sedes, Comitiorum Regni & Polonæ libertatis theatrum, Posnaniensis Episcopi jurisdictioni subjacet, unde Posnanienses Antistites, quandoq, Varsavienses nominantur.

Varsavia urbs, Colonia olim Avarinorum (d) ad fluvium Vistulam à Ducibus Mazoviæ erecta præter ædes magnifico opere structas, templa, Religiosorum Ordinum, abundat Regiis, & plurimis Procerum palatiis: quæ ut Poloni nominis majestatem exhibent, sic multis aliis in Europa non facile cedunt. Illius decus maximum est, Bibliotheca Załusciana, ut numerô librorum, sic dignitate & antiquitate operum, variarumq; lucubrationum liberalitate Domus hujus Illustrissimæ condita & dotata, usui publico consecrata. Hæc in Patriam beneficentia inclytæ Załuscianæ Familiæ est Poloniæ *Magna prorsus hæreditas, & multis sufficctura ingeniis.* Petrarcha de multitudine Librorum Dialogo XLIII.

In altera Vistulæ parte habet Pragam Civitatem, quam ut Varsaviæ Sigismundus Augustus conjungeret, pontem magno sumptu inchoavit, & post ejus fata Anna Jagellonia soror perfecit, sed hic injuriis temporum cessit: novus tamen impensis Regni erigitur sub tempus electionis Regum propter commodum Nobilitatis ad hunc actum congregatæ.

Costeni (civitas est Diæcesis & Palatinatûs Posnaniensis, ac sui districtûs caput) extat cænobium Ord: Prædicatorum à Joanne Episcopo Chełmensi ejusdem Instituti & civibus Costensibus erectum: in ejus triclinio agitabantur sæpius Judicia Terrestria: *v. de L. 1. p. 8.* Vice quadam effigies Christi Crucifixi more Religioso parieti affixa Judices justitiæ admonuit voce prolata: *Justè judicate filii hominum.* Terruit homines vox supremi Judicis, & amorem æquitatis inspiravit. Colitur effigies hæc in sacello ad Ecclesiam eorundem Patrum. *Pruszcz in mari gratiarum p. 3. Nowowieyski in Phœnice Ord: Præd.*

(d) *Sarnicki in Descript: Poloniæ.*

Diæcesis Posnaniensis numerat Ecclesias Collegiatas: Varsaviensem, quæ per legem totius Regni anni 1669. regnante Michaële I. Cathedralibus Ecclesiis æquiparata est in hoc, ut ad ejus primas dignitates seu Prælaturas, præter quatuor Canonicatus Doctorales, soli promoveantur Nobiles. Posnaniensem Beatissimæ Virginis ad Cathedram, S. Nicolai Episcopi, & S. Mariæ Magdalenæ in ipsa urbe Posnania. Czarnkoviensem, Szamotuliensem, & Sredensem. Chodziesziensis & Pyzdrensis sublatæ sunt. Fuerat & Kornicensis, sed hæredum loci hæresis & Ecclesiam juris sui fecit, & dotem in profanos usus convertit. Nunc primum post decessum Familiæ Comitum à Gorka anno 1592. Ecclesia sola per Catholicos vindicata est (e), quam Illustrissima Theopila de Działynsciis Potulicka loci & magni sangvinis hæres suis gratiis adornat. Collegia Clericorum ad Cathedram habet quinque: Vicariorum, Pœnitentiariorum, Mansionaristarum, Psalteristarum, & Altaristarum.

Componitur ex Archidiaconatibus quatuor. Posnaniensi: in quo forenses Decanatus sunt octo: Posnaniensis, Oborniecensis, Czarnkoviensis, Sredensis, Pysdrensis, Rogosnensis, Bukoviensis, & Kostrzinensis: Ecclesiæ vero 154. Sremensi: in eo Decanatus septem sunt: Sremensis, Crobensis, Kozminensis, Neomestensis, Smiglensis, Vschovensis, Costensis: Ecclesiæ 178. Psceyensi: in illo numerantur Decanatus tres: Zbąszynensis, Grodziscensis, & Lvovecensis. Ecclesiæ 113. Varsaviensi, in quo recensentur Decanatus decem. Piasecensis, Blonensis, Varecensis, Groiecensis, Sochaczovi-

(e) *Historia Coll: Posn: S. J.*

czovienfis, Mszczonovienfis, Gabinenfis, Garvolinenfis, Latovicenfis, & Lovenfis Ecclefiæ 136. non veniunt in hunc numerum Religioforum templa, & alia, quorum Rectores non habent animarum curam.

Capitulum conftat Præpofito, Decano, Archidiacono Pofnanienfi, Primicerio, Cuftode, Scholaftico, Archidiacono Sremenfi, Archidiacono Pfcevenfi, Archidiacono Varfavienfi, & Cancellario. Univerfos Canonicos numerat 24, Officiales feu Vicarios in Spiritualibus Pofnanienfem & Varfavienfem: generales congreffus celebrat feftô SS. Petri & Pauli Apoftolorum, quo tempore Judicem eligit ad Tribunal Regni & feftô S. Martini Epifcopi. Stemma illius eft: S. Petrus manu dextra claves tenens.

Poft Prælatos hujus Capituli in choro locum habet ante Canonicos Eques Melitenfis S. Joannis. Origo & Inftitutio horum equitum tribuitur Gerardo, Viro vitæ fanctitate commendato. (f) Anno 1099. Pafchali II. Romanam Ecclefiam, Occidentis Imperium Henrico IV, Orientis Alexiô Comnenô, gubernantibûs, Godefridus Rex Hierofolimæ felicibûs armis terram fanctam vindicabat. Reperiebantur illis in oris Chriftiani a Paganis vulgo *Latinis* dicti. Hi apud Agarenfes loci dominos impetrârunt, ut fibi manere liceret ad fepulchrum Chrifti, ubi fucceffu temporis clauftrum fub titulo B. Virginis ædificarunt, dictum: *Latinorum cænobium*: Clauftri hujus fuperior vi officii fui Chriftianos peregrinos fufcipere tenebatur; fed progreffu temporis dum tantus itinerantium confluerет numerus, ut illos nec hoc cænobium, nec alterum fub titulo S. Mariæ Magdalenæ commode fovere poffet Gerardus hofpitale fub titulo S. Joannis Baptiftæ erexit, primufq; cum nonnullis fociis eidem præfuit. Omnes regulam S. Auguftini profitebantur. Inftitutum hoc

(f) *Jacobus Boffius in Hift: Melitenfi. Paulus Morigia. Barbofa. Caffaneus.*

hoc multis placuit, breviq; plures numeravit comites. Illorum erat officii, non peregrinos duntaxat excipere, illis neceffaria providere, fed à latronibus etiam defendere, & iter fecurum reddere. Hæc vivendi norma & obligatio à Callifto II. anno 1120. & Honorio II. anno 1125. tum aliis Pontificibus approbata, multifq; decorata eft privilegiis.

Equites prædicti vocabantur primùm Hierofolimitani, quod Ordinis fui initia Hierofolimis habuerint in eum numerum & vires poft modum creverunt, ut magnô fuerint adminiculô rebus Chriftianis in Palæftina. At poftquam Terra Sancta & Provinciæ a Chriftianis expugnatæ denuo cefferunt fub jugum Saracenorum, & illi folum mutare coacti funt in Infulam Rhodum, quam vi & armis 1308. Turcis ereptam juris fui fecerunt. Scribunt aliqui Infulam hanc à Clemente V. Romano Pontifice, alii à Godefrido Hierofolymæ Rege illis donatam: a qua equites Rhodienfes dicti funt fub hoc nomine de variis hoftibus præcipue Saracenis gloriofi victores. Et non tantum vi & armis cum hominibus decertârunt, de belluis ferocibus arte triumphabant.

Anno à partu Virginis 1345. Clemente VI. Romanæ Sedi, Occidentis Imperio Ludovico V. (ufurpabat ille regimen Imperii) Joanne Paleologo Orientis Imperio præfidentibûs in Infula Rhodo non procul ab Ecclefia S. Stephani rupes ingens erat vaftiffimô antrô fubterraneo, ex quo rivus emanabat, inftructa. In hoc excubabat draco, monftrum ingens, horrendum vifuq; ferox, quod non univerfam duntaxat Orientalis infulæ partem magna hominum jumentorumq; ftrage inaudita fævitie infeftabat, fed & halitu virulento adeò àërem corrumpebat, ut nemo fine manifefto vitæ periculo oram hanc adire poffet: adeoq, à Magno Ordinis Magiftro Elione de Villanova publicô edictô cautum fuit, ne quifpiam cujufcunq; effet conditionis, aut ordinis

dinis locum adiret: equitibus verò sub pæna privationis vitæ idem interdictum fuit; adeoq; non immerito mansit loco nomen: *Mal passo* seu malus passus.

Ea tempestate erat Rhodi Eques, nobilissimus juvenis magna animi corporisq; fortitudine præditus & promptus, Deodatus de Gozon Gasconiâ oriundus. Hic indignum ratus, nullum esse ex tot militibus & equitibus, qui ad tanta damna resarcienda monstro sese opponere auderet; ad immortalitatem nominis sibi comparandam amore percitus, meliorem occasionem nunquam se obtinere posse existimavit, quàm, si certamine novô & inauditô feram interimeret, ac ejus nece Insulam ab ejusmodi malo liberaret. Sed obstabat rigidum Magistri edictum; quare totus in eô erat, quâ via suæ intentioni satis faceret. Hac itaq; ratione negotium ordiri cæpit: formam primùm monstri, totiusq; corporis molem, colorum, quibus imbuebatur, diversitatem clandestino loci accessu observavit.

Draconis forma hæc erat: corpus magni equi aut bovis crassitiem adæquabat, collum longum & asperum in serpentis desinebat caput, auribus constabat ad similitudinem muli, os horrendo rictu, acutissimisq; dentibus ferox, oculi prægrandes ac præfulgidi veluti ignem spirabant, pedibus quaternis incedebat acutissimis in morem ursi ungvibus instructis, ad caudam & reliqua membra crocodilo prorsus similis. Totum corpus squamis durissimis perplexe dispositis armabatur, duabus alis cartilagineis, lateribus protensis instructum, colore, branchiis delphini non absimilibus e superiori parte cæruleo, ex inferiori sangvineo flavo misto imbutis, quo colore & totum reliquum corpus mixtum tingebatur. Adeò celeri & concitatô ferebatur motu, ut equus cursu quantumvis celerrimô ejus velocitatem effugere nequiret; partim enim volare, partim pedibus incedere videbatur. In conquirendo pabulo dum versabatur, strepitu squamarum testacearum, & horrendô

dô sibilô, qui longe lateq; percipiebatur, difficillimos etiam metu pæne exanimabat.

Hanc formam & actiones draconis Deodatus cum observâsset, & optime perspexisset, sine mora, à Magistro obtentâ veniâ sub specie expediendarum domesticarum rerum in Patriam abiit: ubi draconem ex stupa & charta, sive colorum varietatem, sive membrorum, totiusq; corporis situm ac magnitudinem spectes, Rhodiensi similem & æqualem affabre fieri curavit: deinde equum, quàm potuit generosissimum, pugnæq; aptum emit, cui duos validissimos canes, quos Anglicos vocant, adjunxit. His paratis draconem stupeum per famulos in hujus officii partem destinatos, & in monstrum immissos, apte nunc huc, nunc illuc incedere jussit: quorum ope per funiculos jam aperiebatur horridus oris rictus, nunc cauda in diversas torquebatur partes, nunc sibilus, ac dentium stridor sangvinea oculorum acies, & alarum strepitus mirum, vivi draconis instar exhibebat spectaculum. Deodatus verò integer armatus in monstrum simulato mentitoq; assultu, equum & canes urgebat. Hoc exercitio cùm sese ad semestre spatium exercuisset, equus & canes ad omnem industriam instructi, tantô aggrediendi draconem desideriô & pruritu tenebantur; ut illo visô vix ampliùs fræno cohiberi potuerint. Unde de felici successu securus, finem imposuit larvatæ pugnæ, & propere iter versus Rhodum cùm equo canibus & famulis orsus est.

Vix Rhodum pervenit, conceptum pridem molimen absq; mora exequi ratus, constituto die melioris notæ, loricâ indutus & firmâ armatus lanceâ, gladioq; accinctus, in Ecclesiâ S. Stephani à cubili feræ non adeò remota, priùs Deo, S. Stephano & D. Joanni Baptistæ tanti momenti negotiô commendatô versus antrum processit: famulos verò hisce monitis prius instruxit: ut ii in altam rupem ascensu facto luctæ specfato-

ctatores eſſent; quòd ſi occiſâ belluâ ſe vivum, ſed vi veneni deficientem adverterent, ad ſubveniendum congruis jam ante paratis remediis ſibi ſuccurrerent: ſi verò ſuperſtite dracone ſe interemptum cognoſcerent, fugâ ſibi conſulerent.

His ita præmonitis ingenti animi conſtantiâ & fortitudine cubile belluæ ingreſſus, dum nihil ſeſe movere ſentiret, clamore ad excitandum monſtrum facto, ubi ex ſibilo & ſquamarum ſtrepitu illud adventare advertit, in planitiem, locum pugnæ aptum, progreſſus, præſtolabatur draconem: qui viſo equite, opimâ prædâ allectus curſu & volatu celeri in eum ferebatur. Deodatus verò equus & canes, uti jam dudum, multumq; ad belluam oppugnandam inſtructi, ſſvefactiq; horridam monſtri rabiem nihil metuentes, draconem, qua parte dabatur, invadunt. Eques quoq; impetu facto, vibratam lanceam prærduræ draconis cuti tam valide impegit, ut hac ad primum ictum confractâ, potiſſimô armorum ſubſidiô privatus fuerit. Sed quia canes arreptis genitalibûs feram mirum in modum torquebant hæc cum ſe contra canes defenderet, ad reparandum certamen nonnihil temporis equiti conceſſit. Is itaq; gladiô & ſcuto munitus pedeſtri luctâ belluam adoriendam ratus, equo deſiliit: quod ubi advertit monſtrum, erectum primis pedibus, ſiniſtri ungvibûs equitem, dextri verò ſcutum comprimere tentabat; ſed Deodatus beſtiæ colli parte molliore comperta, quo potuit niſu, gladium infixit, ac viam ſangvini aperuit. Et quoniam ex dolore, quo premebatur bellua, in rabiem acta, quanto propius ſeſe interfectori ſuo admovebat, tanto eques ferrum & vulnus intra viſcera profundius impavida impellebat manu, donec gladii crebro & averſo ad inſtar ſerræ impetu, totum laniaret collum.

Concidit monſtrum effuſi ſangvinis copiâ debilitatum, moleq; ſua equitem certaminis labore exhauſtum,

ſtum, ac venenato, quem ex aperto corpore exhalabat, odore infectum, viribûſq; jam fatiſcentem ita oppreſſit, ut pæne exanimem fecerit. Spectavit luctam ac caſum heri familia, & mandatorum memor illico rupe relictâ, laboranti opem latura advolavit, jamq; fere exanimem à lethali onere liberavit. Advertit vitæ ſigna, quare tum frigidâ e vicino rivo, tum proviſo maturè medicamine debilem refecit: qui ſenſim viribus reſtitutus, felicem pugnæ ſuæ eventum admiratus, actis Deo gratiis equum conſcendit, atq; in urbem glorioſâ victoriâ peractâ reverſus, Magno Magiſtro rem ordine narravit: & ubi magnam de tanto facinore & publico bono ſperabat gloriam, adverſam fortunæ aleam expertus eſt.

Magiſter coacto cætu, publica reprehenſione de temeritate, & rigidi edicti violatione correptum, non ſatis habuit ab Ordine excludere, diro carceri inſuper addixit. Interea ſparſa de draconis nece fama ingenti lætitia ex interempta bellua totam replevit Rhodum, integramq; Provinciam excivit in laudes equitis: doluit tamen, quod ſortis ſuæ vindex miſer in ergaſtulo deliteſceret. Ordo ipſe ægre ferebat tanti Viri infortunium; quare cum Rhodienſibus pro ejus libertate ſupplex erat Villanovæ: Eorum precibûs motus Magiſter, non tantum à vinculis libero veſtitum reſtituit, ſed eundem ad primos dignitatis gradus promovit. Quovis probavit ſe dignum, tantumq; prudentiâ, fortitudine, dexteritate in expediendis negotiis valuit, ut Magiſtro Elioni de Villanova vitâ defuncto omnium ſuffragiô ſucceſſor electus eſſet. *Kircher in Mundo ſubterraneo Lib. VIII. Sect: IV.*

Equites prædicti per annos 214, quamvis ſæpe magna vi à Turcis oppugnati, Rhodum poſſidebant. Sed, ut eſt inconſtans rerum conditio, anno 1522. à Solimano II. Turcarum Imperatore totâ fere Orientis

potentiâ oppressi, & per anni dimidium oppugnati Rhodum Turcis reliquerunt, cùm annonâ & viribûs, defecissent. In locum amissæ hujus Insulæ Carolus V. Cæsar his Equitibus Rhodô pulsis, & in Insulam Candiam, Romam, Viterbium dispersis, Insulam Melitam in mari mediterraneo sitam dono dedit: a qua equites Melitenses dicti, Nomen hoc hucusq; retinent. *Lubienski Geogr.*

Melita Insula licet terram agriculturæ aptam non habeat, abundat tamen variis arborum fructibûs & vinô, cujus uvæ magnitudinem prunarum adæquant. A temporibus S. Pauli Apostoli caret infectis venenatis; cùm enim hic Sanctus à naufragio in hanc Insulam evenisset, & ligna ad fovendum ignem quæsivisset, vipera manui S. Apostoli adhæsit. Ne in posterum quid simile noceret incolis, D. Paulus loco precatus est. Ab hoc tempore nullum insectum ibi reperitur, & aliunde allatum moritur. *Lubienski loco citato.*

Insula hæc ab Equitibus S. Joannis habitari & muniri cœpit 1530. Solimanus expugnatione Rhodi ferox Melitam per menses quatuor oppugnavit 1566. Mustapha Passa (dignitas est apud Turcas una ex primis) Insulam ingressus 17. Maji, arces S. Michaëlis, S. Elmi & Burgensem occupavit; sed cùm ipsam Melitam, equitibûs fortiter resistentibus obtinere non posset munitiones superiùs dictas fœdô incendiô vastavit, & amissis Turcarum 23000. irarum plenus locô cessit. Tantò hoste liberati Melitenses munitiones refecerunt, ad eumq; deduxerunt statum, ut nunc locus hic contra Turcarum impetus in mari firmum sit Christianitatis propugnaculum.

Nemo ad Ordinem admittitur, nisi priùs deducta nobilitate generis & ortu legitimo; locum enim in hoc cætu non habent spurii, nisi fortè hi sint geniti Regibûs aut Magnis Principibûs. In Ecclesia S. Joannis a Magistro Ordinis in præsentia primorum creantur equites.

tes. Eques novus Ordinem postulans jurat super Evangelium, quòd sit in castitate, paupertate, humilitate ac obedientia victurus. Postea Magister strictum tenens gladium ad Ordinem accedentis faciem tangit dicens: *Cave ne pejora subeas in hoc Instituto, quod ad ultimum vitæ exitum tibi defendendum est.* Demum panem, salem & aquam illi porrigit: *Vide* inquiens, *quibûs ali debeas.* His finitis novus eques gratulationes recipit, omnesq; in æde ad id paráta solenni excipit conviviô. *Lubienski Geogr:* Magister supremus quibûs cerimoniis eligitur & inauguratur, Constitutione sua Urbanus VIII. 1628 die 3. Julii & 1638. die 21. Octobris descripsit.

Propter votum Castitatis æquiparantur equites Ecclesiasticis, unde illos Alexander III. & Innocentius III. Fratres, Magistrum verò Priorem nominavit. Propter votum Paupertatis res suas disponendi non habent potestatem: unde testamenta, codicellos condere bonorum hæredes constituere nequeunt. Possunt tamen aliquam partem facultatum suarum cum consensu supremi Magistri elargiri.

Equitum classis triplex est: Sacerdotum, Militum, servientium: Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Clerici ad Officium Divinum tenentur. Milites verò & servientes ex Ordinis statuto (a) 150. Orationes Dominicas recitare obligantur. Exempti sunt à jurisdictione Loci Ordinariorum, illorum tamen Ecclesiæ Parochiales ab Episcopis visitari possunt, nisi in contrarium adsit consvetudo. Si quispiam illorum de crimine Assasinii argueretur, illius cognitio ad Melitenses & eorum Episcopum pertinet, ita declaravit Clemens VIII. anno 1595. Post obitum sangvine junctorum & in funere supremi etiam Magistri, pullô non utuntur amictu, ut assvescant læto animô extrema quæquæ subire. Ab Ecclesiis, quarum habent regimen, nomenclationes, quales sunt: Præpositi, Decani, Parochi, forti-

(a) Stat: Titul: III. C. II.

ri nequeunt: sed Vicarios habent, qui curam Ecclesiæ exercent.

Insigne Ordinis est Crux alba quadripartita in paludamento coloris nigri: hæc non omnibus communis est: Fratres enim ab obsequiis, & milites gregarii per institutionem Claudii dela Sangle tripartitam ferunt.

Dignitates & officia huic Ordini singularia sunt: Magni Magistri, qui per electionem constituitur: Episcopi Melitensis, hic semper de Ordine est, nominaturq; a Rege Hispaniæ, ut in Geographia scribit *Lubienski*. Magni Commendatarii, Mareschalci, Hospitalarii, Thesaurarii, Magni Bajulivi, hic præest domibus, villis, Commenderiis equitum, Cancellarii, Prioris Ecclesiæ Ordinis. Sunt præterea officiis distincti, & Consiliarii Magistri: Admiralis, seu navium Præfectus, Draperius, qui curam habet rei vestiariæ: ille res equitum morte relictas connotat, ille Fratribus in communi viventibus vestes providet, quibus hi & non aliis utuntur. Turcopolerius, hic habet regimen equitatûs levis armaturæ.

Cùm Reges & varii Principes sua liberalitate Ordinis hujus vires contra Turcas promoverent, etiam Polonia a præstandis eidem beneficiis noluit esse aliena. Miecislaus sive Mieszko Majoris Poloniæ & Pomeraniæ Dux, ut scribit *Dlugossius Lib: V.* anno 1170. cum consensu Radvani Episcopi Posnaniensis, (in anno error esse debet; Radvanus enim Episcopus testimoniô ipsius Dlugossii Libro eodem V. anno 1262. obiit: cùm verò vitas Posnaniensium Episcoporum describit hic Dlugossius, anno 1264. Radvanum vitâ defunctum asserit) ex pietate in egenos, quam semper præsetulit, multaq; liberalitate insignem fecit, ad Ecclesiam S. Michaelis in Suburbio Posnaniensi xenodochium erexit, ejusq; curam cum Ecclesiæ equitibus S. Joannis Hierosolimitani commisit, bonis in dotem inscriptis, quæ recenset locô citatô *Dlugossius*. Ducis beneficentiam

tiam auxit Radvanus, cùm ex prædictis bonis, & nonnullis aliis mensæ suæ Episcopali decimas pendi solitas eisdem cessit equitibus (*b*) Canonicorum quoq; Collegium horum equitum auxit dotem ea conditione, ut ad Ecclesiam Vicarium foverent. Dos hæc Melitensium ne injuriâ temporum oblitteraretur, inscripta est Actis Castrensibus Posnaniensibus Feriâ III. post Dominicam Jubilate proxima 1668.

Seriem equitum S. Joannis Hierosolimitani, nunc Melitensium Posnaniensium ex variis Authoribus collegit Andreas Lipiewicz Philosophiæ Doctor 1747, Primusq; juxta illum Eques, & ut in Polonia vulgari nomine dicitur Comendor Posnaniensis, fuit Rozdzechius circa annum 1211. Laurentius Powodowski circa annum 1540. in Ecclesia Caehedrali Posnaniensi sepultus, post fata cum gladio evaginato sub tempus sacrorum sæpius apparebat spectabilis. *Idem Lipiewicz.* Hujus an alterius Laurentii Powodowski habetur in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi Epitaphium, in quo scribitur: *post obitum annô integrô piis ac fatidicis apparitionibûs admirabilis.* Fuerunt alii plures in regimine hujus Comenderiæ, ut familia &, honoribûs, sic meritis in Poloniam illustres.

(*b*) *Dlugossius Lib: V.*

ORDO & VITÆ EPISCOPORUM POSNANIENSIUM.

I.

JORDANUS ROMANUS
Ex Familia Ursinorum.

PRimus hujus Cathedræ Præsul, Romæ à Joanne XIII consecratus, & ad hanc Sedem designatus. Scribit quidem Dlugossius in Vitis Episcoporum Posnaniensium à Stephano VII. hunc Jordanum consecratum.

Verum id fieri non poterat; communi enim Historicorum, & ipsius Dlugossii L. II. sensu, anno 966. à Miecislao Duce Poloniæ cum nonnullis aliis Cathedram Posnaniensem fundatam esse constat. Porro anno hoc Joannes ad clavum Romanæ Ecclesiæ sedit, Stephanus autem VII. unius fere anni Papa anno 897. juxta seriem Romanorum Pontificum vivere desiit.

Jordano, ut ejus adventûs primitiæ gratiores essent Polonis, Romanus Antistes gladium B. Petri Apostoli obtulit pro Posnan: Ecclesia, quo in abscinenda Malchi auricula in montis Oliveti horto S. Apostolus usus fuisse creditur (c) Gladius iste etiam in hunc diem studiosa veneratione colitur. Magno cultu à Miecislao Duce Magnatibus & populo, ut alii novi Præsules Poloni, sic & hic Jordanus acceptus novellum Christi gregem, cùm verbô non posset, vitæ exemplô pavit, Ducem Miecislaum Posnaniensi intulit tumulo, ipse verò 1001. obiit Posnaniæ, juxta nonnullos in Brandeburgia, ibiq; sepultus est.

II.

TIMOTHEUS ROMANUS

De Familia Columnarum.

UT genere, sic doctrina & virtute nobilis, anno 1002. adiit Sedem fatis Jordani viduam. Et quia ipse rudem in fide populum erudire non poterat, omni conatu allaborabat, ut plurimos Sacerdotes lingvæ Polonæ peritos laboris socios haberet. Annis octodecem rexit Ecclesiam, Posnaniæ sepultus.

III.

PAULINUS ITALUS

Cruce pro Stemmate insignis.

POst fata Timothei Boleslaus Rex per nuncios supplicavit supremæ Sedi pro Præsule ad vacantem Posnaniensem Ecclesiam, datusq; est Legatis in eum consentientibûs Paulinus, Canonicus S. Petri, ex familia nobili oriundus, litteris Divinis & profanis apprime excultus, Romæ in Episcopum consecratus. Hic ubi in Poloniam venit, primùm adiit Boleslaum, à quo comiter acceptus per dies aliquot, comitante aula Regia ad Ecclesiam Posnaniensem deductus, à Clero & populo magno honore susceptus est.

(c) *Dlugossius in Vitis Episc: Posn:*

Rexit Diœcesim pie prudenter & studiosè, pluresq; Christo & Religioni lucratus est. Interturbaverat equidem fulgentem fidei statum inimicus dæmon, cùm ad pristina idolorum sacra rediret populus, sed temeritatem & licentiam compescuit Boleslaus Religiosus Princeps *vide p. 9.* breviq; 1025. anno mortalitatem exuit. Ploravit Regem Polonia, eoq; luctu fata Principis prosecuta est, ut à lautioribus conviviis & choreis anno plusquam integro abstinuerit: nuptiarum festivitates, nobilium solennes congressus abrogati, vestium quoq; cultus splendidior intermissus fuerit. (d) Tanti Regis exuvias in confluxu Præsulum, Procerum, populi morti Boleslai illachrymantium in Posnaniensi Basilica deposuit Paulinus ipse verò 1035. meritorum plenus in eadem Ecclesia sepultus est.

IV.

BENEDICTUS I.

POst mortem Paulini integrô ferè bienniô Posnaniensis vacavit Sedes; nam & Clerus in substituendo Præsule fuit segnior, & in Regno Rex deerat, Casimiro Filio Miecislai & Rixa Matre exulare coactis. Alii Poloniæ Præsules correpta segnitie Posnaniensis Cleri, Benedicto IX. pro Episcopo supplicârunt: datusq; est hic Benedictus Neapoli oriundus. Honore, quo par erat,

(d) *Dlugossius Lib: II.*

erat, à Posnaniensibus acceptus, ea, quæ vacante Sede irrepserant, omni sollicitudine emendare curavit. Obiit 1048. in sua Cathedra IV. Idus Decembris sepultus.

V.

MARCELLUS ROMANUS

De Gente Vitelliorum.

EX celebri Marcellorum Familia, Auditor Palatii & Decretorum Doctor post mortem Benedicti ad Sedem Posnaniensem à Casimiro Rege invitatus, probante Damaso II. evectus est. Angebatur, quod ipse ob ignorantiam idiomatis Poloni populum erudire non valeret. Id tamen per interpretes supplere curavit. Casimiri Regis defuncti 1058. corpus sepelivit Posnaniæ. Obiit 1068. in sua Ecclesia sepultus.

VI.

THEODORUS I.

POst fata Marcelli Cardinales & Viri notabiles varios promovebant ad Posnaniensem Ecclesiam. Hic maximè idoneus Alexandro II. visus est. Opinioni Alexandri affatim respondit Theodorus. Eruditione, egregia indole, & moribûs modestis Boleslai gratias, & populi favores meruit & licet quandoq; severius animadverteret in transgressores, etiam puniens amabatur. In affectibus Polonorum tantum valuit, ut hi, quo diuturnior illius esset memoria, filios fratres & propinquos suos in sacro fonte Theodoros nominari voluerunt; sed quia nomen hoc in suo idiomate commode exprimere non poterant, Theodori loco Ceder vocabant. Obiit Præsul hic 1087. rebûs omnibûs in egenos & viduas distributis, in Ecclesia Cathedrali communi luctu sepultus.

VII.

VII.

DIONISIUS

De Stemmate Trium Lunarum.

DEfuncto Theodoro, de substitutione novi Præsulis inter Clerum Posnaniensem & Summum Pontificem quæstio & difficultas exorta est. Clerus unum è medio sui præficiendum ambiebat huic Diæcesi, ejus conatus Ladislao Duce tuente & fortiter promovente. Summus Pontifex jure suo a primordiis hujus Sedis interrupto utebatur. Tandem has controversias superavit Roma; hic enim Dionisius Urbano II. disponente Diæcesi Posnaniensi præfectus est.

Italus natione, Latinis & Græcis litteris optimè eruditus. In aditu suæ Ecclesiæ reverenti quidem, sed non benevolô acceptus animô; progressu tamen temporis affabilitate, & moribus maturis totius Capituli & Polonorum summos favores expertus est: præter plures is erat non postremus; dum ejus nomen, velut Antecessoris Theodori, Nobilitas filiis & cognatis in baptismo imponendum curaret, quod nativâ lingvâ proferre cùm non valeret, non Dionisios, sed Dziwiszos appellabat. Præsul religionis magnæ, vitæ probatæ, in egenos liberalitatis maximæ, in quorum subsidium Ecclesiasticas facultates erogare in deliciis habuit. Anno 1106. colica & dolore intestinorum sublatus, commune primis sepulchrum nactus est.

VIII.

LAURENTIUS I. POLONUS.

ET nomine, & regimine hujus Diæcesis primus ex Polonis. Canonici, totusq; Posnaniensis Clerus ægrè ferebant, quod sui Antistites à Romano penderent arbitrio, ignotiq; & exteri indigenis, qui ad regendas Ecclesias idonei habebantur, præferrentur. Non

exi-

exigua erat ratio ut Polonus præesset; tum ut vitarentur expensæ in expeditiones Romanas, ac perplexa, & quandoq; periculosa Nunciorum itinera, tam ut suo Pontifici quivis familiariter, non per interpretes suas necessitates exponeret. Post obitum itaq; Dionisii hic Laurentius ex Posnaniensi Præposito concordi votô electus est: ejus electionem Boleslao Crivousto promovente Martinus Gnesnensis Archipræsul confirmavit, & Laurentium in Gnesnensi Ecclesia consecravit.

Præsul hic natales suos (obscuri fuisse scribuntur à Dlugossio) optimis moribûs & laudabili regimine illustres fecit. Mores sacrilegos, ac ritus, qui adhuc in nonnullis locis vigebant, extirpavit. Ipse seniô & laboribûs confectus anno 1127. viam universæ carnis ingressus, in Ecclesia Posnaniensi sepultus est.

IX.

MARTINUS

De Stemmate Doliwa Vide p. 59.

UT suum jus in eligendo Antistite etiam præscriptione tueretur Posnaniensis, Clerus, post obitum Laurentii indicta electioni die plurimus convenit, ac hunc Martinum Decanum Posnaniensem in Præsulem assumpsit, quem Jacobus de Znin Archiepiscopus Gnesnensis confirmavit & Lanciciæ consecravit. Virtus & doctrina, qua inter Canonicos eminuit, erant Viro suffragiô ad hanc Sedem, quam annos viginti strenua & laudabili solicitudine rexit. Obiit 1147.

X.

BOGUPHALUS I.

Poraita vide p. 49.

EX Custode Posnaniensi consentientibûs Cleri votîs electus, in primordiis contrarium habuit Boleslaum Crispum, qui tum post Ladislai exilium summis rebus Poloniæ præerat; sed ubi favores hujus meruisset, à Gnesnensi Archi Præsule confirmatus & Znini consecratus est. Vir in egenos liberalis, & morum probitate commendatus, sed valetudinis fractæ & annis provectæ, duobûs annis & sex mensibûs cùm præfuisset, decessit 1150.

XI.

PIANUS

Tribûs liliis pro Stemmate insignis.

DIvisio in electione Cleri Posnaniensis, cùm alii Thomam, alii Philippum Canonicos Posnanienses elegissent, ne obesset Diæcesi, occasionem dedit Romæ utendi jure suo. Eugenius III. utroq; rejecto, motu proprio Pianum Auditorem Palatii, Decretorum Doctorem, genere nobili in Italia ortum, huic designavit Cathedræ, quem Cardinalis Episcopus Ostiensis consecravit. Adventum ejus in Poloniam ægrè ferente Boleslao, adiit possessionem Sedis suæ, quam anno & sex mensibûs rexit. 1151, vitâ defunctus.

XII.

STEPHANUS DOBROGOST

De Stemmate Rolicz.

Rosa est triplici dente aratri circumdata.

NE Sedes hæc immaturô Piani fatô Præsule privata cessisset alienigenæ; Stephanus hic ex Posnaniensi Canonico, paucis contradicentibûs electus est, in quem brevi electioni ejus contrarii cùm consensissent, adnitente Miecislao Majoris Poloniæ Principe ab Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus & Calissii consecratus est. Annis quinque in regimine emensus, paralysi tactus vitam in melius mutavit 1156.

XIII.

XIII.

RADVANUS

De Stirpe Srzemavitarum

Hæc pro insigni habet fluvium.

DIvisi in electione Canonici controvertebant de novo Præsule: nonnullis hunc, aliis alium ambientibûs, cæterum ne Summus Pontifex jure suo uteretur, in Radvanum Scholasticum Posnaniensem consensêrunt, quem Janislaus Archiepiscopus Uniejoviæ confirmavit & consecravit. Hic in Equites Hierosolimitanos S. Joannis, liberalis fuisse scribitur *vide pag. 101.* Octo annis in regimine Diæcesis expletis obiit 1164. Posnaniæ in Ecclesia Cathedrali sepultus.

XIV.

BERNARDUS

De Stemmate Syrokomla

In campo rubro est Abdank, seu littera W cruce desuper in medio insignita.

EX Canonico Posnaniensi. *Dlugossius Lib: V. Hist: Pol: in Vitis Episc: Posnaniensium* ex Abbate Tremesnensi electum esse scribit. Vir erat singularis humilitatis, cæterarumq; virtutum, sed justitiæ maximè studiosus. Finem vitæ imminere sibi præsentiens, ad illum fortiter obeundum Tremesnam secessit, ubi in manibus Religiosorum animam Deo Conditori reddidit anno 1175. in Cathedra Posnaniensi honorem sepulturæ nactus.

XV.

SVENTOSLAUS

De Stemmate Jastrzembiec. *vide p. 81.*

ADulta virtus & ætas Episcopali munere fecit dignum: à Petro Archiepiscopo Gnesnensi consecratus, Præsul anni unius, 1176. obiit in Ecclesia Posnaniensi conditus.

XVI.

GERVARDUS

De Stemmate Leszczyc. *vide p. 28.*

PRimâ Maji unanimi votô electus ex Custode Posnaniensi, à Petro III. Archi Præsule consecratus. Vir pietatis operibûs commendatus, juvit suis beneficiis cænobium Miechoviense non ita pridem fundari cæptum unius anni Antistes peste sublatus obiit 1177.

XVII.

ARNOLDUS

De Stemmate Dolęga *vide p. 45.*

HUjus electionem aliquorum ambitio, & exorta inter Canonicos & Clerum discordia turbaverat, probitas tamen Viri & merita apud æmulos obtinuerunt, ut in gratiam illius suis desideriis cesserint. Quare legitime electus, facile à Petro Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus & consecratus annos prope novem Pastorali solicitudine rexit Ecclesiam, in ejus bonum omni studiô intentus. Lubinensi cænobio villam Koszęcin inscripsit. Anno 1186. 15. Januarii vitâ defunctus in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi funus & tumulum nactus est.

XVIII.

MROKOTA

Argo pro Stemmate insignis.

EX Custode Posnaniensi electus à Ladislao Archiepiscopo consecratus, cùm annis decem rexisset Ecclesiam malô epidemiæ consumptus 1196. sanctè quievit.

XIX.

PHILIPPUS

De Stemmate Wieniawa vide p. 17.

CHerubini Castellani Landensis Frater, Familiæ Perszteinorum sangvis, festo Nativitatis Gloriosissimæ Virginis in Episcopum consecratus; Długossii testimoniô: Vir modestus, mansvetus & in adversis patiens, post tredecem annorum regimen febri vexatus anno 1209, commune Præsulum Posnaniensium sepulchrum in Ecclesia Principe obtinuit.

XX.

PAULUS I.

De Stemmate Grzymała vide p. 15.

TEstimoniô *Długossii in Vitis Episcoporum Posnan:* ex Ordine Prædicatorum ad regimen Ecclesiæ hujus assumptus, & à Henrico Kietlicio consecratus est: cæterum idem *Długossius Hist: Polonæ Li. VI.* ex cætu Canonicorum, cùm esset illius Cancellarius, assumptum 1209. scribit; præterea ex hoc Ordine Sacerrimo, qui plures Poloniæ dedit Episcopos, annô hoc, ut advertit: *Niesiecki Tom II.* assumi non poterat. Hic enim Ordo 1206. confirmatus, à Divo Hiacintho in Poloniam introductus est temporibûs Ivonis Episcopi Cracoviensis, qui Cracoviensem Sedem circa annum 1218. moderari cæpit. Sed ut censet *Niesiecki locô citatô* Præsul factus eandem regulam & Institutum profiteri poterat.

Hic Borzyvoium opibûs & familia potentem bonis Ecclesiæ suæ injuriosum, ut ab ejusmodi injuriis abstineret, sæpius admonebat, sed cum paternis monitis nihil proficeret, contumacem cætu fidelium privavit. Vitæ emendationem simulavit Borzyvoius, & rem compositurus, Sremum (oppidum est Majoris Poloniæ)

invitavit Præsulem. Credidit homini Antistes, & accepta viæ securitate cum nonnullis Canonicis & equitibus ivit Sremum. Benignè acceptus, sed postmodum violato gentium & hospitii jure, frustra injuriam conquerentibûs Canonicis detentus, & sub custodiam datus est. Brevi tamen evasit vigilias, & repetitis censuris Borzyvoium Diris devovit. Perfidiæ & temeritatis pœnas propediem eluit homo impius, à Ladislao Majoris Poloniæ Duce in prædicto oppido captus & occisus. *Długossius Lib: VI.*

Ab eodem Ladislao Duce, qui communi nomine Sputator dictus est, multa Ecclesiæ suæ & Præsulibus beneficia impetravit: præter jus cudendæ monetæ, bona Sułkow, nunc Crobia dicta donô perpetuo obtinuit, quæ & alia ut ab omnibus oneribus essent libera, Ducis hujus privilegium nactus est. (e) PP. Ordinis Prædicatorum in suburbio Posnaniensi *Srodka* dicto fundavit. Obiit 1242. die 31. Martii. Ejus temporibus 1240. Bronislius Comes Vieniavius PP. Ord: Cisterciensium in pago suo, Goscikovo hæreditario monasterium condidit, quod Paradisi nomine dictum eandem nomenclationem hucusq; retinet *Cromerus L. VIII.*

XXI.

BOGUPHALUS II.

Poraita.

EX Primicerio Posnaniensi, Cracoviensi Canonico electus, cùm nondum sacris initiatus esset, à Fulcone Gnesnensi Archiepiscopo per gradus Ecclesiasticos factus Presbyter festo D. Laurentii Gnesnæ in Episcopum consecratus est. Antistes Ecclesiæ bono datus, villam Kozłowo à Siemovito Duce Mazoviæ in debito nonaginta marcarum argenti pro Ecclesia sua accepit. Chorum novum veteri destructô in Basilica

(e) *Cromerus Lib. VIII. Sarnicki L. VI.*

ſilica Cathedrali à fundamentis erexit. De illius con-
ſenſu Premiſlaus Dux Majoris Poloniæ 1244. PP. D.
Dominici ex ſuburbio *Srodka* tranſtulit Poſnaniam ad
Eccleſiam S. Gothardi, Epiſcopo vero Poſnanienſi
ceſſit idem Dux Jus patronatûs ad Eccleſiam S. Adal-
berti, ad quam paræcia S. Gothardi translata eſt. *Mie-
chovita L. III.* Ejusdem Præſulis temporibûs cænobi-
um Ovinſcenſe Deo dicatarum Virginum Inſtituti Ci-
ſtercienſis ad fluvium Varta 1242. a Premislao Duce
Majoris Poloniæ fundatum eſt *Dlugoſſius L. VII.*

Vir erat eruditus & ſtudiorum amans magnorumq;
meritorum, ultima voluntate bibliothecam Eccleſiæ
Poſnanienſi inſcripſit. In villa Epiſcopali Solec vitâ
defunctus in Baſilica Poſnanienſi ſepultus eſt 1253.

XXII.

PETRUS I.

De Stemmate Prawdzic

*Leo dimidius muro eminet, ore apertô, pedibûs
ſphæram tenens.*

EManaverat edictum Sedis Apoſtolicæ, quæ in Polo-
niam Hugonem Cardinalem Legatum miſerat, ne
ſtante illius Legationis munere Archiepiſcopus Gne-
ſnenſis electos in Polonia Præſules confirmaret. Po-
ſnanienſe Capitulum poſt fata Boguphali congregatum
viâ compromiſſi Petrum Decanum Collegii ſui elegit,
expeditq; Joannem Primicerium, & Euſebium Ca-
nonicum, Poſnanienſes, ad prædictum Cardinalem
poſtulatum, ut non obſtante prohibitione Romana ſu-
us electus ab Archiepiſcopo confirmaretur. Et cum
id Nuncii obtinuiſſent, Fulconi Archipræſuli ſuppli-
catum eſt, ut Petrum approbaret, ſed Joanne Archi-
diacono, & Theophilo Canonico, Poſnanienſibus ob
contemptum ſui in electione hanc confirmationem
impugnantibûs, approbatio hæc impedita eſt. Quod
ubi

ubi Oppizo Abbas de Meſſana Nuncius itidem Apo-
ſtolicus, qui Hugoni ſucceſſerat, cognoviſſet, ſchiſma
hoc ſedaturus; utramq; partem evocavit Vratislaviam,
& perſpectô bene negotiô, Petrum electum authoritate
Apoſtolica confirmavit. Qui in villa Epiſcopali Ko-
złow a Fulcone conſecratus, annô & duobûs menſibûs
præfuit Eccleſiæ, ſed brevitatem temporis conſum-
mata virtute compenſavit anno 1254 die 9 Maji para-
lyſi ſublatus, Poſnaniæ honorem ſepulturæ obtinuit.

XXIII.

BOGUPHALUS III.

Poraita.

POſt obitum Petri Oppizo Nuncius Apoſtolicus cer-
tis de cauſis electionem novi Antiſtitis inhibuit,
ſed eam interventu Oratorum Capituli permiſit. Con-
gregatus itaq; Clerus 15. Junii hunc Boguphalum de
Czermielin Præpoſitum Gneſnenſem, Poſnanienſem
Canonicum ad vacantem promovit Sedem. Ejus ele-
ctionem in oppido Kurzelowo Fulco Archiepiſcopus
ratam habuit, & anno ſequenti 1255. in Eccleſia cæno-
bii Lendenſis Dominicâ Reminiſcere Boguphalum in
præſentia Thomæ Vratislavienſis, Michaelis Vladisla-
vienſis, Andreæ Plocenſis, & Henrici Culmenſis, Epi-
ſcoporum conſecravit. Annis decem moderabatur
Diæceſim, humanitate commendatus, vivere deſiit
1264. in bonis Czermna, in Eccleſia Poſnanienſi tumu-
lum ſortitus. Ejus temporibûs proxime ante fata 1263
Poſnaniæ Eccleſia D. Mariæ Magdalenæ condita eſt.
Miechovita Lib. III. Dlugoſſius Lib. VII. Erectionem
hujus Eccleſiæ ſcribit fuiſſe 1264.

XXIV.

PHALANTA

Prussorum Familia ortus sequi cruce insignita.

JUstis Boguphalo vitâ functo persolutis, Petrus aliter dictus Pietrzyk de Skoczewo Præpositus Posnaniensis de familia Abdankorum electus erat, qui à Joanne II. Gnesnensi Archiepiscopo Znini suæ electionis confirmationem cùm postularet, illam exprobrata ejus simplicitate & jurium sacrorum ignorantiâ Joannes distulit. Fecit id (scribit Dlugossius) ut morem gereret Boleslao Majoris Poloniæ Duci & Jolantæ ejus consorti ad Posnaniensem Sedem Phalantam Gnesnensem Decanum promoventibus.

Interea Petrus electus Posnaniensis Boleslai Ducis & Joannis Archipræsulis sive consiliis, sive metu boni eventûs, sive etiam simplicitate propria inductus, juri electionis suæ in favorem Phalantæ cessit. Quo cognito Joannes Decanus & Capitulum Posnaniense novam alterius Episcopi electionem indixit, & Joannem Archidiaconum Posnaniensem, virum vita & doctrina insignem elegit: cujus confirmatio cum ab Archiepiscopo peteretur, hic electionem alteram Archidiaconi, propter priorem Petri expeditam monstrosam & approbatione indignam respondit. Facile intulerunt Decanus & Capitulum, hæc omnia fieri in gratiam Phalantæ, quare Supremam Sedem appellârunt: qua tamen provocatione non obstante Archiepiscopus Phalantæ nominationem approbavit. Et licet Benedictus Vicarius Posnaniensis, Apostolicus in Polonia grossi S. Petri quæstor *Vide L. 1. p. 43.* à Canonicis missus, plurimum ageret, ne Phalanta in Episcopum ordinaretur, Joannes Capituli Posnaniensis repetita denuo appellatione neglecta, ipso etiam Benedicto verberari jusso, Phalantam in Ecclesia Pyzdrensi consecravit. Sed hic brevi à Clemente IV. Episcopatu privatus est. *Dlugossius in Vitis Episc: Posnan:*

XXV.

NICOLAUS I.

De Stirpe Vulpigerorum.

NIcolai Cracoviensis Palatini Filius, Fulconis Archiepiscopi Gnesnensis nepos. Injuriam Ecclesiæ Posnaniensis per consecrationem Phalantæ Joannes Decanus cum Joanne Archidiacono electo Posnaniensi, Petro, Scholastico, & Miroslao Canonico, Posnaniensibus in Curia Romana deposuit, & per Thomam Vratislaviensem Episcopum in jus vocari Phalantam curavit. Comparuit ille, suæq; provisionis litteras de consensu Boleslai Majoris Poloniæ Ducis Clementi IV. exhibuit, illasq; per Sedem Apostolicam ratas fieri supplicavit. Clemens convocatô Cardinalium judiciô re benè perpensa Episcopatu Phalantam privavit, & ab administratione Posnaniensis Ecclesiæ amovit. Joannes verò Archidiaconus electus cùm jus suum infirmum adverteret, illo sponte in manus Clementis Papæ cessit. Clemens omne jus Ecclesiæ Posnaniensis ad se devolutum cernens, licet Joannem Archidiaconum dignum Sede hac videret, ne tamen illum odio Phalantæ, aut aulæ Ducalis exponeret, hunc Nicolaum Scholasticum Cracoviensem & Nominis & virtutis dignitate conspicuum, qui Viterbium venerat supplex, ut D. Hedvigis Dux Poloniæ Sanctorum fastis adscriberetur, Ecclesiæ Posnaniensi præfecit. Viterbii consecratus, annorum novem Præsul vitam probè exactam sanctè finivit 1273. sepultus Posnaniæ.

XXVI.

JOANNES I. Dictus WYSKOWIEC

Navi pro Stemmate insignis.

HUnc virtus & merita promoverunt: omnium votis electus: accessit electioni favor & consensus Boleslai Ducis Calissiensis & Premislai Posnaniensis, confirmationem tamen & consecrationem longiùs expectare debuit; quòd Philippus Archiepiscopus Gnesnensis à Romana Sede nondum confirmatus esset *Vide Lib: I. pag: 60.* Annis prope undecem rexit Ecclesiam, 1286. vivere desiit.

XXVII.

JOANNES II. Dictus GERBISCH

Fasciâ pro Stemmate insignitus

VIâ scrutinii electus, & à Jacobo Swinka Archipræsule in Ecclesia Lendensis cænobii in Episcopum ordinatus est. In conservanda integritate Diæcesis erat segnior; illo enim dissimulante Præpositura Santocensis à jurisdictione Episcoporum Posnaniensium per Ottonem longum & ejus nepotes Marchiones Brandeburgicos avulsa, Capitulo Ecclesiæ Soldinensis applicata est. Obiit 1298.

XXVIII.

ANDREAS I. SIMONOWICZ

De Stemmate Zaremba.

Muro, cui tres quadrati lapides infixi sunt, eminet leo dimidius linguâ exsertâ, pedibus extensis.

SImonis, à quo cognomen sortitus est, Castellani Crusviciensis, Gnesnensis Præfecti Filius. Primus Præsulum Posnaniensium in sua Ecclesia à Jacobo Swinka consecratus. Vir animi imperterriti, Ladislaum Locticum, quod & ipse & miles illius licentiose ageret, cætu fidelium privavit. Venceslaum Bohemiæ Regem post pulsum e Polonia Locticum cum Jacobo Swinka Archiepiscopo, Vislao Vladislaviensi, Joanne Vratislaviensi Episcopis Gnesnæ in Regem Poloniæ coronavit. Apud Sedem Apostolicam desudavit, ut Præposituram Santocensem suo Episcopatui restitueret; id quod non obtinuerit, mors inpedivit, quæ illum vivis exemit 1311.

XXIX.

DOMARATUS alias DOMANKA

De Stemmate Grzymala vide p. 15.

EX Decano Posnaniensi concordibûs votis electus à Jacobo Swinka consecratus, novem annorum Antistes continuo langvore corruptus vivere desiit 1320. die 12. Martii, funus & sepulchrum in Ecclesia Posnaniensi nactus.

XXX.

JOANNES III.

De Stemmate Doliwa vide p. 59.

DIscordes Canonicorum animi, cùm multi præesse vellent, electionem interturbarunt, sed sibi redditi, in hunc Joannem consenserunt. Vir erat multa humanitate præditus, cujus limites quandoq; transcendere videbatur adeo, ut non tam liberalis, quàm prodigus censeretur, quare factum, ut ære alieno gravis decesserit 1335.

XXXI.

JOANNES IV. à KEMPA

Navi pro insigni usus.

ANtistes ut eruditionis, sic pietatis non postremæ. In honorem Deiparæ Virginis prosam de Assumptione, quæ incipit: *Salve salutis janua.* de Purificatione, cujus initium: *Benedicta.* Tertiam, quæ incipit: *Lux clarescit in via* Divi Adalberti gesta, Hymnographus sacro carmine concinnavit. In honorem ejusdem Sancti prosam, quæ incipit: *In laudem summi Præsulis* composuit. Scripsit quoq; prosas in honorem Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum: ut manu pius, sic vitâ probus obiit 1346.

XXXII.

ADALBERTUS I. PALUKA

De Familia Toporeorum.

COnfirmationem sui diutius, expectare debuit: annis septem præfuit Diæcesi, regimenq; virtute commendatum fecit. Obiit 1355

XXXIII.

J O A N N E S V.

De Stemmate Doliwa vide p. 59.

EX Præposito Posnaniensi electum Jaroslaus Gnesnensis Archipræsul confirmavit & consecravit. Præsul magnorum pro sua Ecclesia laborum. Plurium annorum consvetudine in morem abierat, Siemovitum Ducem Mazoviæ aliosq; Dynastas decimam ex novis coloniis Episcopo Posnaniensi non solitos pendere. Pro ejusmodi decimis egit Joannes cum Siemovito apud Casimirum Regem Poloniæ, qui æquitate causæ motus in oppido Raciąż pro Ecclesia tulit *sententiam* 1358.

1358. Plura prædia, tum donô, tum pretiô solutô suæ Ecclesiæ quæsivit. Oppidum Dolsko condidit. Laborum & meritorum plenus 14. Februarii 1374. aqua intercute extinctus est. Corpus delatum Posnaniam in Principe Ecclesia justis persolutis conditum est.

XXXIV.

NICOLAUS II. de KORNIK

Navi insignitus.

A Majori parte Canonicorum electus, eum defectum favore Gregorii XI. supplevit, à quo Avenione confirmatus & consecratus est. Detulit id Viro Pontifex, cujus dignitatem à pluribus ex Polonia commendatam accepit. Redux in Patriam, à cuncta Diæcesi reverenti cultû susceptus est, pro illius bono multa egit. Meditabatur plura, sed ejus intentiones mors prævenit. Vehemens dolor gutturis & ulcus cum illi lingvæ usum ademisset, eripuit & vitam Ciążyni 1382. die 8. Martii.

XXXV.

N I C O L A U S III.

Fasciâ pro Stemmate usus.

UT favores omnium in sui electione nactus, ita offensum Ludovici animum expertus est. Obtinuerat equidem à Joanne IV. Archiepiscopo Gnesnensi confirmationem, sed Ludovicus Ladislao Duce Opoliensi allaborante Joannem Kropidło Ducis prædicti nepotem ad Posnaniensem promovebat Sedem, & apud Urbanum VI. ejus promotionem tuebatur.

Ivit Budam in Hungariam Nicolaus, sed in conspectum Regis tertia die vix admissus, contrarium rebus suis accepit responsum; Quare Romam excurrit, sed Tarvisii curâ Ludovici detentus, ægre dimissus est.

Interea Urbanus instante Ludovico Rege & Ladislao Duce Joanni Kropidło nondum ætate maturo Pontificatum Posnaniensem detulit 9. Junii 1382. sic Nicolaus legitimè electus potentiæ Ludovici Regis, Ducum Opoliensium ambitioni, tum dispositioni Romanæ cedere coactus est.

XXXVI.

JOANNES VI. KROPIDŁO Dux OPOLIENSIS.

ILle est, qui suo fastu plures in Polonia ambivit Sedes variam perpessus sortem, vix in Vladislaviensi Sede decessit *vide pag: 38. 39. & Lib: I. pag. 74.*

XXXVII.

DOBROGOSTUS NOWODWORSKI.

IN Metropoli Gnesnensi supremum diem obiit. *vide L. I. pag: 74.*

XXXVIII.

NICOLAUS IV. KUROWSKI

NOwodworscio in Gnesnensi Archiepiscopatu successit. *vide Lib: I. pag: 75.*

XXXIX.

ADALBERTUS II. JASTRZEMBECKI

EX Cracoviensi ad Gnesnensem Sedem translatus. *vide Lib: I. pag. 79.*

XL.

PETRUS Vissus RADOLINSKI

PEr ambitionem Jastrzembeccii ex Cracoviensi Episcopatu ad hunc translatus est. *vide Lib: I. p. 304.*

XLI.

XLI.

ANDREAS II. Lascary GOSŁAWICKI

De Stemmate Godziemba vide p. 22.

PLena electionis novorum Præsulum libertas licet quandoq; Principum aut Regum intervertebatur voluntate, & ad suos postmodum redibat cardines, sæpe tamen regebatur potentiorum arbitriô. Petro Visso cum justa persolvissent Canonici, cujus funeri aderat Ladislaus Jagello, de successore soliciti, electioni diem indixerunt. Prævenit Rex illorum vota, & in unum ex quatuor propositis dirigenda postulavit. Alexandrum ex Sorore sua nepotem, filium Siemoviti Ducis Mazoviæ, aut Petrum de Skrzynno Vice Cancellarium Regni, aut Andream Lascary Decanum Cracoviensem aut Joannem Pella Crusviciensem Præpositum, ut eligerent, commisit. Circumscribi electionem videbant Canonici, sed tanti Regis postulata pro lege adoranda erant; Quare initô consiliô, hunc Andream licet à Polonia absentem (Budæ cum aliis Oratoribus Polonis apud Sigismundum Romanorum & Hungariæ Regem contra Crucigeros negotium promovebat) unanimi votô elegerunt.

Hic Patre Lascarô, Matre Dorothea genitus, à teneris in magnæ expectationis Virum crescebat. Plurimis negotiis adhibitus, ea ut dexterrimè sic feliciter tractavit. Redux ex Hungaria ad Concilium Constantiense ivit cum aliis Ladislai Regis Legatis, ubi à Martino V. electionis suæ confirmatione obtenta, in Præsulem consecratus est. Facundiam Viri & dicendi pondus in illo universalis Ecclesiæ cætu amabant & mirabantur congregati Patres; quare a sacris exedris perorantem cupiebant. Germanico idiomate (hujus lingvæ peritus erat) verba dixit, tulitq; plausum & sermonis desiderium acuit.

Amo-

Amore solitudinis, ut sibi & Deo vacaret monasticam vitam in cœnobio Melicensi in Austria agere intendebat, eaq; in re Ladislao Regi & Martino V. erat supplex, sed nec Rex tantum Virum, nec Pontifex tantum Antistitem a Regno & Ecclesia abesse permisit. Gessit morem voluntati superiori & redux ad Diœcesim, eam pastorali sollicitudine moderatus est. Tandem 1426. die 25. Augusti in bonis suis hæreditariis Gostawice sacramentis munitus viam universæ carnis ingressus est. Corpus Posnaniam delatum, justo sepulturæ honore conditum est. Testimoniô Dlugossii: *Vir erat simplex pudicus, vitæ castæ, nitidæ & exemplaris, magnus Patriæ amator, & qui nihil scivit adumbrare, raræ insuper religionis in Deum, pietatis verè singularis in pauperes.*

XLII.

MIROSLAUS

Fasciâ pro Stemmate insignis.

EX Familia Brudzeviorum, Patre Kiełczone, Matre Elisabetha genitus. Post fata Andreæ cùm convenissent Canonici ad indictam novæ electioni diem, Ladislaus Rex per suos nuncios Stanislaum Ciołek Primicerium Cracoviensem Regni Vice Cancellarium eligendum urgebat. Electores, ne vis eorum suffragiis inferretur, ab omni electione abstinuerunt: sed cùm Oratores Regis Ladislai imperia fortiùs promoverent, in electionem Stanislai consenserunt.

Interea Martinus V. Miroslao Præposito Gnesnensi, Posnaniensi Canonico, suo Datario Romæ præsenti Posnaniensem Sedem detulit, & in Præsulem consecrari fecit, obstante tamen Ladislai potentiâ Miroslaus possessionem Ecclesiæ adire non valuit. Annum prope integrum contentio hæc inter Ladislaum & Martinum duravit, cùm Stanislaum Martinus confirmare, Miroslaum à Papa provisum admittere nollet Ladislaus. Tandem mors Miroslai finem dedit litibus, qui 1427. Romæ obiit in Ecclesia S. MARIÆ de populo ad partem dextram majoris aræ sepultus.

XLIII.

STANISLAUS I.

De Familia Vitelliorum.

STanisłai de Ostrołęka Palatini Varsaviensis (*a*) Filius. Cùm altercatio de Episcopatu Posnaniensi morte Miroslai sopita esset, facile Ladislaus Rex suas intentiones ad effectum deduxit, & confirmationem Stanislai apud Martinum V. obtinuit. Quare 1428. die 29. Augusti præsente Ladislao Rege Neocorcii in Ecclesia PP. Minorum Conventualium à Sbigneo Cracoviensi Episcopo consecratus est. Ivit brevi ad Concilium Basileense magno cum comitatu sui Regis Legatus, ubi manibus ejusdem defuncti pro majestate tanti Regis, pro dignitate Gentis Poloniæ parentavit.

Redux in Patriam Abrahamum Zbąski, quod Hussitis adhæreret, ministrosq; hujus sectæ patrociniô suô protegeret, & in opdido suo Zbąszyn foveret, cùm paternis monitis nihil proficeret, tanquam fautorem hæresis, & hæreticum communione sacrorum proscripsit. Hac correptione Ecclesiastica melius sapere debuerat Abrahamus, sed homo sui impotens optimo Præsuli moliebatur insidias, eas ut vitaret Stanislaus, excurrit Cracoviam, ibiq; aliquantum delituit. Tandem 1438. die 18. Novembris laboribus & incommodis fractam ætatem deposuit, in Posnaniensi Ecclesia sepultus, quam copiosis libris, & pretiosâ supellectili ditavit. A Dlugossio vituperatur, quod in conferendis beneficiis Ecclesiasticis præceps fuerit, cuicunq; personæ nullo de vita

(*a*) *ita dicebantur præsentes Mazoviæ Palatini.* Niesiecki Lubienski & alii.

vita & moribus præmisso examine postulanti vacans beneficium conferre solitus.

XLIV.

ANDREAS III. de BNIN

Navi pro Stemmate insignis.

ORiundus ex vetustissima Familia, opibûs, meritis, honoribûs non in Polonia duntaxat insigni, sed aliis etiam in Regnis, quæ gloriosis implevit gestis. Petrus de Bnin in Regno Cypri non exiguarum opum & facultatum hæres Janussio Cypri & Hierosolimæ Regi in illis fuit amoribus, ut cum Baldvino de Noris Mareschalco ad Ladislaum Poloniæ Regem pro Hedvige Principe Regia in matrimonium Filio Regis Cypri impetranda Legatum suum esse voluerit 1432. (b) In Polonia verò quarum virtutum Domus hæc fuerit? Navim auream consule: In illa leges: *Familiam Lodziarum magnarum opum haud cupidam, sed fortunâ suâ contentam, nec subditis fuisse gravem, sed in egentes miserosq; benignam, non ambitiosam, constanti in Reges fide, & à seditionibus semper alienam.*

Tali & tanta Gente, Nicolao Patre, Matre Margaretha genitus Andreas, cum animum sacris addixisset, Posnaniensis Canonicus, Primicerius Lanciciensis, Regni Secretarius post fata Stanislai in Episcopum Posnaniensem ab aliquibus Canonicis electus est. Pars altera Nicolaum Lasocki Cracoviensem Decanum votis & suffragiis elevabat ad hanc Sedem; prætereà, promotione sua Ladislaus Jagellonides Poloniæ tum imperans, pluresq; Poloni Proceres Nicolao erant adminiculo apud supremam Sedem, sed Eugenius IV. Nicolao Lasocki, quod partes Concilii Basileensis tueretur, infensus Andream confirmavit: qui à Vincentio Gnesnensi Archipræsule Calissii Dominica Quinquagesimæ

(b) Niesiecki Tom: III. Dlugossius L. XI.

gesimæ non obstante Lasoccii ad Concilium suum provocatione, confirmatus est.

Et tantus Præsul illis temporibus huic debebatur Ecclesiæ, qui pro Religione pro Patria decertaret. Zbasceus ille à suo Antecessore Stanislao fidelium cætu privatus, magis temerariùs septem sectæ Hussitarum ministros & præcones ex Bohemia conductos fovebat Zbaszyni, ut se se & Deum respiceret, admonuit Abrahamum Andreas; sed admonitione ferocior Zbasceius, Hussitas, ut plures errorum asseclas haberent, in prædia & villas finitimas emittebat. Præsul ut malum in fonte opprimeret, consiliô & armorum societate inita cum Patruo Petro Castellano Gnesnensi, Petro, Adalberto nepotibus legit nongentos equites, cum quibus rem strenuè adortus, oppidum cinxit, nec prius obsidionem solvit, donec Ministros Hussitas quinque (duo noctis beneficiô captivitatem evaserunt) intercepisset, quos ad rogum in foro Posnaniensi damnavit. Dlugossius Lib: XII.

Scribit Niesiecki Tom: III. Hussitas prædictos non Posnaniæ, sed in fundo Præsulis hæreditario combustos, quo in loco postmodum idem Antistes oppidum condidit Opalenica dictum: à quo Opalensciorum Familia nomen traxit, virtutibûs heroicis meritis in Patriam primisq; in Polonia dignitatibûs inclyta: in Catharina Stanislai Regis Poloniarum, Lotharingiæ & Barri Ducis Consorte, Matre Mariæ Ludovici XV. Galliarum Regis Conjugis Serenissima, & per ejus prolem cum primis in Europa Regibus & Principibus sanguine conjuncta.

Ut Religione in Deum, sic amore & obsequiô in Patriam eminuit. Statuta Casimiri Jagellonidæ 1451, Deditionem Ordinum Prussiæ eidem Casimiro & Regno Poloniæ 1454. subscripsit: (c) & cum Joanne Koniecpolscio ivit in Prussiam à Civitatibus & Nobilitate

(c) Volum Leg: I.

litate hujus Provinciæ juramentum fidelitatis nomine Caſimiri recepturus. Cum Nobilitas Vielunenſis opprimeretur a prædonibus Sileſitis, quorum inſolentia eo devenit, ut armata manu domos Nobilium & oppida expugnarent & deprædarentur: in ſubſidium afflictæ Provinciæ lectam militum ſubmiſit manum; pugnatum acriter, pro Polonis virtute & æquitate, pro in vaſoribus rabie & ferocia decertante. Cumq; acies ſuas hoſtis inclinatas cerneret, Kempnum receſſit, arcis beneficiô vitam defenſurus, ſed expugnatus injurias illatas juſtis pœnis expiavit. Poſt ſterilia fata Siemoviti & Ladislai Ducum Mazoviæ 1462. ivit Legatus Caſimiri terras illas pro Rege Poloniæ recepturus, ſed fortunatiora tempora ad concludendum hoc negotium expectanda erant. Ivit Breſtam in Cujaviam ad conficiendam pacem cum Crucigeris, verum optime cœpta invertit Archiepiſcopi Cretenſis alienus à Polonis animus. Imminebat miles bello Pruſſico exhauſtus bonis Eccleſiaſticis, facultates Chriſti Præſul ut immunes faceret, egit precibûs & muneribûs.

Non exigua liberalitatis ſuæ reliquit monumenta: præter Eccleſiam Collegiatam Deiparæ Poſnaniæ erectam, palatium Epiſcopale, tum alterum Crobiæ e ſolido muro ſtruxit. Ædes ſacræ Dolſci, Crobiæ, Kozłoviæ, Smiglæ, Bnini, in oppido Borek, in Mazovia Zbikoviæ ejus beneficentiâ conditæ & dotatæ. Annos quadraginta & menſes aliquot præfuit huic Diœceſi, annuq; quovis quaſi penſum annuum argenteum calicem Eccleſiæ, quam minus ditatam noverat, largitus eſt. Poſnanienſi Baſilicæ binos de auro calices, periſtromata, pretioſam ſupellectilem obtulit in ſponſam ſuam munificus. Obiit ſummo omnium dolore 1479. die 5. Januarii: ſepultus in Sacello S. Andreæ in ſepulchro, quod vivens paraverat.

XLV.

XLV.

URIEL GORKA

Navi pro Stemmate inſignis.

FAmilia Comitum de Gorka, Patre Luca, Poſnanienſi Palatino, Beatrice de Szamotuły Filia Caſtellani Poſnanienſis Matre natus, dignitatem Natalium optima indole & virtute majorem fecit. Præpoſitus Gneſnenſis & Poſnanienſis, Cracovienſis Canonicus, Regni Cancellarius, poſt obitum Andreæ de Bnin Epiſcopatûs Poſnanienſis Adminiſtrator. Dolebat equidem Poſnanienſe Capitulum Andream vitâ functum, ſed cum optimo Præſuli æque bonum vellet ſubſtituere, hunc Urielem elegit: qui miſſis ad Sixtum IV. Oratoribus ſuis, 1479. die 27. Maji confirmationem obtinuit, & a Jacobo Sieninſcio Metropolitano Gneſnenſi in Cathedra Poſnanienſi conſecratus eſt: Præſul ut multarum ditionum hæres, ſic in Eccleſias & pauperes liberalis. Friderico Principi Regio, cùm hic ad ſtatum Eccleſiaſticum concepiſſet animum, primos Sacros Ordines, poſtmodum pallium Archiepiſcopale detulit.

Quanti fuerit pro fide zeli? meminit *Lubienſki in Monitis de gerendo Epiſcopatu* Scribit ille hunc Urielem morti proximum ultima voluntate ſuos nepotes obligaſſe, ne unquam à fide Catholica deſciſcerent; ſi ſecus facerent, domui ſtirpiq; ſuæ exitium imprecatus eſt. Idem feciſſe Andream Gorka Caſtellanum Poſnanienſem, hujus Urielis pronepotem narrat *Hiſtoria Collegii Poſnanienſis S. J. 1592.* Andreas hic in extremis poſitus Filios ſuos Andream Lucam & Stanislaum veræ fidei Catholicæ admonuit: *Filii mei, ſi quis veſtrum veræ ac antiquæ fidei Catholicæ novam quampiam ſectam, quæ nunc exoriuntur, prætulerit, ſit ille maledictus in agro, maledictus in hæredibus, maledictus in æternum.* Et quia hi tres, contempta avita Religione hæreticis adhæſerunt,

eorum

eorum errores professi, prædictionem Urielis Abavi, maledictionem Patris experti, Familiæ Gorkarum in Polonia primis curulibus distinctæ finem fecerunt. Obiit Uriel in thermis Bohemicis 1498 die XXIV. Januarii in sua Cathedra sepultus.

XLVI.

JOANNES VII. LUBRANSKI

De Stemmate Godziemba vide p. 22.

EX Posnaniensi Præposito primum Plocensis Præsul studiô Friderici Principis Cardinalis electus uno anno eidem Diæcesi præfuit, ad Cathedram Posnaniensem post obitum Urielis invitatus eam 1499. die 24. Januarii solenni comitatu ingressus est. Brevi nomine Ordinum Poloniæ post fata Joannis Alberti cum Andrea Boryszevio Archiepiscopo Leopoliensi missus Brestam in Lithvaniam Alexandro defuncti Regis Fratri Regnum Poloniæ detulit. Sigismundum I. Poloniæ Regem 1513 Posnaniæ splendido apparatu accepit. Et cum ibidem Barbara Regina filiam Hedvigem enixa esset, ad cohonestandum ejus puerperium magni ponderis & pretii aurea & argentea vasa eidem Barbaræ obtulit. Anno verò 1515. hunc ipsum Sigismundum, ad celeberrimum illum Cæsaris & Regum conventum Viennensem honorifice comitatus est.

In Senatorio munere obeundo Vir diligens & Patriæ amans, quam in difficilimis negotiis juvit sanô semper consiliô. In officio Præsulis strenuus, opera publica per multa & egregia ad posteritatis memoriam transmisit. Cathedralis Ecclesiæ ambitum curiis Canonicorum & ædibûs Vicariorum inclusis murô cinxit: ipsam verò Ecclesiam ærea texit laminâ, apparatu sacro gemmis & pretiosis lapidibûs texto adornavit. Academiam ad erudiendam juventutem fundavit, quam juribus Cracoviensis Academiæ parere voluit. Tem-

Templum D. Stanislao E. M. adjunctô S. Gertrudis nosocomiô ædificavit: hoc postmodum cessit Patribus S. J. In oppido Kazimierz dicto in cultum D. Joannis unius e quinque Fratribus Polonis Martyribus Ecclesiam & ædes PP. Ord: Min: de Observantia condidit. Per Diæcesim verò suam plurima templa restauravit, & rebûs necessariis providit. Antistes æternâ memoriâ dignus fractam laboribûs pro bono Poloniæ & Ecclesiæ ætatem deposuit in oppido Buk, magnô sui desideriô, majore luctu relictô 1520. Corpus Posnaniam delatum lapideo monumento conditum est.

XLVII.

PETRUS III. TOMICKI.

POst gloriosum hujus Diæcesis regimen ad Cracoviensem Sedem translatus est. *Vide L. 1. p. 320.*

XLVIII.

JOANNES VIII. LATALSKI

IN Gnesnensi Metropoli supremum diem obiit. *Vide Lib: I. pag: 114.*

XLIX.

JOANNES IX.

De Ducibus Lithvaniæ.

PAlatinus & hæres Schavlensis, & Januszovepolyensis, Sigismundo I. Rege promovente ex Vilnensi Episcopatu ad Posnaniensem translatus, anno 1537. die 24. Martii ex oppido Kostrzyn ingressum suum solennem in comitatu Procerum & Nobilitatis adornavit. Princeps egregiis animi & corporis donis præditus, pietate erga Deum singulari, & virtutibûs Episcopo dignis conspicuus. Præclari regiminis spem magnam fecit, sed febri quartanna vexatus annô intø-

I gre

grô in Episcopatu non expletô magno omnium luctu obiit 1538. die 18. Februarii. Extat de illo Andreæ Kryccii ænigma.

Et Pater & genitrix, & vitricus atq; noverca,
Dic, uni atq; uno tempore, qui fuerint?

SOLUTIO.

Vir mulierq; olim natum genuêre soluti,
Nupserunt post hac prole manente aliis.
Hoc mirare tamen, quod vitricus atq; noverca,
Quam Pater & genitrix occubuêre prius.

Ad sensum carminis meliùs intelligendum, sciendum: Sigismundus I. Rex annos aliquot ante regimen Poloniæ fuit Dux Glogoviensis in Silesia à Fratre Ladislao Hungariæ & Bohemiæ Rege institutus; ubi familiaritate usus cum nobili Catharina de Telnjc Silesitana, hunc Joannem genuit, quem postmodum Episcopum fieri curavit, & ex Ducibus Lithvaniæ dici voluit. Electus postea Rex & inauguratus Catharinam dimisit: quam Andreas de Koscielec Voynicensis Castellanus, Regniq; Thesaurarius amore mulieris captus in sociam vitæ duxit; sed mærore, quem bini fratres causaverunt; (Cùm enim hic Andreas Senatum ingrederetur, Nicolaus Palatinus Brestensis Cujaviæ, & Stanislaus Palatinus Posnaniensis Senatu egrediebantur, indignum rati cum eo in publico Regni congressu versari, qui tantam contumeliam nomini & genti suæ fecisset) consumptus est. Rex etiam Sigismundus tum habuit sociam tori Barbaram Filiam Comitis Stephani Scepusiensis Palatini Transylvaniæ, quæ post coronationem altero partu edito mortua est. Sic vitâ defunctis Koscielecciô vitricô, Barbarâ novercâ, superstites mansêre Sigismundus Rex Pater, Catharina Mater cum Filio Joanne. *Treterus in Vitis Episc: Posnan:*

L.

L.

STANISLAUS II. OLESNICKI

De Stemmate Dębno.

Crux est rubrum campum dividens, in latere sinistro Crucis littera W cernitur:

JOannis Subjudicis Sandomiriensis Filius, vix unius anni Præsul: anno 1538. die 15. Decembris electus, à Jacobo Episcopo Plocensi consecratus, febribûs continuis exhaustus, debile corpus deposuit 1539. die 27. Aprilis, sepultus Posnaniæ.

LI.

SEBASTIANUS BRANICKI

De Stemmate Korczak vide p. 58.

REgni Referendarius, tùm Chelmensis Episcopus, merita Viri Sigismundo I. compensante ad hanc Sedem promotus est: 1540. die 10. Maji eam splendido apparatu ingressus est. Antistes non minùs pietate, cæterisq; virtutibûs, quam eruditione, juris civilis & Ecclesiastici notitiâ clarus, de Ecclesia req; publica optime meritus. Illi suam institutionem in Regni statu & legibus Patriis adscribebat Jacobus Uchanski postmodum Archiepiscopus Gnesnensis. Annis quatuor præfuit Diæcesi cum summa prudentiæ laude, morbô podagræ, quo affligebatur sæpius, prævalente, viribûs destitutus anno 1544. die 6. Maji in oppido Laskorzewo rebûs ordinatis, ritu Ecclesiastico dispositus vitam hanc cum æterna commutavit in Ecclesia Posnaniensi 5. Junii sepultus.

In LII.

LII.

PAULUS II. DUNIN WOLSKI

Cygno pro Stemmate insignis.

PRo die ultima Augusti 1544. electioni novi Præsulis indictæ convenerunt Canonici, & facta prius con- testatione de animo non incurrendi censuras Ecclesia- sticas, quòd contra Sacros Canones Regia Majestas ho- minem laicum illis ad eligendum imposuerit, defuncto Braniccio Paulum hunc substituerunt. Hic Matre Szy- dłowiecka Sorore Christophori Szydłowiecki Castel- lani Cracoviensis ac Regni Cancellarii genitus, duxe- rat in vitæ sociam Wiewiecka de familia Jastrzembcio- rum, primùmq; Pro Cancellarius, tandem Cancellarius Regni fieri meruit.

Post obitum Consortis cum sacris adjecisset ani- mum Rege promovente Præsuleam dignitatem adeptus est, à Paulo III. confirmatus, sacris demum initiatus & consecratus ex oppido Sredensi die 20. Aprilis 1545. solennem in Ecclesiam suam ingressum adornavit. Vir non tam eruditione, quam mediocrem habuisse scribitur quàm singulari vitæ bonitate præditus: paralysi tactus aliisq; infirmitatibus afflictus anno 1546. diem supre- mum obiit, ad caput Lubranscii in Ecclesia Cathedrali sepultus.

LIII.

BENEDICTUS II. IZBIENSKI

Poraita.

AD huc Cracoviensis Canonicus designatus erat à Re- publica ad corrigendas & bono ordine disponen- das leges Patrias: brevi Gnesnensis & Cracoviensis Primicerius, Sigismundi Regis favore, quem optima indole, & in rebus tractandis dexteritate meruit, pri-

mùm ad Camenecenses Infulas, tandem post obitum Pauli ad Posnanienses promotus est.

Lutheri secta aliquibus in locis Silesiæ & Pome- raniæ finitimis etiam Posnaniensem Diæcesim infece- rat; in primordiis sui regiminis Benedictus, ne latius serperet, omnem curam & solicitudinem adhibuit: ad societatem laboris invitavit PP. Ordinis Prædicatorum, præcipue Paulum Sarbinium hæreticæ pravitatis In quisitorem, qui post administratam Ordinis sui Provin- ciam Sandomiriæ ad S. Jacobum à laboribus quievit 1559. *Nowowieyski.*

Benedictus, cùm Ecclesiam suam ordine optimo & laudabili regimine per annos septem adornâsset, plu- resq; a falsis dogmatibus ad veram fidem revocâsset, febri acuta Ciążyni 1553. die 18. Januarii è vivis su- blatus. Posnaniæ in Sacello Mansionariorum conditus est, piis omnibus optimum Antistitem dolentibus.

LIV.

ANDREAS IV. CZARNKOWSKI

Avitâ Domûs suæ fasciâ insignis.

MAthia Castellano Bidgostiensi Patre, Matre Opa- lenska genitus: excultum in Patria primis litte- rarum rudimentis ingenium sublimioribûs scientiis expoliendum detulit in Italiam;& Patavii primùm, tum Bononiæ cum magno illo Stanislao Hosio, Lazaro Bo- namico Præceptore usus, eloquentiæ cæterisq; discipli- nis operam dedit. In Patriam redux 1540 Vilnam ad Sigismundi Regis aulam profectus primos Principis hujus favores meruit. Scholasticus, brevi Præpositus Gnesnensis inauguratus ad Ferdinandum Romanorum Regem, brevi ad Isabellam Hungariæ Reginam Sigis- mundi Legatus, ubiq; partes optimi Ministri adimple- vit. Sigismundus Augustus Patris in Regno Poloniæ Successor noverat optime in obitis muniis efficacem

Andreæ operam, quare eundem ad Paulum III. ad Carolum V. Imperatorem Oratorem designavit: utriusq; Legationis officium ad Regis & Patriæ vota absolvit.

Hunc fortunæ cursum nonnihil interturbavit tumultus Cracoviæ sub tempus Comitiorum culpâ famulorum Andreæ excitatus. Familia, quæ ab obsequiis erat Czarnkovio, injuriam personæ cujuspiam vindicans, aliquos ex alumnis Academiæ interfecerat, alicans, aliquos vulneribus fere exanimatos reliquerat. Postridie re divulgata facinus indignum conclamant Academici, Regemq; adeunt, nec jam familiam sed ipsum Czarnkovium cædis authorem & reum incusant. Post multa res à Rege Samueli Macieiovio Episcopo Cracoviensi commissa: qui nihil prætermisit, quod ad rigidum examen attinebat. Patuit ex illo innocentia Czarnkovii, cædis authores comprehensi, in custodiam dati, ut certis accusatoribus necis pœnas darent. Eo Macieiovii progressu non contenti scholares, cùm Czarnkovium necis authorem accusatum liberari adverterent, causâ, cum vinctis neglectâ, Academiam & urbem deserere statuerunt. Ab eo proposito retrahi, & ad saniora reduci videbantur consilio Tarnovii Cracoviensis Castellani, qui tunc opportune Cracoviam venerat, sed Macieiovii gravi sermone, quo illos temerariæ insolentiæ, in objecto crimine innocenti Czarnkovio arguit, læsi, plurimi urbe excesserunt. (a) Ad factum ejusmodi indoluit maximè Czarnkovius honoris & innocentiæ suæ læsam integritatem conquerens: Injuriam illius sensit & Augustus. Quare ut afflicto ferret solatium, brevi maxima merenti Posnaniensem Episcopatum detulit, favori Regio accesserunt vota Capituli.

A Julio III. confirmatus. 1553. die 9. Octobris ex oppido Kornik plurimæ Familiæ suæ & Nobilium comitatu Posnaniam ingressus, possessionem Sedis adiit: in illa administranda nihil in eo desiderari potuit, præ-

(a) Orzechowski annali II.

præter valetudinem; atterebatur continuis articulorum cruciatibûs, in ea tamen debilitate strenuè crescenti hæresi obstitit. Erat hæc potens multis Proceribûs illam profitentibûs. Monita, censuræ Antistitis flocci pendebantur. Ad congressus erigebantur fana, audaciam foventibûs & promoventibus primis in hac Provincia Familiîs. Dolebat religiosus Præsul gregem Christi infici; quare ut tanto malo iret obviam, Benedictum Herbestum, qui postmodum Societatem JESU ingressus est, & Gregorium Samboritanum, insignis pietatis & eruditionis Viros Posnaniam Cracoviâ evocavit, illisq; in Academiâ Lubransciana, quæ ea tempestate exigua fuit, juventutem litteris & omni pietate instruendam commendavit. Præsulis intentionibus fecerunt satis Viri optimi: juvenes omni morum honestate scientiîs & rudimentis veræ fidei exculti, exemplô & illiciô fuere multis.

Hoc fortunato rei Catholicæ in Diæcesi progressu non diu lætari permissum Andreæ. Aqua intercute febri hectica consumptus in oppido Paterno Czarnkow rebûs dispositis 1562. die 9. Julii vixit, in Cathedra Posnaniensi in Sacello Korzbokorum 11. Augusti sepultus.

LV.

ADAMUS I. KONARSKI

De Familia Abdankorum.

GEorgii Calissiensis Palatini Filius, humanioribus litteris liberaliter instructus, ingenii felicitate, morumq; elegantiâ magnum sibi nomen in aula conciliavit. Præpositus Posnaniensis, Cracoviensis Canonicus ad Paulum IV. tum ejus Successorem Pium IV, à Sigismundo Augusto Orator designatus obedientiam Regis nomine utriq; Pontifici detulit. Post fata Bonæ Sfortia Ducis Mediolanensis, Sigismundi Augusti Ma-

 tris

tris, in eundem Regem devoluta erat bonorum proprietas: pro illis vindicandis hunc Adamum, cujus in agendo dexteritatem noverat, ad Philippum Hispaniarum Regem Augustus expedivit.

Ivit Neapolim, & cum Ministris Philippi negotium sui Principis tractavit strenue; interea accepit nuncium de electione sui in Episcopum Posnaniensem & quia legationis negotiatio à Ministris aulæ Hispanicæ in longius trahebatur, Romam pro confirmatione electionis ad Pium IV. excurrit, qua facile obtenta, ibidem in Præsulem consecratus est. Rediit Româ Neapolim, magnoq; conatu superatis difficultatibûs commissum perfecit opus: ingentemq; auri & argenti summam ac pretiosam supellectilem Sigismundo in Poloniam retulit. Et Varsaviæ primum, tum Parcoviæ in Comitiis Regni generalibus rationem legationis Augusto reddidit, ac productis codicellis, perq; Regiam Majestatem approbatis sibi & posteritati securitatem providit.

His curis liberatus, curato aliquantulum in bonis Ciązyn Episcopatûs corpore, diu desideratam gregi præsentiam exhibuit ex villa Episcopali Głuszyna die 30. Augusti 1564. splendide Posnaniam ingressus, publicâ omnium gratulatione, Patre Palatino sene apud sacram Divæ Barbaræ ædem filio Episcopo (quæ rara felicitas) occurrente, & in amplexum magna lætitiâ ruente, susceptus est. Constitutus in Episcopalis dignitatis fastigio, piorum & doctorum virorum consvetudine libenter utebatur: sponsam suam Ecclesiam visitans, quæ ad ejus curam & decorem pertinebant, sollicitè curabat. Splendorem Pontificia majestate dignum conservabat, ubiq; cunctis affabilis magis amari quàm timeri à populo sibi subjecto exoptabat.

Advertit tamen Posnaniam, urbem olim Religioni Catholicæ addictissimam à nonnullis perverti, eoq; devenisse, ut aliquorum instinctu Zachariæ Rydz falso-

rum

rum dogmatum ministro aperire permiserit scholas publicas, in quibus impostor hic teneræ ætati insinuaret vitæ licentiam, qua postmodum in omne nefas solutam efficeret. Tam improba institutione ne urbem inficeret, & ne juventutem ad quævis facilem inquinaret, apud Sigismundū Augustum anno 1568. die 31. Martii obtinuit mandatum ad Cives Posnanienses, quo præceptor nefarius loco excesse jussus est *Załuski in Libro Duo gladii.*

Hosium Cardinalem sanctitatis & eruditionis magnæ Virum, Ecclesiæ Catholicæ firmum columen singulari veneratione prosequebatur: cum illo per litteras conferebat de iis, quæ ad juvandam Ecclesiam & Rempublicam pertinent, imo paucis comitatus ad eum excurrerat, tum ut tanti Viri contuberniô per aliquod tempus frueretur, tum ut Collegium Societatis JESU, quod Brunsbergæ laudatissimus ille Cardinalis erexerat, perlustraret, ad cujus normam ipse suum Posnaniense, quod jam animô conceperat, formare posset: quod & præstitit; Patribus S. J. ad Ecclesiam D. Stanislai E. M. in ipsa urbe Posnania ad obeunda commodius munia constitutis, eorum Collegio cum consensu Capituli 1572. Bona Kiełczewo Zemsko Bochlewo & Tokarki mensæ suæ Episcopalis pro nova dote attribuit (b) quam ejus dispositionem, & Reges Poloniæ, & Henricus S. R. E. Cardinalis Cajetanus Clementis VIII. Apostolicus de latere Legatus confirmârunt.

Ex fundatione hujus Collegii quem fructum non urbs duntaxat, sed tota Major Polonia tulerit? non est meum recensere, ne videar pro domo Oratorem agere. Breviter innuo: Patrum operâ, Clerus ad vitæ integritatem, juventus ad optimarum disciplinarum studium, populûs ad sacrorum & Sacramentorum frequentationem serium adjecit animum. Plurimi ex primis Provinciæ hujus Familiis cognitis hæreticorum fraudibûs redierunt ad sinum Ecclesiæ.

Inte-

(b) *Hist: Collegii Posn: S. J. Acta Capituli Posnaniensis.*

Interea Sigismundo Augusto Rege, ultima stirpis Jagellonicæ mascula sobole, mortuo, cum Henricus Valesius Dux Andegavensium, Caroli IX. Galliarum Regis Frater in Regem Poloniæ electus esset, ad eum in Regnum Poloniæ deducendum cum aliis Proceribus Adamus Konarscius Episcopus Princeps legationis designatus est. Perrexit in Gallias cum sociis in comitatu ab Ordinibus Regni definito, & ubi venit Lipsiam, obicem itineris ab Augusto, Duce Saxoniæ nactus est. Ægre ferebant Principes Germaniæ non fuisse a Polonis electum Ernestum Filium Cæsaris: ea itaq; de causa Augustus Legatos detinuit, non sibi esse integrum asserens liberum transitum Oratoribus Polonis concedi, antequam de voluntate Cæsareæ Majestatis, aliorumq; Imperii Principum sibi constaret. In tam insperato casu cum Alberto de Lasko Siradiensi Palatino & aliis Legationis sociis inito consilio Konarscius, Joannem de Fulsztyn Herburt Sanocensem Castellanum ad Ducem expedivit. Herburtus sermonis pondere & libertate jura Gentium violata questus, inimicitias etiam Polonorum, ni a cæpto desisteret, minatus, Principem ad saniora reduxit, qui factum excusans liberum passum Legatis permisit *Fredro qui etiam adducit Orationem Herburti.*

Acceleravere iter Oratores, ut moram celeritate redimerent. Parisios ingressi cum tumultuosa obviantium multitudine, viros, mores, gestus arma Polonorum ante hac Occidenti incognita admirantibus Gallis salutavere Regem, tum Henricum Fratrem electum. Ea dies usitatæ Legatorum pompæ data, negotium Legationis in posteram translatum lucem. Oratores inito consilio die sequenti cum aditum ad suum Regem impetrassent, Pacta Conventa Henrico obtulere: accepit ea Princeps lubenti animo: sed ubi de dissidentibus in Religione, & cum illis pace fovenda per Confæderationem Varsaviensem cauta. *Vide L. 1. p. 124.* facta esset men-

men-

mentio; tres Oratorum: Præsul Konarscius, Siradiensis Palatinus, & Mareschalcus Lithvanæ Curiæ protestatum esse contra, dixêre, nec posse inter Pacta Conventa acceptari. Ad ea respondit Rex: se in eo nihil posse statuere, in quo Legati non convenirent. Tum Joannes Zborowski unus ex Oratoribus, isq; diversæ Religionis ad Monlucium, qui nomine Henrici Legatum in Polonia egerat, conversus, *Utiq;* inquit, *ni vos Legati nomine Principum hanc conditionem acceptassetis, hic Princeps, nobis contradicentibus in Regem non poterat eligi.* Notavit Henricus Monlucium cum Zborovio acerbius colloqui, sed cùm verba sermocinantium audire non posset, *Quid tecum loquitur*, interrogat, *hic Polonus Orator?* Tum Zborovius præoccupans responsum Monlucii nihil cunctatus *Ajo*, inquit *Rex Serenissime; nisi Oratores Tui hanc conditionem dissidentium de Religione, uti cætera omnia nomine Tuo acceptassent, nobis contradicentibus Rex eligi non potuisses, imo ni jam approbaveris, Rex Poloniæ non eris.* Fredro.

Pupugit adstantium Gallorum aures vox Legati liberior; sed Princeps, qui noverat se liberum populum in imperium accipere, dictum eâ tulit modestiâ, ut placuisse videretur: addito ad prudentiam responso: *Oratorum potius in eo causam: quidquid mutuo consensu apportaretur, se non improbaturum; inirent potiùs consilium, posteriori die concordes accederent.* Tandem condescendere Oratores cum cautela, ne in injuriam & præjudicium fidei Catholicæ ea lex extendi posset. *Idem.* Vide præterea *Zaluski Tom II. Epist Famil: fol: 754.* qui Henrici Regis testimonium de ea cautione per Konarscium facta, ipsamq; cautionem seu protestationem loco citato adducit.

Interea varia fama peragrabat Parisios & Galliam: Henricum non Regem, sed legum Polonarum futurum mancipium. Ea cùm ad Polonos Oratores pervenisset, Adamus legationis caput eleganti sermone (refert il-

lum

lum Fredro) explicuit Gallis & Henrico, quod & quale Regnum ei Poloni detulerint.

Prævivit Adamus in Poloniam Henrico, & supervenientem splendido apparatu excepit Posnaniæ. Non firmam satis valetudinem, legationibus, præsertim hac Gallica iniquissimo anni tempore peracta, debiliorem fecit: maxime vero in Comitiis Cracoviensibus, quæ coronando Regi coacta brevi fuerunt, variis curarum molestiis agitatus, in morbum incidit, quo viribus destitui cœpit. Henrico Rege in Gallias elapso cùm omnia in Regno miscerentur, ne periclitanti Patriæ deesse videretur, ad Comitia ivit Varsaviam: sed in itinere commotione ita morbum auxit, ut hærere coactus fuerit, ac cùm vi ægritudinis sæviente nec progredi, nec regredi posset, vix in lecto Czrzynum delatus, corpore febrim ampliùs sustinere non valente, oppressus spiritum Deo Conditori reddidit 1574. die 1. Decembris, anno Pontificatus decimo tertio. In Ecclesia Cathedrali 17. Januarii 1575. in sacello Grodzicciorum sepultus.

LVI.

LUCAS KOSCIELECKI

De Stemmate Ogonczyk

In campo rubro dimidius est annulus mediâ sagittâ acie erectâ desuper insignitus.

CUm ex Polonia in Galliam abiisset Henricus, fatis Caroli IX. Fratris excitus, aliquot annis ab obitu Konarscii vacabat Posnaniensis Sedes. nunc primum 1577. promovente Stephano Rege hic Lucas ex Premisliensi Episcopatu ad hunc translatus est. Oriundus ille erat ex Familia de Patria & Religione optime merita: de illa Stanislaus Hosius prodidit memoriæ: *Cùm Koscieleccii nomen ab Ecclesia ducant, nulla unquam in re separari ab ea volunt, nec puto post hominum memoriam fuisse familiam ullam in mea Patria, quæ se magis Ecclesiasticam esse declaraverit, & unius Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ traditiones omnes pari studiô defenderit.* Niesiecki Tom II.

Patre Joanne Lanciciensi Palatino, Matre Kcynska genitus, pietate & litteris instructus Abbas Lubinensis, ac post obitum Valentini Herburt à Henrico Valesio Premisliensis Episcopus nominatus, a Gregorio XIII. confirmatus ob ingentes in Polonia, præcipue Russia motus Ecclesiam suam adire non valuit. Tandem Stephano Bathoreo adnitente Posnaniensis Antistes, Religionis, quam cum lacte suxit, defensor strenuus. Absentia Præsulis in hac Diæcesi dedit animum hæreticis multa audendi; Konarscio defuncto ac si custode amoto Posnaniam denuo penetrârunt, & virus, quod in congressibus propinabant, ut diuturnius foret, etiam libris prodebant. Prodierant plurimi in finitimis Provinciæ hujus urbibus: novum alium Jacobus quidam acerrimus hæreticæ falsitatis propugnator Polono idiomate paraverat, magnaq; parte impresserat: ut perficeret, latebras quæsivit. Attentus & vigil ad omnia Præsul in ipso fonte suppressit malum; libros ad rogum in foro Posnaniensi damnavit: pestis ejusmodi officinam æquavit solo, libri & typi authorem ad pœnas quæsivit, sed hic maturâ fugâ libertati & vitæ consuluit. *Hist: Coll: Posn: S. J. anni 1578.*

Post obitum Stanislai Gorka Palatini Posnaniensis, cùm bona Familiæ hujus jure successionis ad Czarnkovios devenissent. Hæretici Gorkanum palatium, non procul ab Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ situm, locum suorum per annos aliquot cætuum emere & in fanum sectæ suæ convertere studebant. Occasionem hujus nefandi congressûs dissolvendi optimam nactus Antistes, ipso hærede allaborante, effecit, ut Magistratus Posnaniensis emptis ædibus publicum urbis scandalum amoveret.

Ut in hæreticos severus, sic in famulos Christi, ejusq;

juſq; Eccleſiam benignus & beneficus. Collegii Poſnanienſis S. J. quod Adamus Konarski inchoaverat, dotem auxit bonis Januſzewice & Słupia cum conſenſu Capituli attributis: quam ejus & Capituli liberalitatem Stephanus & Sigiſmundus Reges, ac Henricus Legatus Apoſtolicus probârunt. Cathedralem Eccleſiam renovavit, multiſq; adornavit beneficiis: ne plura præſtaret, mors impedivit. Ex thermis Bohemicis redux Poſnaniam, rebûs ſuîs diſpoſitis, triduo ante obitum paralyſi tactus amiſſo loquelæ & dextræ partis uſu ceſſit fatis, poſteris memoriâ ſui relictâ: Obiit 1597. die 26. Julii ætatis ſuæ annô 58. Sepultus Poſnaniæ cum eâ virtutum ſuarum laude: *Sinceritate, liberalitate ac inſignibûs Senatoriis virtutibûs probatiſſimus.*

LVII.

JOANNES X. TARNOWSKI

POſt fata Rozrażevii Vladislavienſis Præſul, tandem Stanislao Karnkovio in Gneſnenſi Sede ſucceſſit. *Vide* Lib: I. *pag: 140.*

LVIII.

LAURENTIUS II. GOSLICKI

De Stemmate Grzymała vide pag: 15.

EX Familia virtutibûs bellicîs, Scytharum cladibûs inſigni, & in Polonia optimè merita oriundus. Franciſcus Tribunus & copiarum Ductor, ſæpiùs victor Scytharum, in illos vice quadam cum exigua ſuorum cohorte inciderat. Vir fortis manu & arte bellica non tam numero quàm probatæ virtuti militum confiſus aciem inſtruxit, conflictum obtulit: ſed majores quàm viderat & ſperaverat côpias adorſus, multitudine & ab erumpentibus ex inſidiis Scythis obrutus ceſſit in prædam hoſti. Multa pecuniâ & majore promiſſa redimebat libertatem, ſed nihil impetravit apud animatos in

necem

necem ſuam barbaros. Tam nobili contenti prædâ, ut clades olim illatas vindicarent, Heroëm in partes dilaniârunt, quibûs inter ſe diſtributîs, antiqua gentis ſuperſtitione cruore interfecti arma imbuerunt, perſvaſi, Gosliccii ſangvine & corde heroico ſe ad prælia animatum iri: utq; cædis tanti Viri apud poſteros haberetur memoria, barbari ſui facinoris locum, tumulum Gosliccii nominârunt. *Nieſie.ki Tom II.*

Hujus Familiæ proles Laurentius, Vir cui mores inculpati, vita ſine crimine, fama apud optimos maxima: ſcientiis, rerum publicarum uſu, ſermonis & ſcriptorum elegantiâ commendatus. Primam ætatem in Academia Cracovienſi excoluit, & poſt obtentam lauream Philoſophicam in Italiam profectus, in univerſitate Patavina ſublimioribûs ſcientiis mentem expolivit. Scripſit ibidem Librum de optimo Senatore, quem Venetiis 1569. in lucem edidit: ſcripſit & alium de cive optimo, ideamq; probi & Patriam amantis viri, qualis ille eſſe ſemper ſtuduit, demonſtravit. Redux in Poloniam primùm Abbas Claræ tumbæ creatus, Martino Białobrzeſki meruit ſuccedere in Sede Camenecenſi, ex hac ad Chełmenſem; brevi ad Premislienſem tandem ad Poſnanienſem translatus eſt.

Illa tum erant tempora, quibûs avita Religio prava opinione atterebatur in plurimis Poloniæ locis: in ipſo Senatu prævalebat dogma impium, plurimis Senatoribûs illud non tantum foventibûs, ſed palam ſequentibus. Ut poſt obitum Sigiſmundi Auguſti in fœdus Reipublicæ punctum in favorem diſſidentium in religione irrepſerat, *vide L. 1. p. 124.* ita poſt fata Bathorei 1587. ſimile quid moliebátur hæreſis, utq; impune graſſaretur, magno motu id obtinuit. Nec habuit ſátis inſeruiſſe fœderi. ut ſecura eſſet, ſubſcriptionem urgebat, minîs & vi extorquebat. Furentem licentiam fugere non potuit Laurentius, quare coactus manum appoſuit in hæc verba: *Laurentius Goślicki Epiſcopus Camen.*

Camenecensis propter bonum pacis subscribo. Sed liber à periculo anno eodem 19 Augusti electionem Sigismundi III. & Pacta Conventa hac formâ subscripsit: *Laurentius Goslicki Episcopus Camenecensis excepta Confœderatione.* (c) Ne vero pravum exemplum Germaniæ & plurium in Polonia sequerentur alii, de gloria, cultu, dignitate Religionis & Sacri Ordinis in publico Regni congressu Varsaviæ ut rationum pondere, sic verborum elegantiâ peroravit Orator: eadem facundia Sigismundum III. electum Regem nomine Ordinum Regni salutavit Cracoviæ,

Vis in dicendo, in agendo dexteritas Præsulis hujus nota & probata erat Regibus Poloniæ: illorum nomine in Hungariam, Germaniam, Saxoniam, Sveciam ivit Legatus, & obiti muneris gloriâ votis suorum Principum abunde respondit. Ille rebelles Gedanenses melius sapere docuit, & Regi Stephano obedire fecit.

Et ut strenuus in rebus civilibus tractandis, sic æque erat sedulus in obeundis muniis optimi Antistitis. A sacris exedris erudiebat populum, pauperum xenodochia liberali fovebat manu, & ne in pabulo animæ deficerent, serio invigilabat: illos invisebat sæpius, & ad maxima quæquæ pro cælo, pro Deo hortabatur. Catharina de Macieioviis Wapowska, Castellana Premisliensis, fæmina at naturæ dotibûs insignis, sic omni virtutum genere illustris, in Russia plurium ditionum Domina curabat strenue ut sui subditi religionem & pietatem colerent; quare assentiente Gregorio XIII. Ritûs Græci Ecclesias, pulsis Rectoribus unioni cum Romana Ecclesia adversis, Sacerdotibus ritûs Romani administrandas committebat, multisq, fovebat & adornabat beneficiis. Hæc laudabilis Catharinæ solicitudo & cura offensioni erat etiam illis, à quibus in tam pio conatu & opere juvari & defendi debuerat. Res hæc ubi Laurentio tum Premisliensi Episcopo innotuit, studium

(c) *Volumen Legum II.*

dium Principis feminæ laudavit, & operâ interpositâ fortius promovit. Ecclesias vindicatas, ac liberali dote exornatas authoritate Pastorali pro ritu Latino approbavit, easq; illis, qui morum probitate præessent & gregi præirent, dedit regendas. *Niesiecki Tom: III.*

Cum variis Sedibus annos propemodum triginta Antistes præfuisset, in ultima Posnaniensi annis sex & mensibus quatuor cum laude exactis, laboribûs & annis fessus septuagenariô major vitam mortalem cum immortali commutavit 1607. die 31. Octobris tumulum & honorem sepulchri nactus Posnaniæ. Ultima voluntate cænobio Plocensi Ord: Prædic: bibliothecam disposuit, quam suis lucubrationibus in arte metrica, & aliis auxit. Laudes meruit à Vitellio, Zoravio, Starowolscio & aliis pluribus.

Ejus temporibus floruit & obiit Lubini in cænobio Ordinis D. Benedicti Diæcesis Posnaniensis, Bernardus 1603. die 1. Junii. Hic nondum Religiosus, Christi Passioni apprime devotus, pietati satisfacturus, die Sancto Parasceves intempesta nocte excurrit, summoq, mane venit Posnaniam, ut concioni adesset, acerbosq; Salvatoris cruciatus ac cruentam mortem defleret lachrymis. Sed urbem adhuc clausam reperit. Ingemuit, indoluitq; se intentione privari. Quæsivit solicitus aditum, sed omnem civitas murô cincta inhibuit; quare in lachrymas solutus procidit in genua Deo supplex, ut sibi modum porrigeret, quo voti compos fieret. Post fusas in longum preces, plenus spei portam figurâ crucis signat. Et ecce hæc superna vi mota fractis repagulis, homini ingressum permittit, & officiô functa ad suos iterum redit cardines. Brevi, ut perfectior Deo serviret, Institutum D. Benedicti professus Lubini, cunctis affabilis, in se vixit severior: inediâ, frigore varioq; ærumnarum genere vexatum corpus deposuit 1603. Vicinus agoni animæ hostem sibi adstans

Vit. Præs: Tom II.

adstantem advertit: sed hunc intrepidus Divini Martini verbis: *Quid adstas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies* corripuit: & arrepta è manibus Superioris Christi in Cruce pendentis effigie abegit. demum in osculis Redemptoris sui obdormivit. Sepultus Lubini variis gratiis & miraculis à morte inclaruit. *Pruszcz p. 195.*

LIX.

ANDREAS V. OPALENSKI

Navi pro Stemmate insignis.

ANdreas supremô Regni Mareschalcô Patre, Matre Catharina Koscielecka Palatini Siradiensis Filiâ genitus ad summa. Cùm adhuc juvenis ad Sacros Ordines concepisset animum, annô ætatis suæ decimo quintô Præpositus Plocensis factus. Debebatur honos iste ut Patris meritis & inclytæ Familiæ, sic Andreæ indoli, quæ in illa ætate jam annos superabat, & ad majores dignitates cum laude obeundas spectabatur idonea. Romam à Patre expeditus, ut in illa sacrorum urbe adolesceret, Clementis VIII. gratias & affectus meruit. Pontifex hic cùm adhuc in Polonia Legatus esset, noverat optime potentem Opalensciorum Familiam, & cum Parente Andreæ Mareschalco singulari familiaritatis consvetudine conjunctus, eodem Romæ in Filium amore ferebatur, præsertim, cum indoles ejus ad omnem honesti regulam composita cunctis faceret amabilem: primùm aulæ suæ Camerarium postmodum Secretarium designavit. Et cùm Sigismundo III. Polonarum Regi Ladislaus Filius recens natus esset, Clemens Opalenscium misit in Poloniam, ut nomine Pontificis natales Filii tanto Regi gratularetur.

Annos quattuor Romæ in aula Pontificia commoratus, relictis meritorum vestigiis rediit in Patriam: ad Regiam à Sigismundo III. evocatus, ad Rudolphum Cæsarem in negotio Moldaviæ & Transylvaniæ, Græcium

ad Ferdinandum Archiducem, demum Romam ad Summum Pontificem Legatus ire debuit: ubiq; ad vota Principis & Patriæ optimi Oratoris absolvit munus. Anno 1604. inauguratus Regni Secretarius, cùm Paulus V. Leoni XI. in Sede Petri successisset, Romam denuo missus Andreas, ut novo Pontifici supremam Ecclesiæ dignitatem nomine Regio voveret prosperrimam, illiq; supplex esset, ut impedimentô affinitatis solveret Sigismundum in contrahendo matrimonio cum Constantia, Sorore germana Annæ defunctæ Consortis Regiæ. Magnô studiô rem egit sui Principis, & ad optatum perduxit exitum. Sub idem Legationis suæ tempus obtinuit beneficium, quo Roma diebus Quadragesimæ Sabbathô cænâ vesci permisit Poloniæ (a) Impetravit præterea, apud Supremam Sedem anno 1605. interveniente etiam Ducissa Sfortiana (b) ut Imago Angelici Juvenis Stanislai Kostka (qui anno 1568 Societatis JESU Tyro Romæ 15. Augusti perfecte cælo maturuit) publico cultui 14. Augusti exponeretur. Dies hæc toti Romæ solennis fuit, universæ verò Poloniæ gloriosa, quam festivis ignibûs, iconem verò sacram laminis ex voto oblatis Andreas adornavit. *Niesiecki Tom: III.*

Redux in Poloniam à Laurentio Gosliccio, annuente Rege, Roma probante Coadjutor Episcopatûs Posnaniensis in Episcopum Sicopolitanum consecratus, & post fata Laurentii (quæ brevi supervenêre) cum pleno jure à Proceribus & urbe tota salutatus est opportunus illi tempori Antistes. In Diæcesi hac, præcipue Posnaniæ aliquibus in locis fixerat altas radices pervicax malum hæreseos; ut hac Majoris Poloniæ Metropoli exesset, omne studium, omnem conatum adhibuit Proavi sui Andreæ de Bnin in hac Sede Prædecessoris secutus exemplum. Primùm malorum antesignanos cujusvis sectæ administros urbe ejecit, fana non-

(a) *Niesiechi Tom: III.* (b) *Fasti S. J. 14. Augusti.*

nulla diruit, aliqua in alium usum convertit. Deinde 1609. apud Sigismundum obtinuit ad urbem mandatum, quo nulli hac lue pestifera infecto aditus Posnanitam permittebatur, manentibus vero, ne juribus Civitatis gauderent, severe inhibebatur. Plenus spei Præsul eo modo urbem tam inclytam ab hoc malo fore liberam. Et votis respondit eventus, multi olim secuti duces falsitatis abjectis erroribus veram fidem professi ad sinum Ecclesiæ redierunt: multi, ne absq; suis ministris viverent, locum mutârunt.

Dies septima Decembris festum Immaculatæ Virginis præcedens, in Polonia nec dum rigidâ colebatur abstinentiâ: quare & mensa Præsulis pro more Provinciæ erat instructa dapibûs. Sole cadente dum vim auræ gelidæ Antistes ad caminum depellit, tota illius moles nulla occasione data corruit læso nemine, solo Pontifice perterrito. Casus hic docuit Antistitem diem hanc rigidius observandam; quare non sibi duntaxat, & aulæ sed toti Diæcesi septima Decembris in honorem Virginis sine labe conceptæ jejunium indixit (c) quod tota postmodum Polonia sibi commune fecit. Clerum ut ad normam Sacrorum Canonum & Concilii Tridentini componeret, Synodum celebravit. Palatium commodo Episcoporum instauravit: ædes sacras plures erexit, plures renovavit, singulas adornavit. Diem Cænæ Domini coluit singulariùs: ad numerum Apostolorum duodecem egenis lavit pedes, omnes vero, quotquot Posnaniæ reperiri poterant, ad mensam pavit & integrum convivii apparatû inter eosdem distribuit.

Præsul omnibus affabilis, ab omni ambitione alienus: ubi inaudiit Ecclesiam suam Cathedralem in favillam abiisse, repentino dolore correptus, rebus ritè dispositis, ac si, sponsâ suâ in cineribus sepulta, vivere renueret, obiit Radlini 1623. ibidem sepultus. Pigłowski laudes illius brevi calamô complexus est: *Etsi Avorum*

(c) Niesiecki Tom: III.

rorum gloriâ caruisset, dignus erat, qui magna virtute, summa quævis mereretur.

Temporibûs hujus Præsulis obiit ultimum diem Posnaniæ 1620. die 11. Aprilis P. Stanislaus Gawronski Polonus S. J. Divi Aloysii Gonzaga Romæ condiscipulus, & virtutum imitator. Varia Provinciæ Polonæ Collegia & ipsam rexit Provinciam, omnia tamen ultima eligebat: cibô valde modicô, sæpe nullô contentus, lectulô durô vestibûsq; attritis passim utebatur. Hunc commoditatum in vita neglectum, videtur Deus etiam in hoc mundo compensasse; quando post annos à morte duodecem cadaver ejus inventum est incorruptum, colore albo, quin & sangvine rubicundo, è labiis & auricula dextra expresso, cùm interim urna sepulchralis, & vestes plene consumptæ essent. Rem Patres & quatuor Medici explorârunt; auxitq; admirationem corporis complexio succi & carnis plena locusq; sepulchri à fluvio vicino Varta humidus. *Hist. Coll: Posn. S. J. Fasti S. J.*

LX.

JOANNES IX. WĘZYK

OBiit in Gnesnensi Metropoli. *Vide Lib: I. p. 156.*

LXI.

MATHIAS ŁUBIENSKI

AScendit Vladislaviensem Sedem, demum Archipræsul Gnesnensis. *Vide Lib: I. pag: 163.*

LXII.

ADAMUS II. NOWODWORSKI

Fasciâ pro Stemmate insignis.

EX Abbate Premetensi Camenecensis, Premisliensis tandem Posnaniensis Antistes. Libertatis Ecclesiasticæ defensor strenuus, affectu & devotione ergà

Deiparam eminuit in ejus cultum effusus: in Deum & ejus famulos liberalis; præter ædes sacras, quas dotavit, Collegia Sacerdotum, quæ erexit, Romæ Societatis JESU de proprio patrimonio fundavit. Diæceses, quibus præfuit, probitate vitæ & morum exemplô rexit: in singulis reliquit non exigua liberalitatis suæ monumenta. Trium annorum Posnaniensis Præsul annô ætatis suæ 62. a partu Virginis 1634. obiit: tumulum & sepulchri honorem Posnaniæ in Ecclesia Cathedrali nactus. Illo Camenecensem Ecclesiam moderante Chotimensis Polonorum de Osmano victoria contigit. *Vide Lib: IV.*

LXIII.

HENRICUS FIRLEY

De Stemmate Lewart

In rubro campo Leopardus est erectus cum capite coronato.

HEnrici Archiepiscopi Gnesnensis Nepos, Patre Joanne supremô Regni Thesaurariô, Matre Gertrude Opalenska Andreæ Supremi Mareschalci Filia natus, ad decus tantorum Parentum & suæ Familiæ adolevit & maturuit. Excultum severioribus scientiis in exteris Nationibus animum vix Regiæ applicuit, a Sigismundo III. Referendarius Regni creatus, Tinecense cænobium Abbas administrare jussus est; quod & ejus Ecclesiam peculiari liberalitate adornavit. A Ladislao IV. Premisliensis Episcopus, ejusdem Regis favore post obitum Nowodworscii Posnaniensis Antistes, ne præesset huic Ecclesiæ, impedimento fuit mors intempestiva, quæ Præsulem moribus & virtute maturum in ipso ætatis flore Patriæ & huic Diæcesi eripuit 1636. Casimiriæ ad Vistulam PP. Ord: Min: Strictioris Observantiæ fundavit: Jaroslaviæ vero Ecclesiam cum effigie Dolorosæ Virginis Patribus Soc: JESU, consignavit. *Vid. L. I. p. 24.*

LXIV

LXIV.

ANDREAS VI. SZOŁDRSKI

Navi in campo rubro insignis.

FAmiliâ, quam teste Okolscio nulla inquinavit hæresis oriundus Patre Stanislao bonorum Czempin hærede, Matre de Pigłowice Maniecka genitus, indolem primo in Scholis Posnaniensibus S. J. (extat nomen ejus in Albo Sodalium Immaculate Conceptæ Virginis Collegii ejusdem) demum Romæ in omni litteratura excoluit. In Poloniam redux Cancellarius Ladislai Principis Regii esse meruit, cui ad Chotimum & Smolenscum consiliô fuit & adminiculô. Et quia in agendo dexteritas, morum gravitas, vitæ probitas, & conscientiæ teneritudo Regi, Ladislao ejus Filio, multis Proceribus fecit Andream amabilem, brevi congestis honoribus eminuit. Gnesnensis, Posnaniensis Crusviciensis Præpositus, Cracoviensis Primicerius, Decanus Loviciensis, Scholasticus Lanciciensis, ad Tribunal Regni sæpius Judex Deputatus: tantis gradibus ad maxima parabatur.

Kioviensis primum Antistes, & pro Joanne Alberto Regio Principe S. R. E. Cardinale, Cracoviensi Episcopo hujus Diæcesis Administrator, illius Patavii defuncti corpus in Poloniam detulit. Premisliensis postmodum, demum Posnaniensis Præsul 1636 favore Ladislai IV. inauguratus est. Reperit laceram & vastatam incendio Posnaniensem Cathedram, ægre tulit tantum sponsæ suæ dedecus; quare ruinis liberalem porrexit manum, Ecclesiam fere a fundamentis erexit, variô apparatu sacro adornavit, aureis, argenteis vasis ditavit. Bona mensæ suæ Wielichowo pro necessitatibus ejusdem Capitulo cessit. Ad reparandam Academiam Lubranscianam justas impensas contribuit, ad quam contubernium pro decem nobilibus adolescentibus fundavit bonis Kiełczewo Korablewo & Pogrzybowo

bowo inscriptis. *Acta Metrices Regni anni 1647.*

Ad visitanda SS. Apostolorum limina Romam excurrerat per eam itineris occasionem venit Assisium, urbem Seraphici Ordinis Conditoris exuviis celebrem, Josephum à Copertino Ord: Min: Conventualium vitæ sanctitate peculiarem, adhuc superstitem, à Benedicto verò XIV. non ita pridem Beatorum fastis ad scriptum adoraturus. A loci Religiosis debita Præsulibus humanitate acceptus postulavit, ut sibi liceret Josephum à Copertino videre. Voto tanti hospitis fecit satis Custos cænobii, & Virum Beatum ad obsequium mensæ Præsuleæ designavit: qua finita cùm pro consvetudine hospitii Religiosi Andreæ pedes ablueret, eundem interpellavit Antistes: Pater, audii Religiosum Josephum sanctitate vitæ, donisq; cælestibûs abunde cumulatum in hoc vestro contineri cætu, illius videndi desiderium me has in ædes compulit: cui Josephus: Reverendissime, respondit, non est, quid videas; aliqui Sanctum existimant; verùm vita illius ab hac eorum opinione diversa est. A plurimis fide dignis, ait Andreas, compertum habeo, hominem verè sanctum, & cum Deo conjunctum esse. Ad hæc Pontificis verba Josephus primum facie exardescere, brevi à sensibus abstrahi, & in aëra elevari visus est. Sensit se illusum Andreas, cognovit Virum, cujus videndi ardebat desideriô, quare errorem suum arguens, pedes quorum lotionem sanctò permiserat, tanquam indignos eo obsequiô, latere, qui ad manum erat, ferire cæpit.

Supervenit interea cænobii superior, & factum Præsulis admiratus, magnis precibus acerbum opus vix cohibuit, à quo non priùs destitit Antistes, donec imperiô Josephum ad sensus rediturum promitteret. Appromisit Custos, sed ea conditione, ut inchoatum humilitatis actum Copertinus perficeret. Ægre consensit Andreas. Obsequiô finitô: *Frater Josephe*, inquit Præsul, *tantum obsequium ut Tibi rependam, modum porrige.* Cui Beatus, *Reverendissime*, ait, *ubi ad Tuî Episcopatûs Sedem veneris, illa in urbe Fratrum meorum memineris.* Vita B. Josephi à Copertino.

Habebant equidem PP. Conventuales ab anno 1639. Posnaniæ sub arce ædem, sed hæc duntaxat ex aliis cænobiis sive valetudinis, sive negotiorum tractandorum causâ hospites fovebat. Plures quandoq; convocabat rerum necessitudo, & quia locus erat angustus, variorum beneficiis ampliari cæpit, sacellumq; pro Divinis obeundis structum est. Eo Patrum factô offensa Civitas cùm impediret ulteriorem fabricam; *Szoldrski* ab itinere Romano redux, promissi B. Josepho à Copertino dati memor, eisdem Patribus locum ampliorem in fundo urbi vicino, *Grobla* dicto quæsivit & 1646. religiosas ædes cum sacello condidit, multisq; gratiis & patrociniô fovit. Decem tantum annos duravit hoc Szoldrscianæ beneficentiæ monumentum; in favillam & cineres abiit 1656. operâ Svecorum, qui occupatam Posnaniam ut contra Polonos defenderent, cum aliis suburbanis ædibus & hoc cænobium flammis absumpsere. Possessione ejusmodi spoliatis Patribus Adalbertus Tolibovius, qui Czartoryscio in Posnaniensi Episcopatu successit, Ecclesiam D. Rochi ab urbe remotiorem cum jure Parochiali detulit. Annô demum 1664 in veterem ad arcem fundum rediêre Patres, & anno 1668. Reverendissimo Dobrzelewski locum benedicente Ecclesiam sub titulo S. Antonii Patavini inchoârunt, ad quam liberali plurium manu Religiosam fixêre domum, in eaq; cum decore urbis & commodo ad præsens subsistunt. *Annales Loci.*

Intendebat ille multa pro bono Ecclesiæ suæ, quam Synodo celebrata ad optimum reduxit ordinem, sed intentionibus mors invida sæculis dignum Antistitem communi involvit fatô: paralysi tactus ætatis suæ anno 67. post Christum natum 1650. Episcopatus Posnaniensis decimo quarto obiit in Ecclesia Cathedrali conditus.

Quam-

Quanti fuerit zeli pro fide Catholica? patet ex ejus dispositione convictûs adolescentum Nobilium, quæ habetur in Actis Castri Posnaniensis sub anni 1653. Feria II. post Festum Visitationis B. V. M. In illa Præsul hic Patronum prædicti Convictûs ex domo Paterna, videlicet Szczdrsciana, & in defectu Nominis, ex Domo Materna Maniecciana constituit, cujus esset muneris & juris commendare adolescentes Venerabili Capitulo Posnaniensi. In casu verò, si Domus utraq; postposita Religione Catholica cuipiam dogmati ab Ecclesia Catholica damnato adhæreret, non tantum jure patronatûs eam privat, sed insuper Diris devovet. *Deinde Deo avertente* verba illius sunt: *quod nec in mentem veniat, & pereat illa dies & nox, si quando tale monstrum Familia mea genitura est; Familia hæc nostra, tam Paterna, quàm Materna, in hæresim incideret, & ab Ecclesia Catholica Romana avelli vellet, ex nunc non modo omnibus diris, ac infinitæ maledictioni, penitusq; manibus Satanæ ipsam, & eorum quemlibet subjicimus, ac ut Dominus deleat radicem de terra viventium, precamur: verum & hanc prærogativam juris præsentandi ab ipsis defacto, & penitus removemus.*

Illo Diæcesim Posnaniensem moderante viam universæ carnis ingressus est, 1637. die 11. Septembris P. Stanislaus Domaniewski S. J. Romæ cùm ætatem excoleret, ex putrido cadavere adolescentis cujuspiam, cujus viventis formam & ipse & alii mirabantur, velut alter Borgias Spiritum ad Societatem JESU concepit: in eam cooptatus omnem curavit perfectionem, cujus norma & exemplum fuit aliis. Post nocturnas aliquot horarum orationes graviùs in corpus sæviebat, sibi & animabus purgatorii misericordiam efflagitans, quibus, quidquid ageret, boni vel mali pateretur, ex integro transcripsit. In regimine adeo svavis erat omnibus, ut communi voce Rector charitatis diceretur. *Fasti S. J.*

Anno tertio, 1640. die 2. Aprilis P. Domaniewski secutus est Varsaviæ P. Mathias Casimirus Sarbiewski

wski S. J. Polonus. Vir omni scientiarum genere excellens. Cum Theologiæ laureâ ornandus esset in Academia Vilnensi, Ladislaus IV. Rex Poloniæ eam solennitatem adornavit, & pro Doctorali annulo, suum novo Doctori obtulit. Plurimum famæ gloriæq; sibi comparavit Lyricâ Poësi, Horatio par visus non paucis, & insignibûs encomiis à Poëtis, præcipue Belgis celebratus. *Fasti S. J.*

LXV.

FLORIANUS CASIMIRUS CZARTORYSKI

Ad Vladislaviensem Sedem, demum ad Gnesnensem translatus est. *Vide Lib: I. pag: 180.*

LXVI.

ADALBERTUS III. TOLIBOWSKI

Fasciâ pro Stemmate insignitus.

Patre Andrea, Præfecto Bobrovnicensi, Matre Piwowna de Stemmate Prawdzic genitus, post finita magna laude variis in locis litterarum studia, quibus animũ abunde excoluit, sacris initiatus ex Vladislaviensi Capitulo ad Tribunal Regni Judex non postrema quæquæ ex æquo sibi deberi probavit. Plocensis Præmonstratensium Præpositus factus vigili cura ad instituti & exactam disciplinæ Religiosæ observantiam omnes induxit.

Cum V. P. Nicolao Lancicio S. J. Viro & sanctitate, & libris editis in lucem claro vixit familiariùs. Syngrapham professionem fidei Catholicæ prædicti Patris (in Calvini erroribus Lancicius natus erat) complectentem manu ejusdem conscriptam nactus, eâ in plurimis multorum periculis cum optato eventu utebatur. In cœnobio Monialium Plocensi puella annorum 15. in gravem morbum inciderat, decumbebat privata sensibûs, & mortuæ similior plorabatur ab omnibus.

bus. Chartam illam meritis Lancicii confisus animam agenti puellæ vix admovit Adalbertus, quasi somnô excussam primæ sanitati restituit. Ejusdem Syngraphæ beneficiô puerum à calculi doloribus fecit liberum. Fæminam parturientem cum emortuo, judiciô obstetricum, fætu diutius colluctantem feliciter juvit, dum hæc enixa, vivam prolem mundo edidit. *Niesiecki Tom: III.*

Privatarum ædium ambitu virtus hujus Viri contineri non potuit; carebat tum Plocensis Ecclesia Suffraganeô, qui comes esset laboris Præsulei. Dignitas hæc totius Capituli approbatione Tolibovio collata est. In Episcopum Lacædemoniensem consecratus Carolo Ferdinando Principi Regio Vratislaviensi & Plocensi Antistiti in administranda Diæcesi & rebus agendis fuit adminiculo: & ut gratam sui memoriam in hac Diæcesi relinqueret, Sierpsci pro alenda lampade ante Venerabile Sacramentum, & Aram illius loci Deiparæ gratiis & beneficiis gloriosæ summam pecuniæ in censum elocavit, alteram quoq; ad obeundam ibidem diem anniversariam pro anima Fratris sui Martini. Duas Antistites Religiosarum Virginum Instituti Præmonstratensium Annam Domasłowska & Catharinam Potulicka consecravit.

Ad Posnaniensem promotus Sedem, multùm afflictam Diæcesim regendam accepit; præter hostem exoticum, pestis, majus malum, sæviebat in populum: habitatore multis in locis villæ, civitates erant vacuæ: Posnania Majoris Poloniæ Metropolis, Diæcesis caput, quotidianis plena funeribûs horrori erat non spectaculò. Qui cadebant in viribus, ne perirent in anima, providebat operarios Adalbertus. Plurimi Religiosorum se huic consecrârunt obsequio, multiq; ea lue correpti, victimæ charitatis occubuere.

Inter eos non postremus erat P. Stanislaus Woyssa Roxolanus. Hic vitam D. Stanislao Kostka debuit; cùm enim monstruosus sine cranio, & fere sine forma homi-

hominis natus esset, ope hujus Sancti, cui à parentibus oblatus erat, ex integro sanatus est. Memor beneficii, ubi adolevit, S. J. nomen dedit, in qua ad omnes regulas vitam composuit: in animas purgatorii prolixe liberalis, sæpe illas deposcendi auxilii causâ ad se venientes habuit: injuriarum tolerantissimus pro quodam sibi injurioso per annos tredecem statis diebûs certas corporis afflictationes Deo offerebat. Matura cælo Apostolica charitas eundem Posnaniæ 1655. die 20. Octobris ex arena peste infectorum cælo intulit. *Fasti S. J.*

Post quam malum desæviit, accinxit se Præsul ordinandæ Diæcesi & liberali manu adornandæ. Lubransciánæ Academiæ 5000. fl. pro reparatione sacelli S. Crucis in Principe Posnaniensi Basilica 12000. totidem in censum pro Officio de Passione Christi in prædicto sacello decantando numeravit: ipsi Ecclesiæ aureum calicem effigiem D. Adalberti ex argento, aliaq; plura donô obtulit. In suburbio Posnaniensi PP. Ord: Min: de strictiori Observantia fundavit. Societati JESU, Mederecum 10000. & Bibliothecam dispofuit. Antistes ut in Deum liberalis, ita nullis laboribûs pro cælo fractus. Quos Sacerdotio initiavit, ultra bis mille reperti sunt: Eccl: 150. consecravit: 1000 calices 1500 altaria unxit sacro chrismate; æra campana 300 benedixit. Cessit naturæ 1663. in suâ Cathedra sepultus.

Proximo anno, videlicet 1662. die 2. Aprilis obitu suo Adalbertum Præsulem præcessit, P. Gaspar Druzbicki S. J. Vir admirabili lumine in scribendo, libris in lucem editis, quibus & spiritum & se ipsum impressit, clarus: Singulari donô confirmationis in gratia Divina & aliis plurimis abunde à Deo cumulatus: Pretiosissimæ Dei Parentis amore, suiq; depressione insignis; gestis in Societate muniis gloriosus: Vitâ totâ continuis voluntariis corporis ærumnis immoratus & immortuus Posnaniæ: publico Civitatis luctu Patrum suorum tumulo illatus. Multis à morte annis incorruptum cor-

corpus sancti in vita Viri integritatem probavit. *Vitam illius scripsit P. Daniel Pawlowski S. J.*

LXVII.

STEPHANUS II. WIERZBOWSKI

De Stemmate Jastrzembiec. Vide p. 81.

NIcolai Castellani Junivladislaviensis, & Ursulæ Grudzinska Filius. Cum natus esset, Mater & alii plures in ejus corpore spectarunt Mitram Pontificiam. (d) Habent id quandoq; magnorum Virorum natales, ut dies primus illorum vitæ sit ulterioris, præsagus, ferantq; ex utero materno indicem futurorum progressuum. Sic ille Turcarum terror, Albaniæ Princeps Scanderbegus, quòd miles & gloriosus Victor futurus esset, tulit ex visceribus Maternis gladium tenero corpori impressum. *Marinus Barletius in præfatione ad vitam Scanderbegi.*

In omni pietate & litteris excultus Stephanus, postquam ad Sacros Ordines adjecit mentem, Cracoviensis primùm Canonicus, Luceoriensis Archidiaconus, Ejusdemq; Episcopatûs Sede vacante Administrator, brevi Abbas Paradisiensis ex ComitiisRegni ad lustrandam Oeconomiam Mariæburgensem designatus, postea Referendarius Regni, demum promovente Joanne Casimiro Episcopus Posnaniensis: Principis hujus in omnibus periculis comes individuus magnò fuit solatio & consilio Regi tot malis Poloniæ afflicto.

Goræ (civitas est ad Vistulam non procul Varsaviâ dissita) Montem Calvaria dictum ad mensuram Hierosolimitani fundavit, & Collegium PP. Scholarum Piarum: PP. Ord: Min: de Observantia beneficia, quibûs aluntur, eidem debent. Extat typo Norma vitæ Clericorum Recollectorum (aliter in Polonia dicuntur Mariani) defunctis, præsertim militibus & peste sublatis

(d) Niesiecki Tom: IV.

latis oratione subvenientium: in ea consvetudines prædictis Clericis pios præscripsit Præsul. Promovebat eundem Joannes III ad Gnesnensem Metropolim, sed Roma expeditionem diplomatum differente, & fatis intercedentibûs Episcopatui Posnaniensi immortuus est 1687. Posnaniæ in sua Ecclesia honore sepulturæ donatus.

Illius temporibûs P. Stanislaus Sczytnicki S. J. anno 1667. die 7. Martii Posnaniæ e vivis abiit. Suam ille hæreditatem Posnaniensi Collegio, Religioni & toti Provinciæ virtutum & optime gestorum sortem dedit integram. Post administrata Collegia & Polonam Provinciam, Missionem Valachicam & Moldavicam exambiit, eamq; mirante Casimiro Rege & toto Regno obtinuit & excoluit. *Monologium S. J.*

LXVIII.

STANISLAUS III. WITWICKI

De Stemmate Sas

In campo cæruleo luna est dimidia cornibûs stellâ signatis erecta, è cujus medio velut ex arcu sagitta evolat.

SAmuelis & Annæ de Rosciesżyno Filius, Lublini juventutem litteris excoluit, Brunsbergæ Theologiam & Jus Canonicum didicit, Parisiis postmodum Geographiæ & Medicinæ dedit operam, & ubivis excelluit. Redux in Poloniam Canonicus Gnesnensis, Plocensis Abbas factus in Galliam & Daniam ivit Legationis Secretarius. Ad Leopoldum postea Imperatorem Michaëlis I. Orator munus Legati obiit, & ad vota sui Principis composuit. A Joanne III. ad Kioviensem Sedem promotus eandem cum Luceoriensi Episcopatu Roma probante 1680. commutavit. Synodum Brestæ in Lithvania celebravit, in quam leges integræ Diæcesi scripsit, & ab omnibus sancte servandas typis proposuit. Quatuor Præsules ritûs Græci qui Photii dogma erro-

erroneum tuebantur efficaci svasione Romano univic
Capiti. Sic optime de Ecclesia meritum idem Joannes
ad Posnaniensem nominavit Cathedram, Innocentius
XI. confirmavit. Ex mente Reipublicæ ad componen-
di postulata & querelas Ducis Borussiæ designatus,
rem egit Patriæ.

In Comitiis Regni generalibus quidam Nuncius
in Senatu graviùs eundem læserat, infremuit ad Legati
facinus integer Senatorum cætus, & pænam læsæ di-
gnitatis parabat; sed Præsul simulacrum crucis è collo
pendens exosculans, *Hic loqui* ajebat supplex *& inju-
riam vindicare probibet, finite me patientem imitari Chri-
stum, & adversario parcite.* Eo facto ostendit benignus
Antistes, quali modo à Catholicis vindicandæ injuriæ:
totamq; congregatam Rempublicam in virtutis suæ ad-
mirationem & reverentiam rapuit, adversarium verò
ad saniora reduxit. Obiit 1697.

LXIX.

NICOLAUS V. SWIĘCICKI

De Stemmate Jastrzembiec vide p. 81.

EX Abbate Tremesnensi, Gnesnensi & Posnaniensi
Decano, Scholastico Varsaviensi promovente Jo-
anne III. Roma probante à Cardinale Radzieiowski
in Episcopum Kioviensem consecratus denium in Po-
snaniensi Sede successit Witwiccio 1698. Sub tempus
interregni per Radzieiovium Primatem 1704. promul-
gati partibus Caroli XII. Svecorum Regis adhæsit, &
electum Stanislaum Leszczynski Palatinum Posnani-
ensem in Regem Poloniæ nominavit. *Vide Lib: I. pag:
189.* Romam evocatus, ibidem 1709. vixit.

LXX.

BARTHOLOMÆUS TARŁO

De Familia Toporeorum.

FIlius Joannis Palatini Sandomiriensis & Annæ Czar-
toryska Filiæ Palatini Volhyniæ. Ut honoribus,
qui tanto Nomini, & evectæ curulibûs Domui, cum
primis in Polonia Familiis sangvine junctæ debeban-
tur, viam præcluderet, Institutum S. Vincentii à Paulo
professus est. Congregationem hanc ut in Polonia su-
premus Præses regeret, adigendus erat.

Ita ab omni dignitatum ambitu & studio alienum Au-
gustus II. ad Posnaniensem promovebat Sedem; hanc
ut susciperet, Romanô imperiô compelli debuit. Cùm
enim & Augusto Pontificiam dignitatem conferenti, &
Clementi XI. confirmanti, ne Religiosæ modestiæ vim
inferrent, rationes in scripto supplex porrexisset; ad
illas jussu Clementis à Cardinale Pauluccio responsum
accepit: *Opinionem, quam Sanctissimus* litteræ Paluccii
*de eximia multorumq; sermonibus celebrata virtute Tua jam
pridem merito gerebat, Epistola Tua ad suam Sanctitatem
scripta maximè confirmavit. Quòd enim te nullius pretii ho-
minem appellas, & ad Episcopale munus ineptum; id pro ma-
gno probitatis, modestiæq; tuæ argumento sua Sanctitas ha-
buit. Quamobrem & si plurimum laudat Christianam humi-
litatem tuam, tuo tamen desiderio satisfacere non posse cen-
set: imo tecum super quocunq; voto à te quomodolibet misso,
de non acceptanda ulla Ecclesiastica dignitate quamvis sponte
oblata, nec quocunq; juramento, si quod forsan ea super re
præstiteris, ita, ut illis non obstantibus ad Posnaniensem Ca-
thedram assumi liberè ac licitè possis & valeas, dispensare vo-
tumq; & juramentum bujusmodi tibi ad effectum prædictum
benignè relaxare constituit.*

Morem gessit Clementis voluntati, suscepitq; va-
cantem Sedem, cui optimæ vitæ exemplô præfuit. In
licentiam animadvertebat severiùs, supremas etiam di-
gnitates à recto deviantes, velut alter Joannes non o-
mnia etiam summis licere, liberè & intrepidè admone-
bat. Pro bono Diæcesis intendebat multa, sed dum

Varsavia Posnaniam properat, anno 1716. in viam æternitatis abiit magno omnium dolore, supremo egenorum luctu.

LXXI.

CHRISTOPHORUS SZEMBEK'

ANno 1720. ad Vladislaviensem Sedem, ex hac anno 1738. ad Gnesnensem translatus est. *Vide Lib.* I. *pag: 197.*

LXXII.

PETRUS IV. TARŁO

De Familia Toporeorum.

ADamo, Palatino Smolenscensi, Francisca Opaleńska, Filia Christophori Palatini Posnaniensis genitus, Regum Poloniæ Sangvis, Serenissimæ Catharinæ de Opalenściis Lesczynska Frater amitalis; à natura & eruditione ad summa compositus. Ex Abbate Paradisiensi, Posnaniensi Suffraganeo Episcopus Livoniæ, post ascensum Christophori Szembek ad Vladislaviensem Episcopatum, ad Posnaniensem Sedem evectus 1721. ne eundem favor Augusti II. cujus amores morum affabilitate, optimisq; naturæ dotibûs meruerat, ad supremas Poloniæ, quæ parabantur, Infulas promovisset, immatura mors effecit. anno 1722. Varsaviæ fatis cessit magno Poloniæ dolore, Diæcesis luctu: sperabat illa à Præsule plurima, à quo, cùm illius esset Suffraganeus, multa erat experta. Apud Patres S. Vincentii a Paulo sepultus Varsaviæ.

LXXIII.

JOANNES XII. TARŁO

De Famil.a Toporeorum.

BArtholomæi Episcopi Posnaniensis germanus Frater, iisdem natus Parentibûs. Adeò adamatum Diæcesi Posnaniensi Nomen Tarłonum fuerat, ut tertius Præsul vix non interrupta serie, Roma probante eidem præfuerit. Joannes hic teneram ætatem Societati JESU dicaverat: sed ut illius contra malevolos patrocinium ageret, ab eadem corpore non animô divisus, illam semper corde fovit. Archidiaconus Cracoviensis, ex hoc Episcoporum in Polonia Seminario, anno 1717. ad Kioviensem Sedem assumptus, Petro 1722. in Posnaniensi successit, Præsul animi dotibûs abunde cumulatus Sacrum sæcularem annum (Jubileum vulgo vocant) Cracoviæ dum coleret, nudis pedibûs obibat Ecclesias, hæc illius devotio ne aperta & nota esset, longa veste tectus incedebat. Ætate provectus ivit ex voto Romam ad invisenda SS. Apostolorum limina, & adorandam Petri Sedem. Paternô animô accepit venientem Clemens XII. & Pontificii solii Assistentem creavit: lætus tanto hospite, sæpius cum eo de negotiis Ecclesiarum Poloniæ, statusq; Ecclesiastici contulit. Plenus gratiarum pro sua Posnaniensi Ecclesia rediban in Poloniam, sed Viennæ 1732. æternitatem adiit.

LXXIV.

STANISLAUS IV. HOSIUS

De Stemmate Hosius.

In scuto per medium à vertice divisô pes hominis ultra genua resectus extat in parte sinistra scuti, in dextra verò sex globi expressi sunt.

ADalberti & Annæ Wołowska Filius, Stanislai Episcopi Varmiensis S.R.E. Cardinalis sangvin. Cracoviensis, Culmensis Canonicus, Premisliensis Suffraganeus, ac Sede vacante Cracoviensis Episcopatûs Administrator: tantîs gradibûs ad Polonas Infulas eluctatus est. Livoniæ Sedes prima illi oblata, ex hac Rupniewicio in Camenecensi successit. Carebat Diæcesis

cesis hæc Suffraganeò, idest laboris Præsulei socio, cum
primus Stanislaus apud Romanum Pontificem impe-
travit, & Adamum Oranski in Episcopum Belinensem,
Suffraganeum Camenecensem consecravit. Radomiæ
Tribunali Thesauri causarum sæpius præfuit, & quivis
æquum judicem adoravit & expertus est.

Post obitum Joannis Tarło favore Augusti II. Po-
snaniensis Præsul Augustum III. in Regem Poloniæ no-
minavit. Josephum Thaddæum Kierski, Virum à na-
tura ad optima quæque formatum, ut curarum Diæce-
sis, & laborum esset comes, elegit, & Roma confirman-
te in Suffraganeum Posnaniensem consecravit. Syno-
dum 1738. indixit, quam in Julio celebravit Posnaniæ
typisq; Varsaviensibus impressit. Ipse eodem anno æ-
tatis 65. mortalitatem exuit Varsaviæ.

LXXV.

THEODORUS II. CZARTORYSKI

De Stemmate Pogonia.

Insigne hoc idem est, quod Magni Ducatûs Lithvaniæ, videli-
cet: in campo rubri coloris Vir cataphractus equo currenti
insidens cum manu dextra gladiô strictô ad ictum parata, in
brachio sinistro scutô cruce signatô tectus. Adducit super
hoc Niesiecki Tom I. privilegium Ladislai Poloniæ &
Hungariæ Regis: *Significamus tenore præsentium, quomo-*
do cupientes Fratrum Nostrorum, Illustrium, Ivonis Ale-
xandri & Michaëlis Ducum de Czartorysko honori intende-
re, qui singulari affectione & fidelitate erga Nostram Maje-
statem & inclytam Coronam Regni Nostri Poloniæ se exhi-
bent & exercent, pro eorum Ducali statu & promotione præ-
fatos Duces & Consangvineos Nostros communiter & divi-
sim sigillô eorum, Ducali frui, quo ex Avo & Patre ipsorum
uti consveverunt: scilicet equô, cui subsidet vir armatus
gladium evaginatum manu tenens. Volumus & decernimus
approbamus & concedimus perpetuè ac in ævum. Actum Fe-
riâ V. proximâ ante Festum S. Vincentii Anno Dni 1443.

Domus hæc ad præsens Ducum in Klewan & Zu-
kow à Korygellone (a) Filio Olgerdi, Gedi-
mini Nepote, Ladislai Jagellonis Fratre germano (b)
suam habet originem. Rubuit illa semper in purpuris,
per Jagellones eminuit in coronis, in Familia & san-
gvine ultra Lithvaniam & Poloniam diffusa, plura
implevit Regna.

Theodorus Casimirô Vilnensi Castellanô Isabellâ
de Morsztyniis Supremi Regni Thesaurarii Filiâ geni-
tus ad dignitates & ornamentum Ordinis Ecclesiasticâ
adolevit & maturuit. Ivit Romam, eamq; in admiratio-
nem indolis ac ingenii traxit; cùm in augustissimo illo,
quod ab urbe nomen habet, Collegio, Cardinalium Pon-
tificum Seminario, coram Innocentio XIII, frequenti
Purpuratorum Patrum cætu de donis Spiritus Sancti
peroravit. Sermonem, ut orbis haberet notum, circa
annum 1723. typis vulgavit. Cracoviensis Canonicus
Præpositus Plocensis ad Tribunal Regni Judex pro ju-
sto & æquo huic parabatur Sedi, quam post fata Hosii
Augusti III. promotione, confirmatione Clementis
XII. moderari cæpit.

In Præsulem consecratus præmisit litteram Pa-
storalem ad Clerum Posnaniensem, qua & suum regi-
men & totam Diæcesim compositam voluit. Bona E-
piscopatûs partim temporum injuriâ, partim incursio-
nibus bellicis vastata magnis instauravit impensis. Po-
snaniensium Episcoporum palatium innovavit, in me-
liorem redegit normam, ac comptius ad formam præ-
sentis sæculi reddidit. Ciązyni Ecclesiam restauravit
ædes commodo Præsulum, ædificiis affabre structis e-
rexit. Dolsci verò perficit & adornat. Posnaniæ fabri-
cam Cathedralis Ecclesiæ promovet, & rudiorem anti-
quitatis formam eleganti opere augustam facit. Diæce-

 sim

(a) *Kojalowicz Par: II. L. I.* scribit illum in bapti-
smo Constantinum dictum fuisse. (b) *Lubienski Geo-*
graph: Gvagninus in Descript: Lithvaniæ.

ſim ad fines Sileſiæ & Pomeraniæ ubi frequens hæreſis, luſtravit attentus gregi Præſul. Theodorum Antiſtitem ſui Nominis, Donum Dei, incolumem ſervent Superi, Patria, Roma augeat honoribus, quibus emineat.

CAPUT TERTIUM
De Epiſcopatu Vilnenſi.

ADhuc Mendogus, Dux Lithvaniæ poſt obitum Ringolti Patris huic Provinciæ imperans, ſpoliis Maſoviæ, Cujaviæ & TerræDobrinenſis præpotens, victoriis in Ruſſia ex Daniele ejus Principe inſolens, Smolenſciæ, Volhyniæ Ducibus ſubjugatis ferox, præliis cum Crucigeris in Pruſſia, Livonia clarus, irruptionibus in Poloniam, illiuſq; injuriis, quam ſæpius inundavit ſangvine, famoſus, à Crucigeris Pruſſiæ inductus fidem Chriſti profeſſus ad InnocentiumIV, Petri Sedem moderantem ſupplices dedit litteras 1251. pro corona Regia, & facultate condendi in ſua Provincia Epiſcopatûs. Principis hujus converſione lætus Pontifex 1253. ſcripſit Livoniæ Archipræſuli, juxta Raynaldum ut in illoDucatuSede Epiſcopi erigeret. Litteræ hæ reperiri dicuntur in BibliothecaRomana ſub numero 788.

Pariſius, Spondanus, Bzovius affirmant: Mendogum anno 1252. à prædicto Archiepiſcopo & Henrico Culmenſi Præſule in Regem unctum, quo tempore in Epiſcopum Vilnenſem, ſeu potius Lithvaniæ, (Vilna enim nondum erecta fuerat, ut patebit ex infra dicendis) conſecratus eſt Vitus Ord: Prædic:; ſed hic brevi, cùm Mendogus fidem Chriſti deſeruiſſet, contumeliis affectus, non abſq; vulneribus à populo & Principe perfido inflictis ejectus, Cracoviæ in ſuo cænobio deceſſit. Raynaldus verò ſub anno 1254. ait: Chriſtianum Crucigerorum in Epiſcopatu Lithvaniæ conſtitutum, & addit initio anni 1255. ſcripſiſſe Mendogum Alexandro IV, ut Filium ejus in Regem coronari permitteret: ſed in fine ejusdem anni ad ſuam infidelitatem rediiſſe, utq; plures ſui imitatores haberet, variè in Chriſtianos ſæviiſſe, quam crudelitatem non in Lithvania duntaxat, ſed in Minore Polonia, Mazovia, Pruſſia, Provinciarum iſtarum hoſtis, extendebat; à nepote demum Stroynato, juxta GeographiamŻubienſcii, & Gvagninum occiſus pænas fidei deſertæ & ſangvinis effuſi dedit.

Vadingus, Biernacki in ſpeculo Minorum ſub annno 1343. inquiunt: Petrum Gaſtoldum ex Palatino Podoliæ S. Franciſci Religioſum & Epiſcopum Vilnenſem cum 36. ſociis pro Chriſto occiſum eſſe. Sed, licet eo tempore Vilna urbs jam exſtiterit, nullus tamen ſcriptorum in ea erecti ab aliquo Epiſcopatûs meminit: & præterea *Koialowicz* accuratus Lithvaniæ Hiſtoricus *Parte I. Lib. VIII.* cùm Martyrium horum Fratrum deſcribit, ait Gaſtoldum non Epiſcopum, ſed Palatinum Vilnenſem apud Olgerdum Ducem Lithvaniæ in illos homicidas pænas necis obtinuiſſe.

Communi potius Hiſtoricorum Polonorum ſenſu Epiſcopatus hic tribuitur Ladislao Jagelloni Olgerdi Filio. Princeps hic cùm Hedvigem Ludovici Poloniæ & Hungariæ Regis Filiam in vitæ ſociam ambiret, ne voris potiretur, obſtabat infidelitas: qua abjecta, ſacro fonte ablutus Cracoviæ, Hedvige & Regno Poloniæ potitus, ſolenniq; ritu per Bozantam Archiepiſcopum Gneſnenſem in Regem unctus Ducatum Lithvaniæ eidem Regno univit *vide L. I. p. 73.* & Vilnæ Epiſcopatum condidit cum Eccleſia Cathedrali ſub titulo S. Stanislai E. M. per eundem Bozanta conſecrata 1387. quam Sedem Urbanus VI. authoritate Apoſtolica approbavit: primuſq; illi Andreas à Lithvanis Vaſiło dictus de ſtemmate Jaſtrzembiec ex Familia D. Franciſci præfectus eſt. Nec ſatis erat Ladislao ſic in Deum liberalem eſſe; ipſe Lithvanos præcipuus eorum Apoſtolus ſvave Chriſti jugum ſubire docuit.

Vilna Civitas à Gedimino anno 1305. condita esse scribitur ex ea occasione. Ad fluvium Vilia dictum venatum excurrerat Princeps hic, & cùm bisontem, insolitæ magnitudinis feram in monte calvo occidisset, loci amænitate captus, cùm & sol ad occasum tenderet, noctem egit. Dum quieti indulget, per somnium videt & audit lupum ferreum raræ magnitudinis rugire, & alios centum in ejus ventre eundem sonum edere. Expergefactus adstantibus proponit somnium, & quid sibi vellet, exponi postulat. Aderat tum laboris & noctis comes quidam Lizdeyko nomine, gentilium sacrorum Antistes, arcanorum interpres: Lupum, ait ille, inusitatæ magnitudinis ferreum rugientem, urbem fortem & famosam, minores verò lupos, populi multitudinem in urbis medio portendere. Accepit sensum interpretis Gediminus, & ejus consiliô duas arces in excelsis montibus, à se non procul distantibus condidit & munivit, ad radices verò eorundem montium urbem amplam erexit, eamq; à Vilia fluvio Vilnam nominavit: quæ successu temporis in eam incolarum crevit multitudinem, ut centum millia virorum ad bella educeret, ad eamq; Ducum Sedem Trocis transtulit *Guagninus. Koialowicz Par: 1. Lib: VII. De rebus Litbv:* initia Vilnæ circa annum 1321. fuisse scribit.

Extirpatis ritibûs gentilibûs, ignibûs extinctis, serpentibꝰ occisis, succisis arboribûs, quæ omnia Lithvaniæ erant sacra, Fratribûs ad suscipiendam Christi fidem inductis Jagello (ut dictum est) hac in urbe Episcopatum primus condidit, eiq; septem paræcias: Volcomiriensem, Misogoliensem, Niemieczynensem, Miednicensem, Crevicensem, Obolczynensem & Chayninensem adjunxit & dotavit: Regina verò Hedvigis singulas sacra supellectili adornavit. *Cromerus Lib: XV.*

Ut Cracovia corpore D. Stanislai E. M. sic Vilna exuviis S. Casimiri Regii Poloniarum Principis, hujus Ladislai nepotis dives est; coluntur illæ in Principe Eccle-

Ecclesia, quibus sepulchralem urnam de argento Sigismundus III. providit: ara verò itidem de argento, sacellum de marmore aliorum impensis erectum est. Eminet urbs hæc & facultate Academica PP. S. J. à Valeriano Protaszewicz loci Antistite Gregorio XIII. & Stephano Rege probantibûs 1579. introducta. Habet plures Religiosorum familias, Ecclesias eleganti opere perfectas.

Episcopus Vilnensis dicitur Dux Ivanus (c) ab Alexandro Pontifice habet jus gladii approbatum (d) in Senatu cum Posnaniensi Præsule, juxta Constitutionem Regni, alternum locum obtinet. *Vide p. 89.* Gnesnensis Archiepiscopi Suffraganeus est: & quod Lib. I. pag. 15. inter Suffraganeos Archipræsulis Gnesnensis statim post Posnaniensem Episcopum non sit impressus, errori typi adscribe.

Vilnense Capitulum præter Præpositum, Decanum, Archidiaconum, Custodem Scholasticum componitur ex 12. Canonicis: post illos locum habet Cancellarius Diæcesis, & Archidiaconus Albæ Russiæ. (e) Ejus stemma tres coronæ ad formam Cracoviensis Capituli. Latitudo Diæcesis per totum ferè Ducatum Lithvaniæ diffusa est. Decanatus 26. Ecclesias 440. juxta Łubienscium 500. numerat. Non veniunt in hunc numerum Sacræ Religiosorum ædes, quæ copiosæ sunt.

(c) Łubienski Geograph: (d) Załuski Tom: I. Part: II. (e) Niesiecki Tom: I.

ORDO & VITÆ
EPISCOPORUM VILNENSIUM
I.
ANDREAS I. WASIŁO

De Stemmate Jastrzembiec vide p. 81.

EXcultam scientiis ætatem ut etiam sanctam effice-

rec.

ret, fluxarum rerum statu contempto, D. Francisci Institutum professus, adeo in rebus Divinis profecit, ut eum Hedvigis Regina conscientiæ suæ arbitrum elegerit: Rex vero Ladislaus condito Vilnæ Episcopatui præesse voluerit. Annuit Roma votis Regiis, illis & Andreas abunde respondit, Lithvanos cum ipso Rege in fide instruens.

Abibat ex Lithvania Jagello Skirgelloni germano suo commissâ Provinciâ; ea re offensus Vitoldus patruelis frater Ladislai, cum Crucigeris inito fædere Ducatum ac si sibi debitum armis vindicabat, jamq; Vilnam Lithvaniæ Metropolim juris sui fecerat præter superiorem arcem strenue à Polonis defensam. Hæserat Viro memoria olim illatæ à Jagellone mortis Patri suo Kieystuto in carcere Crevensi, & sibi in eadem custodia paratæ, nisi illam amore & industriâ uxoris evasisset; quæ ad virum ultro citroq; liberum commeatum nacta, illius vestibûs cum pedissequa commutatis, maritum vinculis & morte liberum fecit. *(f)* Quare utramq;ulturus injuriam vocatis in societatem armo cum Crucigeris hunc hostilem impetum in Lithvaniam adornavit.

Adeo afflicto in sua Diæcesi rei Christianæ statui indoluit Præsul, nihil tamen de cura & solicitudine Pastoris optimi prætermisit plurimos cælo lucratus. Annos duodecem Sedi huic præfuit, 1399. officio & vitâ defunctus.

II.

JACOBUS PLICHTA

Litterâ S pro Stemmate usus.

ANnô 1400. ex Ordine S. Francisci ad regimen hujus Cathedræ assumptus, Religioso Præsuli æquè Religiosus & Sanctus successit. Licet Vitoldus operâ Siemoviti, Ducis Mazoviæ gratiæ Jagellonis restitutus, præstitô eidem fidelitatis juramentô, Lithvaniæ Ducatui præfectus gubernaret Provinciam; Svidrigello tamen germanus Ladislai novas excitabat turbas; & quia cum Vitoldo, Duce illius temporis strenuo aperta vi concurrere, res erat plena periculi, Crucigerorum auxiliares copias evocavit, quibûs auctus, molestus erat Lithvaniæ & Samogitiæ. Injurias & damna vindicabat equidem in Prussia Vitoldus; sed mutuæ cædes minuebant populum, impensis belli exhauriebantur incolæ vastabantur ditiones. His motibûs excitus Jagello venit in Lithvaniam, Svidrigellonem à Crucigeris revocavit, & Provinciâ Podoliæ ad regendum commissâ ferocem illius delinivit animum: sed Princeps hic ea sorte non contentus, cùm denuo ad Crucigeros transiisset, Podoliâ à Ladislao spoliatus à Vitoldo Duce Lithvaniæ in castro Cremenecensi sub custodiam datus, ope Russorum liber evasit: ut tandem plene à societate Crucigerorum deficeret, post obitum Vitoldi Ducatui Lithvaniæ à Jagellone præfectus est. *Vide L. III. C. VI. & L. IV. C. VI.* Sic rebûs compositis Ducatum Lithvaniæ denuo Regno Poloniæ univit: quam unionem hic Jacobus cum aliis Ducibus & Magistratibus subscripsit. Annis septem in Episcopatu sancte exactis obiit 1407.

(f) Cromerus L. XIV, Dlugossius L. X.

III.

NICOLAUS I.

De Stemmate Geralt.

Crux est alba in rubro campo in octo partes divisa, in quatuor verò lateribus quatuor pomis distincta.

HUjus ut certum stemma annotavit antiquitas, ita cujus esset familiæ & nominis? nihil certi scripsit. Alii de Boriova, alii de Gorzkowo, nonnulli de gente Borkoviorum eum fuisse asserunt. Ut ut est: generis claritudinem morum nobilitate adæquavit: malevolorum

rum contemptor idola impavidus subvertit: fractam laboribûs ætatem septimô Episcopatûs annô, à partu Virginis 1414. deposuit. *Vir pietate, zelo & devotione plenus* testimonio Dlugossii.

IV.

PETRUS

Litterâ S pro Stemmate insignis.

Naramowski scribit litteræ huic crucem superjectam esse.

IN jure Canonico apprime versatus: de Domo Kustyniorum oriundus, annô 1415. Vilnensem adeptus Sedem. Vitoldus post obitum Annæ Conjugis ambiebat in connubium Julianam Ducis Koraczevii Viduam; ad eam contractûs festivitatem convenerunt invitati Lithvaniæ Proceres, venit & Petrus: rogabatur, ut matrimonium hoc benediceret, sed legum Ecclesiæ gnarus obstante affinitate (Anna defuncta hujus Julianæ erat matertera) cætu tam nobili exesse, & Principem offendere maluit, quàm in sancita Ecclesiæ peccare. *Damalevicius in Vitis Episc: Vladisl:*

Ladislaus Jagello post memorabilem de Crucigeris ad Grunvaldum victoriam, cùm venisset in Samogitiam adhuc falsorum Deorum cultui deditam, Medniciisq; Episcopatum erexisset; hic Petrus cum Joanne Rzeszowski Archiepiscopo Leopoliensi Ecclesiam Cathedralem sub titulo SS. Alexandri Evantii & Theoduli MM. consecravit. Obiit 1421.

V.

MATHIAS I.

Litterâ Z pro Stemmate usus.

ADhuc in aliquibus locis Lithvaniæ rudior præcipuè populus addictus erat idolorum sacris: Prædecessores sui bellorum motibûs impediti officio suo deesse

se cogebantur, contenti excultum conservare gregem. Sustulerat equidem aliquas superstitiones Nicolaus, sed remotior ab oculo Præsuleo Provincia operam ejus effugit. Hic tranquillam nactus Diæcesim, (Vitoldus arma in Moschoviam profundiorem converterat) primorum Antistitum & propria desideria felici coronavit eventu: lustravit integram, impietatis reliquias extirpavit, populum in fide & pietate instruxit.

Interea Vitoldus, Alexander in sacro fonte dictus Dux Lithvaniæ, præliis cum Crucigeris clarus, arcibûs expugnatis gloriosus, plurium hostium victor, ad extrema devenit: spe coronæ Regiæ amissa anno ætatis suæ 80. ritu Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis munitus in præsentia Jagellonis, Procerum Poloniæ & Lithvaniæ fato Ducis tanti illachrymantium 1430. die 17. Octobris Trocis ultimum diem obiit. Ejus exuviis cum magno omnium luctu Vilnæ Præsul hic parentavit: ille vero exactis in Episcopatu annis viginti duobus proprias deposuit 1453.

VI.

NICOLAUS II, DZIERZKOWICZ

De Stemmate Wieniawa *vide p. 17.*

VIrtute, mansvetudine commendatum fecit regimen sub Alexandro, qui nomine Casimiri Patris Regis Poloniæ, præerat Lithvaniæ. Annum obitûs illius scribit Naramowski 1462. Niesiecki 1468.

VII.

JOANNES I. ŁOSOWICZ

De Stemmate Rozmiar.

Tres sunt anguli ad formam litteræ W dispositi bini inferiores lineâ transversâ clausi, tertius in medio apertus cruce celeris aurei desuper signatus.

Vilnæ

Vilnæ natus ad Luceoriensem promotus Sedem probante Pio II. à Gregorio Sanoceo, Leopoliensi Archiepiscopo consecratus, ex hac in Vilnensi successit Nicolao. Diæcesim accepit afflictam incursionibus Moschoviticis, has tamen svavi regimine lenire curavit. Obiit 1480.

VIII.

ANDREAS II.

De Stemmate Szeliga

Luna est dimidia cornibus erecta, cui gladius, (alii Crucem scribunt) inhæret.

PAtriâ Lithvanus, eruditione Sacræ Theologiæ Doctor. Illius temporibus Divus Casimirus Princeps Regius, juvenum norma 1481. mortem sanctam obiit. Corpus Ejus magna devotione & cultu populi in Vilnensem Basilicam delatum Andreas sepelivit, ipse vitam in melius mutavit. 1490.

IX.

ADALBERTUS I. TABOR

De Stemmate Potkozic vide p. 58.

NAtione Lithvanus, anno eodem, videlicet 1492, quo Rex Casimirus Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ naturæ cessit, Vilnensem adeptus Sedem, Alexandrum Regis defuncti Filium secundo genitum in Magnum Ducem Lithvaniæ inauguravit. (g) Et postquam Joannes Albertus, Frater Alexandri, qui Casimiro Patri in Regno Poloniæ successerat, annô nonô regiminis Torunii obiisset, ivit Legatus ad Ordines Poloniæ, Ducem suum ad solium Regium promoturus. Id ipsum intendebant Poloni, quare facile Alexander electus est: breviq; venit Cracoviam, ubi in Regem à Fri-

(g) Niesiecki Tom. IV.

Friderico Fratre, Cardinale Archiepiscopo Gnesnensi in Regem unctus unionem Lithvaniæ cum Polonia confirmavit & subscripsit. *in Mielnik Sabbatho proximo ante Beatorum Simonis & Judæ Apostolorum anno Domini 1501.* Unio hæc in meliorem redacta est ordinem; sancitum enim est, ut Polonia & Lithvania sub uno esset Rege, qui à Polonis & Lithvanis eligeretur. *Vol: Leg: I.*

Adalbertus, ut merebatur, peculiares Principis hujus nactus erat favores. Optimis Antistitis consiliis vixit & rexit fortunatus subditas sibi Provincias Alexander. Sed ut mentes Principum mutabiles sunt, & in devia trahi faciles, si parasytis & assentatoribus aurem & animum præbeant; ita hanc aulæ vicissitudinem Tabor cum aliis plurimis expertus est.

Causa & origo mali Michael Glinski ad agendas res formatus sagacitate & audacia incredibili Magnum ille militiæ nomen apud exteros collegit; duodecem annorum spatiô in Frisia sub Alberto Saxone, in Italia sub Maximiliano Cæsare stipendia meruit. (h) Domi quoq; summis Alexandri gratiis prodigâ ampli patrimonii profusione plurimas clientelas comparavit: quibus insolens ad Ducatum Lithvaniæ quocunq; modô, etiam Alexandrô oppresso aspirare videbatur. Primum igitur factionibus suis Senatum turbare cæpit, & perniciosis consiliis multis obesse ausus est: suisq; svasionibus induxit Regem, ut hic nonnullos Senatores è vivis tollere decreverit. *Koialowicz Par: II. L. VI.*

Stanislaus Zarnowiec Præfectus Samogitiæ; Stanislaus Chlebowicz Polocensis, Stanislaus Kiszka Smolenscensis, Palatini, & Joannes Zabrzezinski Mareschalcus Lithvaniæ neci erant destinati; quòd leges Patrias propugnarent, quas Rex violabat, Præfectura Lidensi ademptâ Christophoro Ilniccio, & collatâ Andreæ Drozda, Glinscio sangvinis nexu conjuncto: & deduxisset ad effectum intentiones suas Alexander, nisi

(h) Koialowicz Par: II. L. VII.

si operâ Joannis Łascii Cancellarii Poloniæ delinitus fuisset; (scribunt aliqui (i) præmonitos à Łascio abstinuisse ab ingressu arcis sub tempus Comitiorum Brestæ celebratorum) adduci tamen non potuit, ut ablatam dignitatem restitueret: imò & Zabrzezinscium Palatinatu Trocensi privavit. Ea Regis pertinacia cùm omnibus esset aperta, Adalbertus Præsul, Senatûs Lithvani Princeps Regem in pleno Procerum congressu gravi oratione allocutus est: *Nullâ suâ culpâ*, inquiebat Præsul, *sed aliquorum ambitiosorum calliditate exacerbatô in illos animô cum Senatu Lithvaniæ tulisse iram Regis uti officium subditorum in obsequio constantium exigebat. Adversatos se esse non Regiis edictis, sed cupiditati privatorum, qui instituta ac jura Lithvaniæ Majorum, atq; ipsius Regis juramentô sacrosanctè firmata authoritatis Regiæ abusu convellere contendunt. Eum Principem suum, Collegarum suorum ac universæ Lithvaniæ se agnoscere, at simul Ejus ac Lithvaniæ Pontificem se sentire. Pro eo itaq; quod sibi divinitus impositum onus incumbit, non ignorare se, quòd suô officiô stringatur ad revocandum Regem ab ejusmodi consiliis, quæ juribus illorum, Regioq; juramento sunt adversa. Quisquis ea attentat, Deum ipsum cordium testem scelerumq; vindicem se obtestari, ne inultum sacrilegum caput relinquat.* (k) Vix ea prolocutus Antistes, Rex subitâ paralysi tactus magno metu & solicitudine replevit omnes, & ad annum supervixit, 1506. defunctus vitâ, & Vilnæ sepultus. Post cujus obitum Sigismundus I. in Polonia & Lithvania rebus gerendis successit.

A fatis Alexandri respirare videbantur Proceres Glinscii factioni contrarii: Tabor Vir præcipuæ authoritatis Sigismundo charus pro tranquillitate publica egit multa, & pro bono suæ Ecclesiæ, cui facultates suas inscripsit donô perpetuô. Statum Ecclesiasticum à jurisdictione laicali, Rege & Sede Apostolica probante, liberum fecit. Ad cingendam murô Vilnam consiliô fuit

(i) Koialowicz P. II. L. VI. (k) Idem ibidem.

fuit & adminiculô. Tandem meritorum plenus 1507. obiit.

Non abs re existimo, si exitum Glinscii brevi attingo calamô, cujus artes & technas exposui. Mortuô Adalberto Antistite, tanquam peculiari intentionum suarum obice, accinxit se Glinski ad destinata pridem consilia fortiùs promovenda. Opibûs & viribûs ac numerosâ potens familiâ non vanam spem optati eventûs aluit. Sed ubi facta ejus sermonibûs Zabrzezinii Marescalci argui cæperunt, à Joanne autem Sapieha etiam deprehensio proditionis non vulgaribûs indiciîs manifestata esset; erumpente in publicum Sigismundi in Glinscium offensâ, clientum & familiarium ejus tanta subsecuta est consternatio, ut societati illius plures nuncium remiserint, nec muneribûs ad eam colendam trahi potuerint. Facilè intellexit Glinski, unde hæc esset mutatio; quare diem dicit Zabrzezinio ad Tribunal Regium de calumnia sibi imposita, sed judicium rei hujusSigismundus de industria differebat. Glinski huc usq; aulæ favoribûs enutritus cùm se plerisq; invisum cerneret, impos animi ad ferendum malum à Ladislao Rege Hungariæ patrocinium quærit. Sed nec ibi omnia ad votum expertus est; obtinuit tamen, ut Ladislaus apud Sigismundum per litteras ageret, ne diuturna sententiæ dilatio aut nomini, aut facultatibus Glinscii nocens esset: maximîs ipse postulabat precibûs, ut tandem Rex causam cognosceret, & pro alterutro decideret; sed nihil impetravit apud Principem, qui animum integrum parti adversæ permiserat. Negotium suum cum in dies differri videret, moræ impatiens, furibundus homo, *Tentandum itaq; sibi esse aliquid* exclamavit: *quod & sibi, & Regi dolori esset futurum* Koialowicz Par: II. L. VII.

Et quia violenta consilia violentîs foventur mediîs; antequam abiret ex Lithvania, ubi Sigismundus

in Poloniam divertit, collectis ſeptingentîs equitibûs,
viâ occultâ Niemenum fluvium trajecit ad opp timen-
dum Zabrzezinium, quem minime ſperantem, nec
contra vim armatum facile interfecit, caputq; ejus con-
ſo præfixum ad quatuor leucas ſibi præferri, ac demum
in lacu mergi juſſit. Et quoniam reconciliandi Regis
nulla ſpes erat, auxiliô Ruſſiæ Procerum, qui deſideriô
Ruſſici Imperii reſtaurandi ad eum Kioviam confluxe-
rant, Patriæ bellum intulit: vaſtatiſq; Provinciis & ur-
bibûs cum familia, totaq; ſupellectili in Moſchoviam,
quam pridem animô meditabatur, abiit.

Incredibili lætitia ab omnibus Moſchoviæ Ordi-
nibus acceptus, in præmium proditæ Patriæ, quaſi non-
dum ſufficeret hoc ſcelus ad malitiam Glinſcii, Dux
exercitûs contra Poloniam creatus eſt; ſed averſanti-
bûs tantum nefas Superîs, commiſſas ſibi copias, ali-
quoties ferè integras amiſit. Ex ea ratione cùm deſpe-
ctui apud Moſchos eſſet, exiguumq; Magni Ducis ex-
periretur favorem, mentem ad Sigiſmundum Regem
convertit, eidem per litteras & amicos ſupplex, ut ſibi
crimen tantum in Regem & Patriam remitteret. An-
nuit ejus poſtulatis Sigiſmundus, cùm ſperaret abſceſ-
ſione Glinſcii multum de faſtu & arrogantia Baſilio de-
ceſſurum.

Id ſubodorati Proceres Lithvaniæ, veriti, ne
Glinski Patriæ & gratiæ Regis redditus, rurſus publicô
malô veterem telam retexeret; occultîs nunciis moli-
mina ejus Baſilio detulere. Rem diſſimulans Dux Mo-
ſchoviæ accuratioribûs cuſtodibûs vias omnes obſer-
vari, commeantium veſtes & ſarcinas diligenter ex-
cuti præcepit. Et ſucceſſit hæc Baſilii diſpoſitio; appa-
ritores illi inciderunt in quendam à Rege ſecreto miſ-
ſum cum litteris ad Glinſcium: quibûs proditionis &
perduellionis convictus, in vincula conjectus, Viar-
mam delatus eſt. Huc deportato ſupremus militiæ Ma-
giſter projectîs ante pedes ejus compedibûs, maniciſq;
ferre-

ferreîs: *Michaël tibi meliùs conſtat*, inquit, *quantum in
te beneficiorum à Magno Duce collatum ſit, quamdiu te fide-
lem ei præbuiſti: nunc quoniam perduellione fortunam tuam
altiùs evehere molitus es, habes hoc par meritis tuis præmi-
um.* Mox ſatellites pedes manuſq; paratô onerârunt
ferrô, atq; miſerum in profundiora Moſchoviæ avexe-
runt. *Koiałowicz Par: II. Lib: VII.*

Vulgatâ per Europam tantæ viciſſitudinis famâ
multis interceſſionibûs Principum, ac præſertim Ma-
ximiliani Cæſaris, tum Helenæ Baſilii conjugis, neptis
verò Michaëlis continuis blanditiîs libertati priſtinæ
& dignitati reſtitutus: imò ob miram in rebus agendis
induſtriam Tutor Baſilio impuberi à Baſilio Duce de-
ſignatus eſt. Non diuturna tamen fuit ea ſors Glinſcii.
Poſt obitum Ducis Magni, dum neptem ſuam, Baſilii
viduam cum Owczyna Magiſtratus ſui ſocio cum ap-
probrio nominis & dignitatis viventem cerneret; pro
ea, qua ſangvinis, qua tutelæ pollebat authoritate, He-
lenam admonuit, ut honeſti ac famæ majorem curam
haberet. Impotens & impudens mulier, ut etiam in
ſangvinem ſceleſta eſſet, amaſio perſvaſit, ut Patruum
è medio tolleret. Calcar addidit ambitioſo & inſolenti
homini: brevi Michaëlem, quaſi iterum in Lithvaniam
parâſſet fugam, capitis ſententiâ damnat: mutata poſt-
modum mente, ergaſtulo oculîs erutîs includit: ubi mi-
ſere finivit vitam; Vir meliore fortunâ dignus, niſi Pa-
triæ pernicioſus eſſet. *Koiałowicz Part: II. L. VII.*

X.

ADALBERTUS II. RADZIWIŁ

*Tribûs tubis in pectore aquilæ pro Stem-
mate inſignis.*

NIcolai II. Palatini Vilnenſis, Cancellarii M. D. L.
& Annæ Mondvidovna Ladislao Jagelloni vicina

sangvine junctæ Filius. Barbaræ Reginæ Patruus, Nicolai I. S. R. J. Principis Frater. Cum Sacro Ordini nomen dedisset, brevi Luceoriensis Præsul eidem Diœcesi annis octo præfuit, suisq; beneficiis insignem fecit. Post fata Adalberti Tabor promovente Sigismundo I. ad Vilnensem Sedem propositus est. Facile consensit Roma in translationem tanti Viri, cujus indolem & dignitatem optime perspectam habuit. Ecclesiæ suæ apud Sigismundum I. multa impetravit beneficia & privilegia, quæ cum aliis in unum opus collecta ejus curâ Romanus Pontifex approbavit. Cathedralem Basilicam pretiosâ adornavit supellectili: ad eandem Sacerdotibus dotes, quibus alerentur, providit: & ut res sacra bono ordine celebraretur, lege circumscripsit. Cænobium PP. Ord: Min: de Observantia Vilnæ erexit. Missæ sacrificium, nisi gravi morbo impeditus, celebravit quotidie, cui quandoq; ministrabat senex genitor, quem unde centenarium fidei Catholicæ ex Græcorum erroribus lucratus est.

Nullam diem elabi permisit, qua suum palatium 300. ad minimum pauperes non numeraret: illis ipse ad mensam deferebat dapes, illis ministrabat, nec prius licet hospites adessent, cibum sumpsit, donec Christum (ut ajebat) in egenis pavisset: exinde communi omnium voce dictus: *Pater pauperum, magnus eleemosynarius.* Obiit 1519. Vilnæ Familiæ suæ dolore, pauperum luctu & lachrymis parentantibus sepultus.

XI.

JOANNES II. de DUCIBUS LITHVANIÆ

AD Sedem Posnaniensem assumptus. *vide p. 129.*

XII.

PAULUS ALGIMUNT DUX OLSZANENSIS

De Stemmate Hippocentaurus.

UT Ducali sangvine, sic Principe virtute eminuit. In Luceoriensi Sede Radzivilio successit, cui bona Janow tabulis perpetuis inscripsit. Ivit ad Concilium Lateranense sub Julio II, inchoatum, & rerum gestarum gloriâ in Patriam insignis rediit. Ad Vilnensem Sedem Paulo III. confirmante à Sigismundo I. evectus rem fidei egit strenuè. Incidit in ea tempora, quibûs latè sparsus Lutheri & aliorum error plures Lithvaniæ Proceres, & ipsam Metropolim Vilnam infecerat, fanumq; suum ibidem erexerat: & ut esset potentior ipsum Regem in suas partes pertrahere contendebat. Ibat jam Sigismundus Augustus equo vectus, ad hanc falsitatis officinam: Præsul Principi & gregi eo exemplô metuens, cum Cypriano Suffraganeo, Pontificis vestes indutus venit obviam, & frænô equi arreptô paterne Sigismundum admonuit: *Non ea est via,* inquiens *qua Majores Tui soliti fuerant ad cultum Divinum equitare, sed hæc alia;* pedo Pastorali monstrabat Catholicam in arce Ecclesiam, *relinquis Matrem, quæ Te genuit, & ad hanc dignitatem evexit, & ad novercam pergis?* Paruit Rex & templum Catholicum ingressus est Proceribûs à vera fide diffidentibûs in Antistitem frendentibûs. *Naramowski Lib: I. C. X.*

Ad eandem urbem quidam Viclefi assecla Sacerdotem veste mentitus apud eundem 1555. impetraverat, ut in templo S. Annæ ad nationis Teutonicæ opifices verba facere & sacra operari posset; sed cùm de promiscuo usu in sacra mensa calicis dogma vulgare cæpisset, agnitus, urbe à Pontifice exesse jussus, Ecclesiâ quidem abstinuit, verum in privatis ædibus virus propinare non destitit: exemplô quoq; suô & dictis rudi plebeculæ cùm die Veneris esum carnium svaderet, male habitus vix vindices abstinentiæ manus evasit. *Naramowski Lib: I. C. XV.*

Annis prope viginti exactis in regimine hujus Diœcesis, Regina Bona ex asse bonorum suorum hære-

de inscriptâ, ultimus Familiæ suæ plenus meritorum 1555. obiit.

XIII.

VALERIANUS PROTASZEWICZ
De Stemmate Drzewica

In campo cæruleo luna est dimidia, cornibus erecta, in cujus medio stella una, altera infra lunam posita est.

VIlnensis Decanus, M. D. L. Notarius, Præsul Luceoriensis, tandem Vilnensis utramq; Sedem meritis & virtute insignem fecit. Cum Joannes Finlandiæ Dux Gustavi I. Vaza Sveciæ Regis Filius Catharinam Sigismundi Augusti Sororem in sociam vitæ duceret, matrimonium solenni ritu Ecclesiæ Catholicæ benedixit Valerianus. Unionem M. D. L. cum Polonia à Ladislao Jagellone inchoatam, ab ejus Successoribus sæpius repetitam, ut perennis esset, multum contribuit, eamq; ut primus Lithvaniæ Senator subscripsit. Legum & juris Patrii gnarus optime, impetratus est, ut sancita Ducatûs Lithvaniæ cognosceret, & emendaret ab Ordinibus post modum approbanda.

Ut suus Prædecessor, ita ille omni conatu impediebat, ne hæresis patrociniô Magistratuum Diæcesin inficeret: eo fine legem tulerat, ut suspectorum de fide cadavera in locis sacris sepulturâ carerent. Sed qui omnem sacrorum cultum despexerant, honores sepulchri minime curabant, arbitrati, quodvis terræ spatium æque utile, animarum obliti, quarum ridebant Ecclesiastica subsidia. Dolebat religiosus Antistes nihil se Pastoralibûs monitis & hac lege proficere: spectabat magnô animi dolore non tantum sacras ædes postponi, sed etiam Sacramenta, pretia Sangvinis Christi vilipendi: Sanctorum exuvias, ritus, cerimonias Catholicas ceu superstitiones quasdam rideri, plurisq; valere sectarum fabulas, errores damnatos, quam Divinæ legis manda-

ta,

ta, & Ecclesiæ Christi præcepta; quare initô consiliô cum Cardinale Hosio Societatem JESU à Sede Romana & Concilio Tridentino approbatam in partem laboris Apostolici evocavit.

Annô itaq; supra millesimum quingentesimô septuagesimô Vilnæ pro sociis triginta domum condidit, eam tradidit Laurentio Magio, tum Austriæ & Poloniæ Provinciali, qui cum Stanislao Varsevicio & nonnullis sociis Vilnam venerat. Novi Collegii primus Rector Varsevicius institutus est, dies verò 18. Julii, tanquam Collegii hujus natalis in rei memoriam à Valeriano designata. (a) Mox per Diæcesim expeditis litteris detulit universis institutum Collegium & Scholas Vilnæ, ad quas juventutem in scientiis & pietate erudiendam invitavit: impetravit quoq; 1579. privilegium Gregorii XIII, pro Academia ad idem Collegium erigenda. (b) Deficiebat in dies laboribûs & annis fractus Antistes; quare ut esset, qui vigili oculô à lupis curaret gregem, annuente Româ Georgium Radziwil S.R.J. Principem Coadjutorem adscivit. Tandem plenus dierum decessit 1579.

XIV.

GEORGIUS I. RADZIWIL

AD Cracoviensem Ecclesiam translatus. *Vide Lib: I. pag: 315.*

Eodem anno videlicet 1591, quo Princeps hic ad Cracoviensem transferebatur Sedem, ultimum diem obiit Vilnæ 2. Martii P. Antonius Arrias S. J. S. T. D. ad tradendas scientias Theologicas in Academia Vilnensi recens fundata datus: Vir ut eruditione sublimis, sic humilitate & sanctitate insignis. In infirmitate extrema, licet acerba hilaris, eam frequenti leniebat concentu; *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu fuero* morti proximus cum Augustino excla-

 mavit

(a) Fasti S. J. 30. Maji. (b) Ibidem 29. Octobris.

mavit: *Nemini etiam Sancto ex hac vita discedendum esse sine pænitentia.* Fasti S. J. Corpus illius in consveto Patrum sepulchro conditum: annô à morte ejus octavô curâ Ducis Nicolai Christophori Radziwił Palatini Vilnensis decentiori urnæ impositum in pariete sacelli Annunciatæ ab Angelo Virginis conservatur cum lamina ex ære sequentem inscriptionem referente.

D. O. M.

NICOLAUS CHRISTOPHORUS RADZIWIŁ
Dux in Ołyka & Nieświeśz.

Pro sua in Deum, ejusq; humiles servos pietate, ossa hæc P. Antonii Arrias, natione Hispani, S. J. præter alia virtutum & insignis sapientiæ ornamenta, speciali quadam charitate & humilitate præditi in hunc locum & loculum transferri curavit annô 1599. die 2. Martii.

XV.

BERNARDUS MACIEIOWSKI

DE Polonia & Ecclesia optime merentem ex Luceoriensi Sede ad hanc promovebat Sigismundus III. & quia legibûs suis Lithvani impediebant eidem aditum Vilnensis Episcopatûs, in Cracoviensi Sede successit Radzivilio, simulq; Gnesnensi Metropoli præfuit. *Vide L. I. p. 141.*

XVI.

BENEDICTUS WOYNA

Tribûs tubîs pro Stemmate insignis.

MAthiæ Castellani Mścisłaviensis Filius, Vilnensis Custos ad excolendum scientiis severioribûs ingenium ivit Romam, ubi non postremam eruditionis suæ laudem à Roberto Bellarmino S. J. Professore, à Stanislao Hosio Cardinale virtutis æstimationem nactus est. Redux in Patriam ad aulam Sigismundi III Augusti

gusti evocatus, Secretarius M. D. L. Trocensis Præpositus factus, publicô Lithvaniæ votô & Ordinum judiciô ad Sigismundum III. Legatus pro juribus & libertatibus hujus Provinciæ peroravit. Viri indolem & vim in dicendo admiratus Sigismundus vacantem Vilnensem Sedem eidem contulit.

Præsul inauguratus nihil agere visus est, nisi bonum fidei, Ecclesiæ emolumentum: merito à Cichocio appellatus: *Hæreticorum terror, Catholicæ Religionis propugnator acerrimus.* Ne hæresis progressum faceret, circumibat Diæcesim rudi plebeculæ fidei rudimenta exponens, cultioribus paterna admonitione à sacris exedris, universis vitæ probitate meliora svadens. Audiebant plures docentem Præsulem, redibantq; ad Ecclesiæ sinum- inter quos Stanislaus Kiszka opibûs & affinitate potens præivit multis.

Divi Casimiri exuvias publico cultui exposuit: Ejus honori Vilnæ Basilicam ut erigeret, primum jecit lapidem, ut augustiorem faceret, bis mille florenos annis singulis, quo advixit, numeravit. Patriæ memor in subsidium belli Livonici duas cohortes ære proprio lectas expedivit, & tam illas, quam eos, qui essent obsequiô animarum in castris, propriis fovit impensis.

Nec egentibus defuit: publica fames multos absumpserat, aliis xenodochia, & Vilna urbs satis ampla erat plena, ne communi illius temporis malô hæc egenorum turba interiret, eam sua penu aluit. Aliis temporibûs adibat sæpius nosocomium, Divi Stephani Vilnæ pauperum numerô auctum, illos in fide & variô virtutum exercitiô excolebat, demum liberaliter providebat, utq; stabile vitæ haberent subsidium, cætum sub titulo S. Lazari condidit, qui illorum necessitatibus in tempore subveniret.

Ut in pauperes liberalis, ita in se parcus; non corporis curavit commoda, ad mensam opiparè instructam sæpe jejunus, aliis dapes ut melius saperent, & frugales essent

essent, lectione SS. Patrum, aut Historiæ Ecclesiasticæ conditas proponebat. Die Sancto Parasceves, ut pietatem & corporis ærumnas occultas faceret, oblongam rudem vestem indutus, nudis pedibûs obibat templa & in membra sævijt. Quotannis Vilnâ Trocos ad imaginem Deiparæ eo loci gratiis & miraculis insignem pedestre instituebat iter, die verò quavis toto vitæ tempore affectûs sui pensum, precariam reddebat coronam huic Pretiosæ Virgini.

Familiariùs agebat vice quadam Sigismundus III cum Benedicto, & cum ex illo quæreret, quemnam conscientiæ arbitrum haberet? respondit modestus Antistes: *Furum & latronum ducem, quorum me quoq; unum ex iis agnosce.* Adsciverat ille ad latus suum Nicolaum Łabunowski S. J. Virum animarum obsequiô insignem, qui ultimo supplicio addictis inservire erat solitus. *Naramowski L. I. C. II.*

Ægram curaturus valetudinem ivit, in Italiam, ubi ultimum diem obiit. Moriens omnem funeris apparatum prohibuit: paratam pecuniam ultima voluntate dispofuit in Ecclesias, cænobia, & xenodochia: decessit Patavii 1616. Mortis fama ubi pervenit in Poloniam magnô universam replevit dolore. Flebat egestas suum Patrem, Diœcesis optimum Præsulem, Lithvania Senatorem, Polonia integra rectum civem: ipsi à fide dissidentes dolebant mortuum, quem licet sibi adversum, colebant ut sanctum: Rex & Regina merita Viri in Patriam, & domum suam plurimum æstimantes multis suffragiis defuncti parentârunt animæ. Suo verò Antistiti grata Vilnensis Cathedra, quia ossa habere non potuit, virtutes & memoriam tabulis inscripsit: *Benedictus Woyna, Ecclesiasticæ simul & Senatoriæ dignitatis illustre exemplum, præfuit Ecclesiæ Vilnensi annis 15. multas ædes sacras è manibus hæreticorum eripuit. Divi Casimiri Principis honores instauravit. Sacras Ejus reliquîas honestiore loco tumulavit. Patriam consiliô, vigilantiâ summâ defendit cùm Italiæ termas restaurandæ valetudinis causâ adiisset, Patavii excessit 1616.*

Pontificatum hujus Præsulis morte sancta 1602. Vilnæ adornavit Melchior Ord: Prædic: S.T.D. Varcâ (civitas est Poloniæ) oriundus. Hic post obita gloriose varia in sua Religione munia assiduis contemplationibus residuam impendit vitam: fuerant illæ adminiculo in imperio exercendo in dæmones; plures enim, qui variæ conditionis mortalium miris modis torquebant corpora, eos cruciatus Deo permittente, usurpatis ejecit sedibûs. Noverat averni incola, unde vires istæ Melchiori venerant; quare sanctas Viri meditationes interturbabat. Vice quadam: ut magis ferociret, canis speciem induit; sed Melchior Divino fretus auxilio feram infernalem mensæ alligavit, & tamdiu tenuit captivam, donec solitæ orationi finem fecisset. Longa ætate fractus cùm diem extremum sibi imminere adverteret, Fratres convocavit superiori cænobii supplex ut sibi ultimum sacrum convivium pararet, & corpus debile in viam æternitatis inungeret. Lachrymis respondere omnes sat bene adhuc valenti, & cùm nullum mortis adesset periculum, obtestabantur, ne illos desereret, qui vivens cunctis erat exemplo, & solatio. Cæterum religiosus senex renovabat postulata, se hodie, asserebat, cum D. Barbara Patrona sua cælo fruiturum, quare ut opus ultimum accelerarent, ardentiùs precabatur. Sacramentis itaq; provisus, Christi e cruce pendentis effigiem complexus, antiphonam *Subvenite Sancti* cum Fratribus inchoavit, qua finita, inter oscula Crucifixi Spiritum Deo reddidit. *Bzovius de gestis in Polonia Prusżcz.*

XVII.

EUSTACHIUS WOŁOWICZ
De Familia Bogoriorum

Hab. 3

Hac scuto rubro duabûs sagittis fractis, unâ sursum, alterâ deorsum conversis insignis est.

JOannis Mareschalci Lithvaniæ, & Annæ Kopciowna Filius, excultam scientiis & optimis moribûs indolem aulæ Sigismundi III. consecravit, magnoq; eidem in rebus gerendis fuit consilio. Vilnensis Custos, Præpositus Trocensis, Notarius M.D. L. tum Referendarius ad fæderatos Duce Zebrzydovio contra Sigismundum ivit Legatus, nullo quidem effectu (adeò alieni à Rege erant) sed magno virtutis suæ pretio. Brevi Florentiam, Romam ad Paulum V. ejusdem Regis Orator, utramq; provinciam obivit nominis & rei gestæ gloriâ. Sic bene meritum Sigismundus ad Vilnensem promovit Sedem. Ecclesiam ubi adiit, primam curam adhibuit, ut grassantem hæresim comprimeret. Kieydanense Templum illa juris sui fecerat, suisq; profanabat ritibûs, Procerum fulta præsidio; illud, potentiam minime veritus, vindicavit, primisq; hæredibus frustra frementibûs hæreticis restituit.

Toti Diæcesi vitæ pietate, optimisq; præluxit moribûs. Innocentiam, quam in sacro fonte sortitus erat, inter ætatis & aulæ lenocinia servavit integram & sepulchro intulit. Officium Divinum flexis genibûs absolvere, Missæ sacrificium die quavis celebrare in usu habuit: unde eâ colebatur laude: *Solus Vilnensis Episcopus Sacerdos.* (c) Ut spiritum colligeret, exercitiis S. Ignatii de Lojola quot annis animum excoluit. De eodem Sancto officium Divinum sub ritu duplici absolvendum in Synodo, quam instituit, suæ Diæcesi præscripsit. Ut plures laboris haberet socios, PP. de monte Carmelo strictioris observantiæ, Eremitas S. Augustini Vilnam introduxit, dotem, qua viverent, assignavit: Sacellum in Vilnensi Basilica erexit, in quo ossa SS. Bennonis & Eustachii deposuit. Ecclesias plures struxit, adornavit, & dotavit. Collegio Vilnensi S. J. Acade-

(c) Naramowski Lib: II. C. IX.

Academico Bibliothecam, aliis cœnobiis apparatus Ecclesiasticos, nosocomiis eleemosynas liberali manu distribuit. Nicolaum Pac cùm sacro fonte ablueret, invitis Parentibus hoc nomine eum dici voluit, & septimum in Episcopatu Vilnensi successorem prædixit. Præsul meritorum in Patriam, Catholicam Rempublicam plenus, à Piaseccio jure merito nominatus: *Lithvanici nominis singulare decus.* subita morte, non tamen imparatus in illis verbis: *Deus propitius esto mihi peccatori* extinctus est anno ætatis suæ 58. Christi 1630. Vilnæ sepultus.

XVIII.

ABRAHAMUS WOYNA:

Tribûs tubîs pro Stemate insignis.

SImeonis, Castellani Mscislaviensis Filius, Benedicti, Episcopi Vilnensis nepos, ad magnos pro Patria & fide labores in hac Diæcesi parabatur: Illius Suffraganeus, & Administrator, brevi Samogitiæ Præsul, tandem Vilnensis Antistes. Anno 1621. & 1629. ex Comitiis Regni ad Tribunal causarum Thesauri Lithvaniæ Judex designatus, jus dixit, injurias discussit, & pro justitia sancivit.

Ecclesiæ Vilnensis regimen à cultu Religionis inchoavit. Eo audaciæ hæresis innixa Dynastarum potentiæ devenerat, ut omnes Prædecessorum suorum conatus eluserit, & in ipsa Lithvaniæ Metropoli, ut insignior esset, fanum struxerit. Egit pro sua potestate Abrahamus, errorum officinam extra urbem & muros ejecit, & ne ovile lupi corrumperent, seriò inhibuit & curavit. Diffidentium potentissimi, quorum pars erat magna, occultis saltem viis tentabant reditum, sed vigil Antistes eorum temeritatem impedivit & compescuit. Quærebant illi modum seminandi errores in urbe tam ampla sub specie subsidii sæpius egentibus

dati

dati liberali manu; obviavit malo Præsul providus; FF. Instituti S. Joannis de Deo Vilnam advocavit, quibus ægrorum curam & quorumvis pauperum commisit, impensis ex proprio ærario assignatis, & ut stabiles ac diuturnæ essent, opes elocavit, facultates attribuit. Exactis prope annis undeviginti in Episcopatu, abiit pro laborum præmio 1649.

Illo Diœcesim Vilnensem moderante anno 1638. in pago Skomoroszki dicto prope Niesvisium præsentibûs pluribus pagi illius incolis & ipso domino, P. Jacobus Drobnius S. J. cum quatuor hebdomadarum puellam sacro fonte ablueret, & more Ecclesiæ ex patrinis quæreret: *Credis in Jesum Christum Filium Dei?* illis hæsitantibûs, puella articulatâ respondit voce: *Wierzę* id est *Credo.* Id publica fides & juramentum ibidem consignavit. *Naramowski Lib: I. C. XVII.*

Lugubre fuit, quod sequitur, contigitq; circa annum 1643. Die Corporis Christi illucescente, tam horrende nubilum grandinabat cælum, ut gramine campos nudaverit ad leucas duodecim: grandinis hujus magnitudo pomum excedebat. Ubi vero sol incaluerat, apparere cæperunt lapides humani capitis speciem præferentes oculis effossis, dentibûs hiantibûs in calvariæ modum formati. *Idem loco citato.*

XIX.

GEORGIUS II. TYSZKIEWICZ

De Stemmate Leliwa. vide pag: 84.

JOannis Eustachii Palatini Brestianensis, & Sophiæ Wisniowiecka Filius, optimorum Parentum proles optima. Cracoviensis Canonicus, Custos, Archidiaconus & Suffraganeus Vilnensis, post fata Wołowicii, ejusdem Sedis administrator, nou uni parabatur Ecclesiæ. Samogitiæ primùm Præsul à Ladislao IV, anno 1638. egit Legatum ad Urbanum VIII. brevi ab Or-

dini-

dinibus Poloniæ & Lithvaniæ Romam rediit, supremæ Sedi supplex pro decernendis honoribus sacris Polono Juveni D. Stanislao Kostka. Lætus eo hospite Urbanus, solii Assistentem, Ecclesiæ Piltinensis in Livonia Administratorem creavit, Româ reducem Ladislaus Torunium expedivit, ut solenni colloquio diffidentium cum Catholicis præesset: desudabat omni conatu religiosus Præsul, ut abjectis erroribûs veritati Catholicæ manus darent hæretici, sed major erat illorum pertinacia, quam cura Georgii. Felicior exstitit in Curlandia: ubi plures aggregavit Ecclesiæ, Ducemq; hujus Provinciæ licet à fide Catholica alienum induxit, ut tres ædes sacras Catholicæ Religioni erexerit, & dotaverit. Ipse in montibus (locus ita dictus in Samogitia) montem mortis Christi, vulgo Calvariam, ad mensuram Hierosolimitani instituit, & Sacerdotum collegium condidit, plurimasq; indulgentias à Sede Romana loco impetravit. Lithoviæ PP. de monte Carmelo, Rosienis PP. Ord: Prædicatorum cænobia exstruxit.

Tantorum meritorum Præsulem post obitum Abrahami Woyna Joannes Casimirus (pro cujus electione ad Rempublicam 1648. Oratorem egit) ad Vilnensem promovit Sedê. Diæcesis hæc late per Lithvaniam diffusa ut accuratiùs administraretur, alterum Suffraganeum Albæ Russiæ Româ probante instituit. Divi Casimiri Principis honores ut ampliores faceret, apud Summum Pontificem impetravit, ut illius festivitas per totum Regnum cum octava celebraretur (*d*) cui favori Poloni Præsules renunciârunt. Multa in bonum Ecclesiæ suæ intendebat, sed cùm binus hostis Moschus & Svecus diriperet & vastaret Patriam, ne suorum calamitates cerneret, Regiomontum perrexit, ubi 1656 die 17. Januarii malis Poloniæ illachrymans decessit.

Temporibûs hujus Antistitis vixit Niesvisii 1652 die 30. Decembris Georgius Rypinski S. J. Coadjutor.

Natus

(*d*) *Bollandus IV. Martii.*

Natus ille erat in Palatinatu Połocensi Parentibus Schismati Photiano deditis: & quos errores cum lacte suxerat, eos pertinacius in ulteriori vita fovit. Cum hero Catholico, qui voti reus venerat Częstochoviam, venit & Georgius. In illo afflictorum refugii loco cum nequam spiritus ex quopiam eo hospite afflicto pelleretur, Georgium dæmon advertit & inclamavit: *En Frater noster, permittite, ut eum ingrediar:* Exhorruit adolescens, timuitq; tantum inquilinum, utq; ab eo semper liber esset, errores ejuravit. Redux in Patriam, Societatem JESU ingressus, Religiosæ januæ curam habuit solicitus, ut hæc soli virtuti & egenis aperta esset. *Poszakowski.*

Huic ejurandi Schismatis malus genius: P. Nicolao Lancicio, qui temporibus ejusdem Præsulis vitâ cessit, deserendi Calvinismi propria virtus origo & causa fuit. Societatem JESU exposcebat adolescens, non alia conditione admissus, nisi prius Patrem convertisset. Cracoviæ Religiosam vestem indutus, Romæ Tyrocinio, & altioribus studiis absolutis, in quem Virum evaserit? opera, quæ plurima spiritûs & perfectionis plena in lucem edidit, monumenta sunt: illis, ut olim vitæ sanctitate, sic nunc erudire alios non desistit Doctor posthumus. Post administrata in varis Provinciis Collegiorum munia corpus voluntariis afflictationibûs attritum deposuit, & animam omni virtutum genere excultam, suffragiis pro defunctis in Societate haberi solitis animabus purgatorii ex integro transcriptis, Deo redidit 1652. die 30. Martii. Cannæ, familiaritate cum superis, prodigiosis gratiis etiam in vita insignis. *Vita Ejusdem.*

XX.

JOANNES III. DOWGIAŁO ZAWISZA

De Stemmate Zadora

In

In campo cæruleo caput est leonis ignem evomens.

JUventutem in aula Benedicti Woyna Episcopi Vilnensis, id est in seminario virtutis & scientiæ excoluit: Ejus impensis ad exteras nationes expeditus, plenus gloriæ rediit. Vilnensis Archidiaconus, Regens Cancellariæ M. D. L. ex Comitiis 1647. ad litem componendam inter Episcopatum & Palatinatum Vilnensem designatus, opus tantum optato finivit eventu. Notarius M. D. L. Trocensis Præpositus, tum Referendarius, tandem Vilnensis Præsul 1657. Częstochoviæ consecratus est. Antistes datus commodo afflictæ Patriæ. Ejus operâ in difficillimis negotiis utebatur Respublica: ille sua dexteritate exercitum Lithvanum obsequia Ducibus denegantem ad ordinem & observantiam disciplinæ militaris reduxit: ille cum Moschis ad Vilnam composuit. Sub tempus belli Svetici, quo atterebatur Polonia & Lithvania, cum Joanne Casimiro ivit extra fines Regni, consiliô tamen, litteris, variis legationibûs obitis magnô fuit præsidiô, exhaustæ iis calamitatibûs Patriæ: tandem fractas vires deposuit 1661. ætatis suæ 58.

Annô, quo Præsul hic regimen Diæcesis auspicatus est, 1657. defunctus est Vilnæ 15. Januarii P. Jacobus Brentus S. J. Hunc morti proximum, nullius per omnem vitam gravioris culpæ sibi conscium aggressus est inferni incola eâ violentiâ, ut Jacobus auditus sit exclamare: *Domine vim patior, responde pro me: quàm execrabilis, quàm turpis, quàm malus est dæmon.* cùm Tironum Magistrum ageret, illos monere erat solitus: *Quò magis sine vobis eritis, eò magis cùm Deo eritis.* Drews in Fastis S. J.

XXI.

GEORGIUS III. BIAŁOZOR

De Stemmate Wieniawa vide p. 17.

CHristophori & Hedvigis Gedroycowna Filius. Joannis Caroli, Vilnensis Præpositi eruditione & vitæ sanctitate commendati (de quo memoriæ proditum est: *Joannes Carolus nihil novit præter Deum & libros.* (a) nepos. Ex Custode Vilnensi, S. Casimiri Ecclesiæ Præposito, Smolensciæ, Samogitiæ tandem Vilnensis Episcopus. Multo hoste ut Patriam, sic Diæcesim exhaustam nactus, modò, quo potuit, illius integritatem curavit Senator & Antistes strenuus. Plurimum suâ prudentiâ & ærariô contribuit, quod exotico milite afflicta Polonia domesticis diffidiis non interierit. Copias Lithvanicas ob non solutum stipendiorum pretium parere Ducibus renuentes ære proprio delinivit, & contra communem hostem armavit. Obsequiis Patriæ immortuus 1668.

XXII.

ALEXANDER I. SAPIEHA

De Familia Vulpigerorum.

DUcum Lithvaniæ, Regum Poloniæ sangvis, ex Familia ut meritis in Patriam & Religionem, sic summis honoribûs distincta oriundus. Friderici Succamerarii Vlodimiriensis & Evæ Skaszewska Filius. Romæ Sacerdotiô initiatus, primam Deo litavit hostiam. Urbani VIII. magnos favores meruit, inter quos ille non postremus, dum ab eodem Pontifice in pignus amoris, & omen dignitatis Præsuleæ, annulum cum sapphiro justæ magnitudinis oblatum habuit. Româ reducem variis honoribûs Patria insignivit: Referendarius M. D. L., Primicerius & Suffraganeus Vilnensis, Plocensis Custos, Scholasticus Sandomiriensis Varsaviensis Canonicus, Samogitiæ ac tandem Vilnensis Antistes eminuit. In egenos plus quàm liberalis, communi omnium voce dictus: *Pater pauperum.* Vixit, ut Se-

nato-

(a) Niesiecki Tom: I.

natorem decuit, attendit Diæcesi, ut Præsulis munus jussit: brevi temporis spatiô in Pontificatu Vilnensi plures virtutes emensus, terris ereptus est 1671.

XXIII.

NICOLAUS III. PAC

De Stemmate Gozdawa

Lilium est album in campo coloris rubri.

FAmiliam hanc, adhuc ante Nativitatem Christi Italia Senatoriam, dedit Lithvaniæ. *Kojałowicz* in Bibliotheca Tridentina asserit se vidisse nonnulla antiquitatis monumenta, in fundo Arcis Sornellum dictæ anno 1635. à Curtio Ingiramio reperta, olim sub tempus belli Romani, brevi post necem Catilinæ reposita: quorum unum hac inscriptione insignitum erat: *Cosmus Paccius Pontifex Maximus obsignavi.* Niesiecki Tom III.

Quod Domus Paziorum Florentiæ inter primas, ex qua fuerat D. Magdalena Ordinis de monte Carmelo, vitæ sanctitate & miraculis clara à Clemente IX. Sanctorum fastis adscripta, cum Paciis nexu sangvinis conjuncta sit, hujus Sanctæ exuvias aureæ thecæ inclusas, & crines crystallo artificiose insertos huic Nicolao Præsuli velut pignus connexi sangvinis donô mittens Princeps Florentiæ testatur in data ad eundem Præsulem Epistola. *Idem loco citato.*

Tanta Familia Patre Stephano Pro Cancellario Lithvaniæ, Anna Rudominianka Matre hunc Nicolaum orbi dedit. Primam ætatem scientiîs expolitam Patriæ obsequiis consecravit. Arcem Krzyczoviensem milite præsidiario, quem ære proprio comparavit, contra hostem defendit, impetum, obsidionem fortî animô sustinuit. Injurias bonis & facultatibus suis per Moschos illatas miles ferrô vindicavit. Palatinus Trocensis, brevi Vilnensis Castellanus optimîs consiliîs profuit afflictæ Patriæ, ejus bono intentus Senator. Sic in sa-

N 2 go

go & toga bene meritus ad Sacrum Ordinem adjecit animum. Factum Viri mirata Polonia, & ne Senatorem amitteret Vilnensem fecit Præsulem. A Pallavicino Legato Pontificio in Antistitem consecratus, ne tantum Patriis emineret dignitatibus, Italia suas super addidit; Innocentii XI. designatione Prælatus domesticus, sacri Palatii Comes, Ecclesiæ Lateranensis Eques auratus, utriusq; Signaturæ Referendarius promulgatus est.

In Sede Pontificia vitæ sanctitate, humanitate in omnes, in Ecclesias & egenos liberalitate, in judiciis æquitate par Prædecessoribus: plenus meritorum obiit 1684. suaq; dignitate Præsulea prædictioni Eustachii Wołowicz veritatem conciliavit.

XXIV.

ALEXANDER II. KOTOWICZ

De Stemmate Korczak vide p. 58.

SCientiarum amorem, quem à teneris concepit, etiam in provecta ætate fovit. In Universitate Vilnensi S. T. D. in Vilnensi Cathedra Scholasticus, brevi Smolenscensis Episcopus, tandem Vilnensis, Pastoralibûs curis minime impediebatur, ne eruditorum certamini aut adesset, aut idem fortiter promoveret.

Nec defuit Religionis bono. Piltinensis Ecclesia, (juris est Episcopi Livoniæ) exiguos numerabat reditus, ac ob hæresis avaritiam à nonnullis in majores redebatur angustias. Alexander ex mente Reipublicæ ad cognoscendas injurias designatus murum se opposuit, & facultates Ecclesiæ iniquè usurpatas veris hæredibus restituit. Plurima à tanto Antistite pollicebatur sibi Vilnensis Sedes, sed forti illius mors invida, optimum Præsulem post unius anni regimen 1686. Grodnæ è vivis sustulit.

XXV.

XXV.

CONSTANTINUS BRZOSTOWSKI

Stapede pro Stemmate insignis.

CYpriano Paulo Palatino Trocensi, Rachaele Barbara Duninowna Raiecka Matre, Judicis Trocensis Filia genitus, & generis nobilitati, & propriæ virtuti debuit dignitates, quas gessit. Secretarius M. D. L. Canonicus Vilnensis, Trocensis Præpositus electionem Joannis III. subscripsit. Brevi ab eodem Rege ad Smolenscensem Episcopatum promotus, à Republica designatus in Livoniam, ut vindicatis ab hæresi Ecclesiis Rectores strenuos, Rectoribus cum Ecclesiis dotem provideret, fecit abunde, quæ religio, quæ Respublica sperare potuit. Tandem post obitum Kotovicii 1687. probante Innocentio XI. Vilnensis Præsul, Diæcesim hanc ubi moderari cæpit, altero regiminis annô religionis, & honoris Divini vindicandi campum nactus est.

Joannes Łyszczynski à teneris Religioso Instituto nomen dederat, sed fucata probitas inconstantem fecit; ex Religioso sæcularis cæpit inhonestius agere, quæ meditari probrum erat. Et qui fidem Deo datam non servavit, eam parvo duxit vitio consorti & naturæ frangere; dum paternum torum incestu maculare nec timuit, nec erubuit, ac cùm in profundum mali venisset dixit ut impius: *Non est Deus* vel, ut blasphema illius utar voce: *mera chimæra Deus*. Nec satis habuit, ut ipse scelestus esset, socios quærebat, & impietatem, quam contra Deum conceperat, coram multis promovebat, & quo diuturnior esset, contra existentiam Dei agebat scriptis. Ea hominis improbitas minime latere potuit, quam Præsul vigilans ubi rescivit, exhorruit, & Joanni III, qui tum moderabatur Poloniam, detulit.

Tanti criminis executio delegata à Rege Casimiro Sapieha Vilnensi Palatino, Magno Duci exercituum

N3 Li-

Lithvaniæ. Hic ut probus in curia Senator, sic pro fide Religiosus, per submissos satellites reum capit, & mittit Vilnam ad carceres Episcopo. Scripta illius Academiæ Vilnensi ad examen porrecta, in omnibus rea, quia blasphema, reperta sunt. Captivitas hæc Łyszczynscii non nobilitate duntaxat, sed & Subjudicis dignitate adornati nobilitatem ipsumq; Tribunal M.D.L. adeò commovit, ut Episcopo diem dixerit: ac ut reum eriperet, pro delicto legit Antistiti *Neminem captivabimus nisi jure victum.* Minime valuit apud præoccupatos judices pro Præsule defensio, frustra reum securitatem à lege quærere, qui authorem legis supremum negaret. Vicit tamen omnes assultus Vir sui nominis, Constantinus Antistes. Varsaviam lecta militum manu Atheus deductus, in Regni Comitiis ab Instigatore Lithvaniæ accusatus, criminis convictus, à Rege Republica condemnatus est. Ut vivus cum scriptis combureretur, cineres demortui ex bellica machina exploderentur, domus, impietatis officina, solô æquaretur, bonorum medietas delatori, altera quæstori Regio vulgò fisco salvis tamen juribûs uxoreis cederet. Sententia tamen hæc, ubi reus ad cor rediisset, immutata est. Ad mortem obeundam dispositus à P. Martiniano Nestorowicz S. J. in theatro Varsaviæ ad id erecto, postquam iterum quæ affirmabat ejurâsset, & negata revocâsset in magna pænitentia capite plexus & combustus est. 1689. *Załuski Epist: Fam: Tom: I. Part: II. Naramowski in Fac: Rer: Sarm: L. I. C. IV.*

Ab Atheismo liberam Diæcesim nactus dum ageret pro libertate Ecclesiastica, multorum incurrit odia sed rebûs pacatis pro munere Pastorali liberalem intendit operam. Plures Religiosos introduxit, eorumq; domicilia condidit. Vercos Instituti de Redemptione captivorum, Vilnam Virgines Deo sacras à Visitatione B. V. M., ad perficiendum Collegium Minscense S. J. multum contribuit. In Ecclesia Vilnensi Principe sacel-

cellum Nominis JESU & MARIÆ innovavit, & dotavit. Imaginem Trocensem Deiparæ miraculis claram cum facultate Romana coronavit.

Troki civitas est M.D.L. inter primas non postrema à Gedimino erecta, & olim Ducum Sedes, Icone Beatissimæ, ejusq; gratiis insignior, inter quas illa singularis, quam refert *Pruszcz in mari gratiarum p. 46.* Scytha, (hos dudum Lithvania fovet ab obsequiis bellicis) læsæ & ferè aridæ manui nullam medicinam reperire potuit, licet non unam adhiberet. Vice quadam iter agens pro quiete nocte intempesta ad consvetum urbis hujus deflexit diversorium. Varii ad illud mercatores & judæi diverterant. Inter hospites cùm cæptus esset sermo de miraculis Deiparæ celebris ea in civitate; judæus notæ inter suos non postremæ injuriosus MARIÆ multa blasphemo ore effutiit. Scytha, licet Mahometis sectator, sermonis impatiens ferrum stringit, judæo infligit vulnus inclamans: *Conticesce, & Virginem, quæ cæli & terræ Regina est* hanc notitiam in aula Catholica nactus erat, *impia voce ne lacera*, alterum parabat ictum, sed hunc fugâ evasit hæbræus. Brevi ab omnibus concessum quieti. Scytha vix somnum oculis permisit, ecce suo vindici apparet intemerata Virgo, & *Quia* inquit *honorem meum ultus es, in præmio manum sanam recipies; cras mane Sacerdotem adi celebraturum missæ sacrificium, eidem supplex, ut tui in re Divina meminerit: tu vero ante aram meam cum accensa candela sacris adesto.* Fecit satis & manum bene valentem sortitus est. Ita MARIA quodvis obsequium ut æstimat, sic affatim compensat.

Constantinus annis confectus cùm de jejuniis ad festa B. Virginis, corporis ærumnis nihil remitteret, in optima senectute 1712. sanctam mortem obiit. Multa passus in sua Lithvania, plura pati generosô animô paratus, omnia impavida mente sustinuit, & gloriose vicit.

Et hujus Præsulis tempora aliquos e Societate JE-

JESU Viri gloriosô obitu adornârunt. 1694. die 14. Septembris P. Andreas Domaiewicz Polonus Niefvisii. Hic cùm adhuc Olomucii in Seminario PP. S. J Convictorem ageret, P. Sierakovium illius Præsidem sub tempus Bacchanaliorum vice quadam amare plorantem reperit: magnis precibus precabatur supplex, ut sibi causam fletûs aperiret. Altum ingemuit Pater & lachrymis perfusus respondit: *Plorare se, quod ex quadraginta convictoribus septemdecem duntaxat salvandos Divina revelatione cognovisset.* Territus Andreas, ne ex numero damnandorum esset, securiora elegit, & Societatem ingressus, in ea ad omnes Instituti regulas vitam composuit. *Briccius in Vita P. Uieyski. Fasti S. J.*

Anno quoq; 1721. die 17. Augusti, ætatis suæ 79. Religionis 58. obiit P. Joannes Łukaszewicz Vilnæ, religiosæ perfectionis exemplar. Vir meritis Collegiorum regimine, ac ætate commendatus. Viliam & Orszycam fluvios spectante & mirante populo Angelicum in carne Patrem sicco pede sæpius transivit: ipse in optima senectute felicem æternitatis portum attigit. *Paszakowski in Calendario 1740.*

XXVI.

MATHIAS JOSEPHUS ANCUTA

De Stemmate Ancuta.

Sagitta est erecta, in cujus latere dextro, stella octo angularis, in sinistro luna dimidia expressa est.

PRodroma virtute & meritô per gradus processit ad supremum Lithvaniæ Episcopatum. Ex Canonico Vilnensi, ejusdem Ecclesiæ Suffraganeus, laborum Antecessoris Brzostovii comes individuus, ab eodem, annuente Augusto II, probante Roma Coadjutor: Brzostovium suâ juvit operâ & consiliô. Adhuc Suffraganeus communem Clero Cathedrali Vilnensi mensam instituit, & ut sacra lectione condiretur, sanxit. Cultui Dei-

Deiparæ Virginis singulariter addictus, in ejus honorem diem quamvis Sabbathi strictâ coluit abstinentiâ. Successit defuncto Brzostovio, sed dum redux Varsaviâ publicum in Cathedram pararet ingressum, extra Vilnam in ipso opere collati Sacramenti Confirmationis mortalitatem exuit, subitô tactus dolore intra tres horas exspiravit anno 1723.

XXVII.

CAROLUS PANCERZYNSKI

De Stemmate Trzaska

Luna est dimidia in campo cæruleo, utroq; cornu erecta, per medium binis gladiis sibi oppositis transfossa.

REbûs pro Patria & Ecclesia præclare gestis plurima meruit: e medio Vilnensis Capituli Suffraganeus Albæ Russiæ, M. D. L. Notarius, post fata Oginscii Smolenscensis ac tandem Vilnensis Antistes anno 1724 Sedem hanc adiit, multaq; egit pro illius bono: omnibus charus, nulli molestus, in egenos & Religiosos Ordines plusquam liberalis: obiit 1729.

XXVIII.

MICHAEL ZIENKOWICZ

Lunam pro Stemmate sortitus.

EX Familia legationibus in Moschoviam, pro Patria obsequiis gloriose obitis clarâ genitus anno 1671, mentem scientiis, animum virtutibûs ad maxima excoluit. Vilnensis Canonicus Suffraganeus Samogitiæ, post obitum Caroli Augusto II. dignus visus est, ut Vilnensi præesset Sedi. Diæcesim ut ad formam sacrorum Canonum componeret, Synodum 1744. in Vil-

Vilnenſi Baſilica celebravit, & ut præſto eſſet omnibus, Typis Academicis Vilnenſibûs impreſſit. In magna ætate, quam non poſtremis meritis in Patriam & Eccleſiam, adornavit, nonagenariô major, annô; quo liber in lucem prodit, videlicet 1762. vitam in melius mutavit.

LIBER

LIBER TERTIUS

Tractat de initiis Epiſcopatuum, Plocenſis, Varmienſis & Luccorienſis, eorumq; Antiſtitum Vitas proponit.

CAPUT PRIMUM

DE EPISCOPATU PLOCENSI.

CAthedra hæc, ut plures aliæ, fundata eſt à Miecislao I, Poloniæ Duce ad fluvium Viſtulam 966, & ab Ægidio Cardinale Joannis XIII, Legato, nomine ejusdem Pontificis approbata, primum Epiſcopum Angelottum, natione Romanum nacta eſt. Eccleſia Cathedralis ſub titulo S. Sigiſmundi Regis Burgundiæ Martyris erecta; Caput hujus ſancti aureæ thecæ incluſum à Sigiſmundo III. Poloniæ & Sveciæ Rege donatum habet & conſervat (b) Feſtum verò illius die II. Maji ſolenni ritu celebrat. In ſuis primordiis de ligno erat ſtructa, ſed Alexander Epiſcopus X. in ordine aliam ex ſolido muro condidit. Præter corpus Verneri Epiſcopi Plocenſis à Boleſta Caſtellano Viſnenſi occiſi, cujus vitæ ſanctitatem Deus multis ſignîs illuſtrem fecit, ornata eſt ſepulchris Ladislai Hermanni, Boleslai Crivouſti Ducum Poloniæ, & plurium Ducum Mazoviæ.

Plocia civitas ad fluvium Viſtulam ſita, Palatinatûs Plocenſis caput cum Ducatu Mazoviæ Terriſq; Ravenſi Sochaczovienſi & Goſtinenſi ab antiquo erat juris Poloni: ſed à Caſimiro Crivouſti Filio, Conrado Duci data eſt. Caſimirus Magnus metuens, ne Ducatus hic cum ſuis Terris à Polonia avelleretur, Duceſq; Mazoviæ

(b) *Lubienſki Geograph.*

viæ Ducum Silesiæ exemplô irent in clientelam Regis alicujus, præcipuè Bohemiæ; exigebat, ut Siemovitus Dux Mazoviæ cum suis Primoribus tanquam Princeps fiduciarius sibi, Regibusq; Poloniæ fidem obstringeret. Magna contentione res hæc agitata est. Tandem anno 1354. die festo S. Joannis Apostoli & Evangelistæ Calissii cum suis Proceribus cessit in fidem & clientelam Casimiri, Regniq; Poloniæ (c) & cum stirps Ducum Mazoviæ decessisset, Mazovia cum suis terris temporibûs Sigismundi I. plenum Poloniæ dominium agnovit, Provinciæq; Majoris Poloniæ adjuncta est: eamq; 1538. Rex hic nonnullis legibûs circumscripsit: (d) quas & plures alias Stephanus Bathoreus 1576. approbavit. Vocantur illæ in jure Polono *Excepta Mazoviæ* Legum Volum II.

Episcopus Plocensis Princeps est Pultoviensis ex eo, quod in prædicto Districtu omnes causas Nobilium pleno jure cognoscat & decidat, velut Præsul Cracoviensis in Ducatu Severiæ (e) Pultoviensem Ecclesiam, quæ tantùm Parochialis erat, Paulus Giżycki in Collegiatam convertit, Canonicos instituit: hujusq; rei à Nicolao V. confirmationem procuravit.

Latitudo hujus Diæcesis satis ampla; nam præter Palatinatum Plocensem, Dobrinensem Terram potissimam partem Ducatûs Mazoviæ complectitur: & per Terram Michałoviensem Brodnicam usq; (civitas est Palatinatûs Culmensis) extenditur. Ab Alberto Baranovio in Decanatus divisa est: continetq; Archidiaconatus tres: Plocensem, in quo Decanatus forenses ut vocant 16, Ecclesias verò 160 numerat: Pultoviensem, in hoc Decanatus 11, Ecclesias 108: Dobrinensem, in eo Decanatus 4. Ecclesias 43. complectitur. Habet universas Ecclesias 311. præter ædes sacras variorum Religiosorum, quas, satis numerosas continet.

Cùm

(c) *Dlugossius L. IX.* (d) *Leg: Volum: I.* (e) *Łubienski Geograph.*

Cùm Lutherana secta Prussiam & Poloniam invasisset, Raphaël Leszczynski, Plocensis Episcopus XLV. in ordine, avitæ Religionis defensor strenuus, consiliò & authoritate sua, Janussium Ducem & Dynastas Mazoviæ induxit (f) ut in Comitiis Varsaviensibus 1525. Feriâ V ante Dominicam Oculi proximâ tulerint Decretum quo sub vitæ & bonorum privatione in toto Ducatu Mazoviæ exercitium Sectæ Lutheranæ inhibetur. Decretum prædictum habetur in Actis Ducalibus, quæ circa Acta Castri Varsaviensis asservantur: habetur & in Legum Volumine. I.

Illustrissimus Dominus Princeps cum toto consilio suo volens sectam Lutheranam & ejus falsum dogma in Ducatu suo ab omnibus subditis suis penitus eradicari, & ne hoc falso errore & dogmate subditi sui à fide Orthodoxa & sancto ritu Romanæ Ecclesiæ seducantur, ex officio suo & authoritate Ducali, ut verus Christianæ Religionis & fidei Princeps providere tempestive cupiens, ita constituit, & conclusit. Ut nullus in toto Ducatu Mazoviæ tam in civitatibus, oppidis, quam eorum in villis cujuscunq; conditionis & statûs existat, præsertim in civitate Varsaviensi libros & falsam doctrinam Lutheri in quocunq; sermone, sive Latino, sive Almanico aut quovis alio tenore apud se & in domibus suis habere, legere aut ipsum falsum dogma Lutheranorum profiteri, sectam portare, tueri & aliis eandem persvadere præsumat. Ita tamen, ut quicunq; de hac secta legitime convictus & probatus fuerit, talis vita privari debeat, & bona ejus omnia, quæcunq; habet mobilia & immobilia confiscari, & ad thesaurum Ducalem recipi debeant. Quod decretum Dominus Dux mandavit in omnibus Districtibus & Capitaneatibus publicari, & diligenter per omnes officiales exequi.

Capitulum Plocense componitur ex 14. Canonicis Illius Præpositus, Dux Sielunensis est, supremamq; po-

(f) *Łubienski in Vitis Episc: Plocen.*

potestatem in hoc Ducatu habet. Archiepiscopus Gnesnensis in eodem locum habet. *Vide L. I. p 58.* E medio sui unum ad Tribunal Regni eligit Judicem Deputatum. Stemma illius est: effigies Deiparæ Virginis manu Infantem JESUM ferentis.

ORDO & VITÆ
EPISCOPORUM PLOCENSIUM

I.

ANGELOTTUS ROMAMUS

HUnc Roma Orbi, & Plociæ primum dedit Antistitem. Vir eruditionis & virtutis eximiæ, in promovenda fide strenuus, universam obibat Diæcesim adhibitis in societatem laboris etiam Polonis, quos idoneos Sacro Ordini adscripsit. In paræcias divisa Diæcesi, ædes sacras erigebat, earumq; Rectoribus decimas à Principe sibi donatas attribuit. Collegium Prælatorum & Canonicorum instituit, eisq; dotem ex decimis assignavit. Et licet eorum officium & munus esse sciret, ut horas in choro canerent, cæterum, cùm operam eorum sibi & suis Successoribus ad alia negotia tractanda videret fore necessariam, aliud Sacerdotum Collegium constituit, qui vices Canonicorum supplerent. Futuro commodo vineæ Christi in sua Diæcesi providens, plures ingenuos & nobiles collegit juvenes, quos Latinis ipse imbuebat litteris. Magister domi, in templo Doctor, in Republica ut verus Sarmatiæ civis: Poloniam ut Patriam amavit, summus Vir & Senator: in dando Principi consilio liber, domi castus, in publico fortis, utrobiq; summâ excellens prudentiâ. Obiit Plociæ 981.

II.

MARTIALIS

ADhuc in vivis superstite Miecislao datus est Plocensi Ecclesiæ post obitum Angelotti hic Martialis genere & nobilitate Romanus: sacrarum litterarum notitiâ & humanitate insignis. Hic ut majori commodô esset gregi suo, magnô studiô lingvam Polonam didicit, tantumq; in ea profecit, ut confitentium noxas excipere, à sacris exedris verba ad populum facere potuerit. Nullam partem satis amplæ Diæcesis reliquit, quam prædicando, Sacramenta administrando, recenter ad fidem conversos erudiendo, Ecclesias fundando, non adierit. Illud potissimum curavit, ut Ministros Evangelii sibi similes, id est castos, probos, in cura animarum non segnes haberet; persvasus eorum exemplô meliùs quam doctrinâ rem Catholicam promoveri: nec eum sua spes fefellit, plurimos Christo lucratus est. Coronationi Boleslai Chrabry in Regem Poloniæ Gnesnæ adfuit, & quartô post eam solennitatem annô, videlicet 1005. plenus meritorum obiit.

III.

MARTINUS I.

NAtione & nobilitate Gallus, Romæ educatus successit Martiali. Digno Pontifice comitatu venit in Poloniam, plures viros ac eruditos laboris socios duxit, multosq; sacros ac Canonicos tulit codices, iis usurus ad confirmandum in vera fide populum: lætô animo à tota Diæcesi acceptus. Cùm ipse religiosam ac continentem vitam duceret, magisq; exemplô populum & Clerum in omni pietate formandum curaret, nulla re magis offendebatur, quàm, si aliqua vestigia intemperantiæ in homine sacris addicto comperisset; quare Sacerdotes continentiâ conspicuos magno prosequebatur amore: illorumq; ita singularem gerebat curam, ut ad eorum sublevandas necessitates nullis impensis parceret. Annis octodecem cum laude in hac Sede exactis, suæ Ecclesiæ universâ bibliothecâ per ultimam dispositionem donatâ 1024. vivere desiit.

IV.

IV.

ALBINUS

POst fata Boleslai I. Poloniæ Regis, qui 1025. cessit naturæ, Miecislaus Paterni solii Successor Joanni XX. erat supplex pro Præsule ad Ecclesiam Plocensem, datusq; est Albinus nobilis Romanus, Decretorum Doctor, Ecclesiæ S. Petri Canonicus, Vir eruditus ætatis quidem provectæ, sed nondum fractæ laboribûs. Hic mandato Pontificis à Cardinale Ostiensi in Præsulem Romæ consecratus, accinxit se itineri Polono. Mores & ingenia Polonorum jam erant exculta, nullamq; barbariem, aut ejus vestigium præseferebant. Expertus est id magnâ animi sui lætitiâ Albinus.

Dum fines Diæcesis suæ ingrederetur, processit ei obvius Eqestris Ordo & Ecclesiasticus: Prælati & Canonici numero satis amplo hospitis Episcopi cingebant latus, pars nobilitatis magna studio Martialis & Martini adeò litteris exculta fuit, ut Albino latinâ lingvâ cum præcipuis quibusq; agendum & loquendum fuerit. Qua re lætus, maxime incumbendum sibi putavit, ut quæ sordes, ex prisco inanium Deorum cultu adhuc rem anserant, eas doctrinâ & moribûs suis elueret. Adhuc in quorundam cordibus hærebat memoria eorum, qui dæmonibus authoribus freti artes Divina lege vetitas exercebant, pluresq; vel promissô falsæ utilitatis, vel terrore denunciati periculi, si maleficis non crederetur, terrebant. Ad malum ejusmodi eradicandum omnem conatum adjecit Albinus, effecitq; ut ministri dæmonis fateri cogerentur, potentiores esse vires fidem Catholicam prædicantium, quàm totius infernæ potestatis. in optima senectute decessit 1041.

V.

PASCHALIS

Casi-

CAsimirus Rex, qui non ita pridem ex Cluniacensi monasterio restitutus Poloniæ, eam moderari cœpit, in omne Regni sui commodum intentus, statim post obitum Albini, à Benedicto IX. postulavit Antistitem Plocensi Sedi: qui precibus Casimiri morem gessit, & Paschalem Italum natione Hetruscum, ob morum modestiam Cardinalibus & sibi charum, Plociam ire jussit. Acceptus est à Casimiro, ea, qua par erat, benevolentiâ, eoq; nobilitatis affectu, quem in primo limine meruisse videbatur.

Fortunatum sperabat regimen, sed brevi res in Diæcesi & toto Ducatu Mazoviæ turbarum & motuum erant plenæ. Maslaus quidam è Procerum numero, (Kadłubek L. II. scribit illum natum avo originario, & sordido famulitii genere functum, sed facundum & strenuum) qui apud Miecislaum Regem Supremum stabuli Præfectum agebat, Casimiri juvenis & pii Principis dedignatus imperium, evocatis in societatem armorum Prussis, Mazoviam universam sui juris faciebat. Apertâ vi Maslaus coërcendus erat, quod præclare à Casimiro Rege præstitum. Maslaus ipse a Prussis cum hac inscriptione: *Alta petisti, alta tene* suspensus, temeritatis, & seditionis pænas eluit, docuitq; exemplô suô, quam sanctè colenda sit fides suis Principibus debita. *Kadłubek L. II. & alii.*

Eo durante bello, fieri non potuit, quin Paschalis multas injurias, Ecclesia Plocensis plurima damna subierit: quæ tamen liberalitas Casimiri post devictos hostes, & constitutum Reipublicæ statum abunde compensavit. Palam jam Divinus cultus vigebat in Diæcesi Plocensi, caveri tamen vix potuit, ut aliquæ superstitiones clam non exercerentur: ad eas extirpandas toto animô incubuit Paschalis: & non contentus Paternis adhortationibûs, quibus minas & fulmina Ecclesiæ adjûxit, Casimiri pænas in superstitiosos homines evoca-

vit. Agrestes facile parebant monitis Antistitis, sed nobilitas Regiis edictis & armis comprimenda erat. Factum utrumq;: pestiferum virus e stirpe evulsum, sincerusq; Religionis cultus firmatus est authore Paschali Episcopo. Sex & viginti annos Plocensem rexit Ecclesiam, plenus meritorum 1067. vitam in melius commutavit: in Cathedrali Ecclesia sepultus.

VI.

MARCUS

AD vota Boleslai II. Poloniæ Regis, & Diæcesis Plocensis, Alexander II. ex domestica sua familia hunc Marcum, Virum pietate, eruditione præstantem, humanioribûs & altioribûs literis egregie excultum, à se consecratum Plocensibus misit Episcopum. Italia huic quoq; Patria, in Lucanis non ignobili natus genere, totum se à puero pietati dederat. Ut non absq; supellectili veniret in Poloniam, libros plures Divinæ scripturæ & Sacrorum Canonum tulit, quibûs bibliothecam Ecclesiæ Plocensis auxit & adornavit.

Læta & prospera initia Episcopatus sui sortitus est; cùm in tota Diæcesi Prædecessorum operâ cultum veri Numinis vigere vidit. In id omni studiô incubuit, ut Poloni idiomatis usum acquireret, multumq; cum difficultate luctatus, tantum magno labore consecutus est, ut in audiendis confessionibus, & dandis consiliis interprete usus non fuerit. In Diæcesi visitanda, formandis Cleri moribus, sedulus & assiduus versabatur. Ut plebs usu Sacramentorum aleretur, ad excipiendas confitentium noxas, Eucharistiam distribuendam, ad baptismum infantium pii & idonei Sacerdotes præsto essent, omni cura providebat.

Boleslaum II. cognomentô Audacem Polonia tum Regem nacta erat, ut bellis & victoriis celebrem, sic vitiis famosum, & nece D. Stanislai Cracoviensis Episcopi notum Orbi: post quam patratam Boleslaus cun-ctis

invisus, conscientiæ furiis tantum non in præceps actus Regnô cessit, & in monesterio, dicto Osiach, quod in Carinthia situm erat, vilibus culinæ obsequiis se addixit: ibidem paucis ante mortem diebûs Sacerdoti, cui peccata confessus est, genus suum & causam pænitentiæ aperuit, contritus decessit: ibidemq; à Religiosis tumulo illatus est cum hac inscriptione: *Hic jacet Rex Boleslaus Poloniæ, occisor S. Stanislai Episcopi Cracoviensis.* Lubienski in Vitis Episc: Plocen:

Cruentum & impium Boleslai facinus cum tota Polonia deplorabat Plocia. Marcus octavô à nece D. Stanislai annô, cum novemdecem in Episcopatu exegisset, decessit e vivis 1087. in Cathedrali Ecclesia sepulchrum nactus.

VII.

STEPHANUS POLONUS

SUb Paterna cura Præsulum, quos Roma Plociæ subministrabat, creverant plurimi Poloni, judiciô maturi, eruditione præstantes, & vitæ probitate commendati, qui munus Episcopale rite & digne administrare poterant. Eo tempore, & sæculô Metropolis Gnesnensis, & Cracoviensis Cathedra numerabat aliquot Præsules natione Polonos. Visum itaq; est Plocensi Capitulo unum e medio sui in locum Marci defuncti subrogare. Hic Stephanus Plocensis Præpositus ad id munus idoneus judicatus est, omniumq; suffragio electus. Et quia Clerus Plocensis non temere suspicabatur Urbanum II. qui non ita pridem Victori III. in Romana Sede successit, ea electione commotum iri, neq; permissurum, ut, cùm antea simplici Romanorum Pontificum provisione Episcopi darentur Plocensibus, potestas eligendi Antistites ad Capitulum devolveretur. Itaq; ad Ladislaum Hermannum, qui post Boleslaum moderabatur Poloniam, sub nomine supremi Ducis, confugiunt supplices, ut apud summum Pontificem suam au-

thoritatem interponeret, efficeretq; ut ad normam aliarum Ecclesiarum Cathedralium, quæ liberis suffragiis habent Præsules, Ecclesia quoq; Plocensis jure eligendorum Episcoporum gauderet, electosq; Summo Pontifici ad confirmandum proponeret. Suscepit partes Capituli Ladislaus, eamq; electionem non literis duntaxat, sed repetitis Oratoribûs promovit.

Papa ad primam electionis factæ famam ægrè tulit jus eripi Sedi Apostolicæ, sed cùm eo tempore bellum sacrum contra Saracenos à Victore III. (qui uno tantùm annô Sedi Romanæ præfuit) indictum & cæptum urgeret, jamq; eo authore, Godefredo Bulloniæ Duce, & aliis Principibus Christianis in Syriam exercitus duceretur, multum ut aliis, sic & Poloniæ Duci, quo eos in belli societatem alliceret, indulgendum erat; quare seriùs paulò petitioni Cleri Plocensis annuit, & Stephanum electum confirmavit.

Hic licet nobili genere natus fuisse creditur à Dlugossio & Żubienscio, à neutro tamen scribitur, cujus esset familiæ & stemmatis. Modesti mores, vita casta ad dignitatem hanc Stephano fuit suffragium. Nec deerat Viro eruditio, quæ ad gerendum Episcopatum requiritur: in tractandis verò negotiis magnæ vir prudentiæ, ut non ea duntaxat, quæ ad Ecclesiasticum munus pertinent, strenuè exequeretur, sed in publicis Regni consiliis eminuit.

Is cùm magno amore suæ Patriæ teneretur, dignitatemq; Nominis Poloni auctam vellet, primus durum olim jugum servitutis, quo Nobilitas ad nutum Principum obstricta erat, demere orsus est: idq; summô studiô, cæteris etiam Regni Proceribûs adnitentibûs obtinuit, effecitq; ut cùm olim soli Episcopi Senatoriâ dignitate fulgerent, paucíq; alii ad id munus Regum arbitriô adsciscerentur; deinceps per omnes districtus & regiones, Senatores majores & minores qui in Provinciis jus dicerent, & Regi judicanti, ne cuncta suo

suo arbitratu faceret, quasi libertatis custodes adhiberentur, præstoq; essent. (a) Hujus progressûs & novæ consvetudinis occasionem dederant crudelis Boleslai Audacis contra Nobilitatem facta, & rabiosa cædes Stanislai Episcopi Cracoviensis. Ita pro libertate agens feliciter & providè annis undenis in Episcopatu expletis egit animam 1099. in sua Cathedra sepultus.

VIII.

PHILIPPUS

De Stemmate Doliwa vide p. 59.

UT Plocensis Clerus jus suum in eligendo Præsule fundaret, indicta die congressui, hunc Philippum viâ scrutinii unanimi consensu elegit, Virum consiliô & ætate maturum, tractandarum rerum tam Ecclesiasticarum, quàm civilium usu præstantem, eam Philippi electionem apud Sedem Romanam promovendam partium suarum duxit Ladislaus, ejusq; confirmationem apud Paschalem II. obtinuit. Philippus à Martino Archiepiscopo Gnesnensi consecratus, Diæcesi rectè disposita, totum se impendit piis operibus, pupillorum & viduarum tutor, egenorum pater, pressorum aliqua necessitate defensor strenuus. In excipiendis peregrinis piam hospitalitatem non solum ipse exercuit, sed ejus exercendæ dux & author fuit aliis. Et licet in egenos & peregrinos nullis parceret opibus, eas semper auctas habuit: didicitq; & alios docuit, divitias in pauperes erogatas non minui, sed cum fænore augeri & recipi. Exuvias Ladislai Hermanni Ducis Poloniæ cùm in Plocensi Basilica deposuisset, domo sua ritè disposita, Sacramentis munitus anno 1107. cælos petiit, quos sibi precibûs & eleemosynîs paravit.

(a) Żubienski in Viris Episc: Plocen: vide L. I. p. 9.

IX.

SIMEON

De Stemmate Gozdawa vide p. 195.

UT suæ electioni momentum & suffragium adderet dignitate electi Clerus Plocensis, hunc Simeonem Archidiaconum ad Pastorale culmen votis suis elevavit. Diu ille obsistebat studiis eum honorem sibi deferentium, victus tamen precibus, non tam hominum, quam Divinæ cessit voluntati. Grata fuit Boleslao Crivousto, qui Ladislao Parenti in regimine Poloniæ successerat, tanti Viri ad Episcopatum promotio, quare patrocinium suum electo detulit.

Præerat tum Sedi Romanæ Paschalis II, cui susceptum adhuc ab Henrico IV, Romanorum Rege contra Gregorium VII, cum eodem Imperatore, & ejus Filio Henrico V. ingens certamen erat. Jura Ecclesiæ tuebantur summi Pontifices, quæ hi Cæsares ut expugnarent, excitato Schismate per substitutos Antipapas rem Ecclesiasticam turbare nitebantur. Summis periculis plena erant omnia: obsidebantur viæ, quibûs Roma adiri poterat, spoliabantur peregrini, alii ut hostes tractabantur. In tam deplorato Ecclesiæ statu Simeon electus à Martino Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus & consecratus est. Qua vitæ probitate, dum privatus esset, enitebat, eâ renunciatus Pontifex omnibus ad meliora præluxit: jejuniis, orationibus intentus, in templo sedulus, media nocte ad preces matutinas in choro cum cæteris Sacerdotibus absolvendas surgere solitus.

Prussi ut injuriam per Boleslaum Crivoustum sibi illatam *Vide p. 15.* vindicarent, Pomeranis juncti finitimam depopulabantur Mazoviam. Boleslaus bello cum Sbigneo Ladislai Patris notho implicitus, afflictæ Provinciæ suppetias ferre non poterat. Rapinas Prussorum,

rum, suorum injurias Magnus Comes (illius nomen nec Długossius, nec Kadłubek, nec Historia Prussiæ exprimit) tristi spectabat vultu,&ut vî vim repelleret, illi & populo animus deerat. Tantis suorum damnis motus Simeon Præsul,Polonos erigit,Magnum Comitem, populum,ad pugnam hortatur: ipse Pontificali indutus vestitu felicem suorum successum Deo precibus velut alter Moses commendat. Et placuit Supremo Numini in hoc Præsule Ducis Israelitici de Amalecitis renovare victoriam. Dum enim Simeon elevatis in cælum manibûs lachrymas & preces funderet, Comes tumultuaria manu barbaros persecutus, nullo è suis desiderato, quò insignior esset victoria, plus quam sexcentos interfecit, mille ducentos captivos tenuit: cæteri, qui in proximas sylvas manum Polonorum effugerunt, ab agrestibus occisi sunt. *Hist: Prus: L. 1.*

Sic impetratâ precibûs suîs victoriâ: plurimîs aliis pro Patria & Ecclesia gestis clarus, plenus dierum anno 1129. in vivis esse desiit. Pepłoviæ aulam de ligno structam hic Antistes benedixit, quam ad annum 1738. exstitisse scribit. *Niesiecki Tom II.*

X.

ALEXANDER

De Stemmate Dołęga vide p. 45.

INvitus & hic ad Episcopalem dignitatem evectus à Jacobo Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus & consecratus est. Id curavit vel maximè ut Diæcesis suæ Clerus ad leges Ecclesiasticas vitam componeret: in eorum corruptos mores singulariùs animadvertebat, extirpabat vitia, tollebat abusus, in eos severus, qui aliis erant offensio & scandalum: iis verò affabilis, quos virtus inter cæteros eminere fecit. Cathedralem Ecclesiam, quæ hucusq; fuit lignea, de solido muro erexit, eamq; contra hostium incursiones armis & præsidiis muni-

munivit. Boleslai Crivousti Supremi Poloniæ Ducis victoriis multis gloriosi, defuncti corpus in Plocensi Basilica sepelivit. Annis 27. in hac Sede exactis ultimum diem obiit anno 1156. à Vincentio Kadłubkone non postremas laudes meritus.

XI.

VERNERUS PORAITA

PRecibûs Canonicorum cogi debuit, Vir ab omni ambitione alienus, ut onus Episcopi susciperet: à Janislao Gnesnensi Archi Præsule confirmatus Lovicii 1156. *Długossius Lib. V.* Lanciciæ consecratum scribit. Hic ut minimum vitaret censuram, quæ jam Ecclesiasticos vexare cæperat, ad custodiam virtutum, quibûs egregiè ornatus erat, actionum suarum testes, viros probatos & Religiosos adhibebat: & iis quandoq; administris in corpus sæviebat, & spiritui subjugabat.

Dum sibi Vernerus suoq; gregi invigilat, Bolesta Castellanus Visnensis, familiâ potens & opibûs, pagum Karsko Ecclesiæ Plocensi per vim eripuit: admonuit paternè iniquum hominem injuriæ Præsul, & cùm nihil proficeret, injus evocavit, causamq; obtinuit, & in possessionem villæ restitutus est. Æquitas causæ & prædium adjudicatum læsit violentum & avarum Dynastam, quare contumeliîs & minis in mansvetum Antistitem non contentus, in vitam insidias moliri cæpit: dedecus suum non aliter nisi nece Verneri ulturus. Erat illi cum finitimis Prussis non modica consvetudo & familiaritas: qui cùm non pauci hospitii gratiâ ad eum convenissent, acceptos lautè & benè potos nocte intempesta ad interficiendum Episcopum, qui tum ad villam suam Biskupice venerat, cum Bienassio fratre suo germano expedivit. Jussis fecerunt satis homines temulenti effractisq; portîs Episcopum dormientem, & Religiosum Ordinis D. Benedicti itineris & quietis socium obtruncârunt. Delituit per eum tumultum sub lecto

lecto Episcopi puer cubicularius, qui postmodum sceleris & necis authores prodidit.

Re tam atroci cognita Petrus III. Archiepiscopus Gnesnensis communicato cum aliis Præsulibus consiliô toti Provinciæ sacris interdixit *Vide L. I. p. 53.* Crudelitate facti motus quoq; Boleslaus Crispus Bolestam comprehendi, ac ex vinculis causâ suo in judicio dicere, & cùm scelus negare non auderet, condemnatum, in foro Gnesnensi exstructô rogô comburi jussit. Bieniassius verò à die patrati sceleris nusquam comparuit, creditumq; est eum terræ hiatu absorptum, meritum Deo supplicium pro nece S. Præsulis eluisse. (b) Verneri corpus Plociam delatum 1172. (ut scribit Łubienski in Vitis Episc: Plocen:) in Basilica Plocensi sepultum, annô eodem cruentæ necis.

XII.

LUPUS

De Stemmate Godziemba vide p. 22.

CRudele fatum optimi Pastoris gemitu & lachrimîs cum tota Diæcesi prosecuti Canonici convenerunt pro die indicta electioni novi Pontificis: & persolutis denuo justis Vernero, cùm Nicolaus & Martinus Canonici favori eligentium renunciassent, Lupus Plocensis Custos electus, Boleslaô Crispô assentiente, à Petro Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus, ac Uniejoviæ consecratus est. Vir in multis moderatus, sed ad iracundiam proclivior, rei familiari & opibus augendis intentus: pro bono tamen Ecclesiæ egit non pauca. Scribitur à Długossio obiisse 1179. Cromerus eundem asserit 1180 ad fuisse Comitiis Lanciciæ per Casimirum Justum celebratis & Synodo Provinciali, & cum aliis Præsulibus in invasores raptores bonorum Ecclesiasticorum legem & anathema tulisse. *Vide p. 19.*

XIII.

(b) *Dlugossius Lib: V.*

XIII.
VITUS
De Stemmate Janina

In campo rubro scutum est purpurei coloris.

ELectioni illius cùm subscripsisset Casimirus Justus supremus Monarcha Poloniæ, in Ecclesia Gnesnensi à loci illius Archiepiscopo consecratus est. Magnarum ditionum Dominus, quarum Sacrum Præmonstratensium Ordinem, & in illo Christum hæredem scripsit. Alterum jam fluebat sæculum à suscepta Christi fide in Polonia, quo nativi Poloni Diæcesibus præfecti commissum in omni pietate instruebant gregem. Polona verò juventus ut suo tempore aptior foret Ecclesiarum obsequio, sacris & profanis literis in variis locis Regni hujus curâ Præsulum excolebat indolem: plurimi tamen, præsertim quorum sors erat pingvior, ut severioribûs scientiis expolirentur, Patrium mutabant solum. Ivit & Vitus extra Poloniam: & cùm Parisiis studiis daret operam, animum concepit ad Præmonstratensium Canonicorum Religionem. Redux in Patriam non exiguarum facultatum successor & hæres, quos Parisiis adamavit, eosdem in Poloniam invitavit, & in tribus locis fundavit.

Primò Busci in Diæcesi Cracoviensi cum Fratre suo Derslao Sandomiriensi Palatino, Præfecto Cracoviensi: fundationem hanc auxit & Fulco Cracoviensis Antistes, eiq; Ecclesiam Parochialem & nonnullas decimas attribuit. Et quia temporibûs Boleslai Pudici, Scythis, Ducibus Nogaio & Celebuga vastantibûs Poloniam: *Vide L. I. p. 290.* Ibramoviense ab Ivone Cracoviensi Episcopo, Krzyzanovicense à Lescone Albo, juxta plures à Boleslao Pudico condita Præmonstratensis Instituti cænobia, eodem malô correpta in extremam abiêrunt ruinam, nec è suis ruderibus assurgere pote-

poterant, Ladislaus Jagello 1415. cum consensu Joannis XXIII, Petri Herini Generalis, Deo dicatas Virgines Buscum (quæ civitas securior videbatur) transtulit, viris Religiosis in loco relictis, Ibramoviense tamen antiquis possessoribus restitutum est. *Kraszewski Abbas Vitoviensis in Vitis sui Ordinis Part. II.*

Fundavit item Religiosos Præmonstratenses, tum Religiosas Virgines ejusdem Instituti Plociæ. Stanislaus Łubienski in Vitis Episcoporum Plocensium, dùm eam Viti hujus liberalitatem describit, asserit factam fuisse ex bonis Episcopalibus. Liber illius ubi in lucem prodiit, Adalbertus Tolibowski Plocensis Præpositus, qui postmodum Diæcesim Posnaniensem rexit Præsul, coram Actis ea de re questus est, ex primis cænobii documentis contrarium deducens. *Idem ibidem.*

Demum Vitoviæ in Palatinatu Siradiensi, Archidiæcesi Gnesnensi. Annus 1179, Casimirô Justô Crivousti Filiô post pulsum Miecislaum Senem moderante Poloniam, primus fuit fundationis hujus pro Sancti monialibus & Religiosis Canonicis ad spiritualia earum obsequia. Ut Virginibûs sic Viris sanctitate insignibus eminebat locus hic ad annum 1241, quo in publica variarum Provinciarum calamitate, Tartaris in obvia quæque sævientibûs Vitovia quoq; illorum furorem experta est. In victimam cælo Deo dicatæ Virgines cæsæ, & dum in membra trucidatarum immaniùs sæviret barbaries, in corde unius, cui nomen Monica, mysterium Nativitatis Christi non sine admiratione spectavit: minimè tamen emollita rabies hoc spectaculô, dum non haberet, in quem ferociret, in ædes furorem exercuit, easq; solo æquavit. Tres ex Religiosarum numero vitârunt rabiem sylva vicina eas protegente. Diutius illæ in quadam convalle delituere (quæ in hunc usq; diem Vallis Virginea dicitur) & quia non erat, ubi subsisterent, vagabantur per sylvam ab ipsis feris cultam, aut earum pabulum futuræ, aut fame perituræ. Acci-

Accidit interea, ut Derslaus Viti Fundatoris frater per eam sylvam iter agens in hanc errabundam triadem inciderit; Buscum eas devexit, authorq; fuit Abbati, ut relictô Virginibus Buscensi, tanquam securiori cænobiô, Vitoviam elegerit. Refecit ille loci rudera, & in commodam, quantam tempus permisit, redegit formam. Præter corpora illarum Virginum Martyrum abundat Vitoviensis Ecclesia plurium, qui religiosam vitam sanctô terminârunt exitu. Hi suæ cum Beatis lætitiæ non unum dedere testimonium: nam ut loci annales perhibent, à nonnullis Canonicis sæpius de nocte videbatur per ambitum Religiosæ domûs longum procedentium agmen pie defunctorum Præmonstratensium, audiebanturq; eorum cantus: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Kraszewski locô citatô.

Sunt & alia liberalitatis Viti hujus monumenta, quæ grata suo Antistiti Plocensis Ecclesia conservat. Annis viginti septem (ut annotat Łubienski) rexit Diæcesim: Anno à partu Virginis 1206. in humanis esse desiit. Testimoniô ejusdem Łubienscii: *Literis divinis & humanis præclarè eruditus, virtutum omnium studiosissimus, singulari pietate fulgens, ac ardenti in Deum amore fervens.*

XIV.

GOSLAUS

De Stemmate Gryphium.

EX Scholastico Plocensi electus, probante Conrado Duce Mazoviæ, à Henrico Kietlicio Antistite Gnesnensi Gnesnæ in Episcopum consecratus, tranquillam per annos aliquot moderebatur Diæcesim cum summo populi commissi fructu. Conradus, Mazoviæ Princeps, juvenis eam regebat Provinciam felix victorq; de finitimis ditioni suæ Prussis virtute & consiliis Christini Palatini Plocensis prudentis & bellicosi; sed ubi eundem Christinum assentatorum instinctu e vivis sustulisset *Vide p. 23.* ut Mazovia, ita Plocensis Regio à Prussis vastata est. Hi enim restitutis viribûs, & auctis omni armorum genere, irruptionem in Mazoviam adornârunt, maximisq; eam affecere injuriis, ferrô & igne sævientes. Præter 250. Ecclesias sacrilega manu exustas, & earum supellectilem in spolio abreptam, Plocia civitas in favillam abiit. Arx licet in eminenti loco sita, & Cathedralis Basilica cum aureo, argenteo, totoq; suo apparatu absumpta est. Plura & continua fere quotannis damna patiebatur Conradus: amiserat Culmensem & Michałoviensem tractum, quem Prussi per proditionem ejus loci Palatini, puellæ cujusdam Prussæ amore capti, sui juris fecerunt. *Hist: Pruss: L. I.*

Tanto barbarorum furori cùm impar viribûs esset Conradus, nonnullos Poloniæ Duces ad opponendam vim invitavit: quorum societate latrocinia Prussorum compescuit, Culmensi & Lubaviensi terra in suam potestatem redacta: ibiq; Christinum, qui fidem Christi, & mitiora barbaris svaderet, assignato eidem proventu annuo, Culmensem Episcopum designavit. In eum & Goslaus Episcopus liberalis exstitit; nam toto Canonicorum Plocensium Collegiô assentiente Tarnoniam, (Łubienski Tarnoviam scribit) quæ nuncTorunium dicitur, & Papoviam cum omnibus pagis & prædiis, item jus omne Ecclesiasticum, quod habebat in ditione Culmensi eidem novo Præsuli adjecit. (c) His, & aliis plurimis optimè peractis, post septemdecem annorum regimen Goslaus, (Gedeon etiam à Łubienscio vocatur) anno 1223. sanctè obiit: in Ecclesia Cathedrali per se innovata sepultus. Ejus precibus & lachrymis Christinus Palatinus suas victorias ad scribebat, Mazovia pacem integram.

(c) Łubienski in Vitis Episc. Plocensi.

XV.

JOANNES I.

De Stemmate Gozdawa. Vide p. 195.

DIssensio inter Canonicos, qui in ellectione divisi suum quisq; tuebatur electum, in causa fuit, ut Sedes hæc toto biennio vacaret. Arrogabat quidem jurisdictionem Gunterus ab aliquibus electus, sed nullus erat, qui munus indebite usurpanti obediret. Tandem abrogata priori electione, in Joannem Canonicum Plocensem consenserunt, quem Vincentius Archi Præsul confirmavit & consecravit. Vir erat vitæ modestæ, prudentiæ singularis, sed ætatis provectæ, doloribusq; podagricis continuis obnoxiæ; quare ob adversam valetudinem minùs idoneus: bienniô tantùm præfuit, anno 1227. domo sua rite ordinatâ, munitus Sacramentis decessit, in Ecclesia Plocensi honorem sepulturæ nactus.

XVI.

GUNTERUS

De Familia Prussorum.

IN electione post fata Goslai non postremas partes Gunterus hic sortitus erat; sed cùm illis causa boni publici cessisset, hac suâ modestiâ omnium vota post obitum Joannis obtinuit. Electum læto animo accepit Conradus, Vincentius Archiepiscopus confirmavit, & Gnesnæ consecravit. Vir plane eo honore dignus, & tam ad munia Episcopi obeunda, quàm ad bella gerenda idoneus. Is cum videret Diæcesim & Mazoviam à Pruthenis impune vastari, innoxios homines cædi, aliosq; sexumq; imbellem in servitutem abduci, eaq; omnia Conrado minime ulciscente, fieri; defendendum Episcopatum, & gregem sibi commissum suscepit. Levioribus

ribûs præliis coercitâ Prussorum insolentiâ, castrum Dzierzgow, ex quo illi prædas acturi excurrebant, & ubi captos Christianos detinebant, expugnatô, cæsôq; Pruthenorum præsidiô, cepit. Sed cùm Antistitis hi præclari ausus ad arcendam hostium rabiem non sufficerent, author fuit Conrado Duci, ut milites Teutonicos non ita pridem è Syria a Saracenis ejectos, missô ad Gregorium IX. Christiano, Episcopo Culmensi, acciret, ac fœdus cum illis iniret, quorum auxiliô ditiones defenderet. Ad vota Conradi & Gunteri legatio hæc per Christinum peracta: fœdus consignatum: *Vide Lib: IV. in Episcopatu Culmensi.* Brevi postmodum Gunterus ivit Romam, & Viennæ in Austria humanis excessit 1232, ibidem peregrinam (ut scribit Długossius) nactus sepulturam.

XVII.

PETRUS I.

De Stemmate Połkozic. Vide p. 58.

UT certa de obitu Gunteri fama pervenit Plociam, Canonici die S. Laurentio M. sacra congregati, viâ scrutinii Petrum dictum Romanum (nomen hoc adeptus erat à frequenti Romam ad limina Apostolorum peregrinatione) natione Polonum elegerunt. Vitæ probitas, gravitas morum, sermonis modestia, svavis & jucunda conversatio, lingvarum notitiæ, quam in peragratis variis nationibus quæsiverat, ad dignitatem hanc ut elevaretur, fuit motivum & calculus. In Præsulem consecratus multa egit pro immunitate Ecclesiastica: in Comitiis Siradiensibus, quibus Conradus Dux præfuit Fulcone Antistite Gnesnensi præsente (d) obtinuit, ut publicô Comitiorum decretô Ecclesia Plocensis cum suo Clero ab omnibus oneribus, tributis quibusvis, & stativis militaribus esset libera. Ita de sua Diæ-

(d) Lubienski in Vitis Episc: Plocen:

Diæcesi meritus pro præmio laborum abiit 1238. in Ecclesia Plocensi sepultus.

XVIII.

ANDREAS I.

De Stemmate Gryphium.

MArci Palatini Cracoviensis Filius, Goslai Episcopi Plocensis, & Clementis Castellani Cracoviensis, Conditoris Staniątcensis cænobii nepos; ex Scholastico Cracoviensi, Plocensi Canonico die 1. Augusti omnium sententiis Episcopus denunciatus est. Annuit Conradus Dux electioni tanti Viri, & Fulco Archiepiscopus Gnesnensis munus facile confirmavit, & Andream consecravit. Præsul ut magni sangvinis, sic non exiguarum facultatum, quarum hæredem exemplô Clementis Patrui sui Christum hæredem scripsit.

Clemens, cùm sua Filia unica Visenna mundo, ejusq; illecebris nuncium remisisset, ejus dotem & bona sua cum piissima Conjuge Racława in familiam Christi disposuit: & Staniątciis (locus est non adeo Cracoviâ dissitus) Deodicatis Virginibus Ordinis D. Benedicti monasterium fundavit. De hoc cænobio rem singularem exprobatis Authoribus annotavit *Niesiecki Tom: I.* Pro eo, & templo ædificando cùm lignorum, lapidum, laterum omnis apparatus devectus esset, universus in hunc locum, in quo nunc extat, nullo hominum & jumentorum adminiculô translatus est. Huic Clemnenti postmodum ultra spem cùm natus esset Filius, Visenna Antistes Staniątcensis, ut fratrem de sacro levaret fonte, invitata, & de nomine infanti dando interrogata, *Dziutrek* seu *adcrastinus* ut diceretur, respondit. Visennæ vocem fatidicam fuisse eventus probavit; nam infans baptizatus die posterâ mortuus est.

Patrui sui liberalitatem æmulatus Andreas, eidem cænobio facultates suas perpetuis tabulis inscripsit.

psit. Cum Ivone Episcopo Cracoviensi adhuc Canonicus itineris comes ivit Romam, & cùm rediens in Patriam Burgis non procul Mutinâ e vivis excessisset Ivo, Andreas à Gregorio IX. (ut scribit *Dlugossius L. VI.*) in Cracoviensi Sede ejus Successor designatus est. Sed Vislaus à Capitulo electus, electione & favore Henrici Barbati potentior in suam partem flexit Curiam Romanam, Andreas verò juri suo cessit, postmodum in Episcopum Plocensem institutus.

Illo Ecclesiam Plocensem moderante Conradus Dux Mazoviæ Joannem Czapla Vladislaviensem, Plocensem Scholasticum Ducatus sui Cancellarium crudeli morte & ausu sacrilego e vivis sustulit. Joannes hic à Conrado Duce Patre datus erat Custos & moderator Casimiro Filio adolescenti, qui Vratislaviam ad Henricum Barbatum pro invisenda sponsa, ejusdem Henrici Nepte profectus erat: ubi cùm longius moratus esset, Conradus, qui de Henrico male se meritum meminerat, & cui fidem datam sæpius fregerat, in eam suspicionem venit, quasi Filius cum Barbato in suam perniciem consilia moliretur authore Czapla: quem revocatum causâ non cognitâ in carcerem conjecit, ac mox quæstionibus subjectum, eodem furore egit in patibulum: quæ res quanta crudelitate acta & tractata fuerit? describit *Cromerus & Dlugossius Lib: VI.*

Joannis cadaver cùm PP. Ord: Prædicatorum quos non ita pridem Conradus Plociæ locaverat, deposuissent, & Christiano ritu funus deducerent, Agacia Conradi uxor crimini mariti suffragata, ereptum & in plaustro duobûs bobûs, quô major esset contumelia, vectum, infami ligno ad id ex tempore ad ædes ipsas Patrum erecto iterum appendi jussit. Minîs & furore fæminæ Patres haud territi, idem denuo tulerunt, & justâ sepulturâ adornârunt. *Lubienski in Vitis Episc: Ploc:*

Facinus Conradi & patratum in Sacerdotem Dei sacri-

sacrilegum homicidium Andreas Præsul sibi & Ecclesiæ metuens cùm punire non auderet, Fulco Archiepiscopus Gnesnensis censuris Ecclesiasticis in Conradum animadvertit, totiq; Diœcesi Plocensi sacris interdixit. Excanduit ad factum Archipræsulis Conradus, sed sibi redditus, agnovit culpam, & ad Archiepiscopum ita mandantem venit Lanciciam, ac de admisso scelere Archipræsuli satisfecit. *Vide L. I. p. 58.* Vladislaviensi item & Plocensi Ecclesiis multa largitus est. Atq; ita Archiepiscopus interdictum relaxavit, Conradus quoq; per delegatos à Gregoriô IX. absolutus est: postquam ea quæ Gnesnensi, Vladislaviensi & Plocensi Ecclesiis donaverat, simul cum Filiis confirmâsset.

Conrado brevi defuncto successit in Mazovia Boleslaus Filius, apud hunc Andreas impetravit privilegium, quo idem Dux Ecclesiæ Plocensi censum donabat in perpetuum, quem annis singulis titulô Pułtoviensis tractûs Ducibus Mazoviæ antiquô institutô pendere tenebatur, videlicet, boves sex, arietes totidem, & sex urnas mellis. Obiit Andreas 1249. die 17. Januarii, in Ecclesia Plocensi sepultus.

XIX.

PETRUS II. DICTUS BREVIS

PArvum hunc corporis figura, sed animi magnitudine præstantem sortita est Præsulem Plocensis Ecclesia: quo genere ortus? incertum; sed nobili indole, & elegantioris litteraturæ scientiâ facile obtinuit, ut ex Plocensi Scholastico Episcopus denunciatus esset: Ducibus ipsis Mazoviæ lætis & postulantibûs à Fulcone Archiepiscopo Calissii confirmatus & consecratus est. Non diu tamen Ecclesiæ præfuit; quintô à suscepto Pontificatûs annô colicæ doloribûs extinctus est 1254. Plociæ sepultus.

XX.

XX.

ANDREAS II. CIOŁEK
De Familia Vitelliorum.

IN electione novi Antistitis divisum erat Capitulum, aliis hunc Andream, aliis alios eligentibûs. Andreas, ut erat ingeniô acer, usu ad res tractandas præstans, effecit, ne electi jus suum urgerent, sed potius illi sua deferrent suffragia. His potitus faventibûs Mazoviæ Ducibûs ac commendantibûs à Fulcone Archiepiscopo & confirmationem obtinuit, & in Episcopum consecrari meruit. Ut Vir erat magni animi, ita in defendendis Ecclesiæ suæ juribus strenui & imperterriti. Sex annis rexit Ecclesiam, mortuus 1260.

XXI.

PETRUS III. DICTUS NIEDICH
De Familia Vitelliorum.

OMnium studiis ad dignitatem Pontificiam elevatus, à Joanne Archiepiscopo Gnesnæ consecratus est. Corruptos Clericorum mores, qui sæcularibus erant scandalo, magnô studiô dum corrigit, suiq; officii & vitæ modestæ, qua cæteris prælucerent, eosdem admonet, & in id vigili cura incumbit, annis & morbis fractus, tertiô à suscepto Episcopatu annô, domo sua optime disposita 1263. mortuus est.

XXII.

THOMAS DICTUS TOMKA
De Familia Prussorum.

ADvertebant Plocenses Canonici electiones suas promotione Ducum Mazoviæ fieri: hæserunt aliquamdiu, rati interpositâ morâ posse tepescere cupiditatem; cùm tamen sine Pastore esse non possent, tacitè

P 2 inter

inter se condicto die, ne Principum importunis turbarentur precibûs, factô compromissô, certis ex se lectis, qui novum Episcopum dicerent, commiserunt. Verùm licet tam caute processissent, vitare non poterant, quin ad aulæ favorem electio inclinaret. Thomas itaq; Canonicus Plocensis, Mazoviæ Cancellarius Episcopatum consecutus est: & à Joanne Gnesnensi Antistite confirmatus ac consecratus.

Accessit eo tempore Ecclesiæ Plocensi dos non parva. Sara Marcussii nobilis Filia moriens bona sua Piaski ultima voluntate eidem Ecclesiæ jure perpetuo donavit. Longa quoq; inter Culmensem & Plocensem Episcopos controversia arbitriô Vladislaviensis Antistitis & Magistri Crucigerorum sublata est. Culmensis Episcopus pagum Orzechowo ac trecenta jugera in culti adhuc agri in territorio Lubaviensi pro decimis & possessionibus, quas Culmensis vendicabat, præter illas, quas Prædecessores Thomæ Culmensi Ecclesiæ donavêrant, dare jussus. Quanquam sub ejus Successore Gedeone 1278. aliter constitutum est; videlicet, ut Plocensis Antistes redditis Culmensi illis trecentis in terra Lubaviensi jugeribûs, contentus esset finibûs terræ Dobrinensis ab eo fonte, ex quo fluvius Drvenca primum ortum habet, & terram Culmensem à Dobrinensi disterminat, ut quid quid in terra Dobrinensi contineretur, unà cum ripa utraq; ejusdem fluvii juris esset Episcoporum Plocensium. Hujus compositionis habentur privilegia in ærario Ecclesiæ Plocensis. Octo annis Diæcesim rexit Thomas & optime de ea meritus 1270 obiit.

XXIII.

GEDEON

De Stemmate Gryphium.

ET hunc aula Ducum Mazoviæ Plociæ dedit Episcopum.

Plures cognatos numerabat ille apud prædictos Principes, qui suum affinem promovebant in Capitulo. Et quia nihil obstabat aliunde benè merito Gedeoni, facile vota Canonicorum obtinuit. Gnesnensis tum post obitum Joannis vacabat Metropolis; quare Romam perrexit Gedeon, ubi cùm idoneus ad regendam Diæcesim apparuisset, confirmatus & consecratus est.

Redux Clerum ad omnem modestiam composuit: Ecclesiam Plocensem aureis argenteisq; calicibûs, ac pretiosa supellectili abunde cumulavit, omnemq; toto Episcopatus sui tempore curam impendit, ut adornatam omni splendore sponsam suam, parem aliis Cathedralibus efficeret. Sic decori Ecclesiæ intentum mors invidit, quæ eum atroci dolore calculi 1296. e vivis sustulit.

XXIV.

JOANNES II.

De Stemmate Prawdzic vide p. 112.

SÆcularium & Ecclesiasticorum amor, favor Ducum Mazoviæ, quem abunde Joannes meruerat, erat motivum Canonicis, ut eum ex Plocensi Canonico Episcopum voluerint. Electus applaudentibûs Mazoviæ Ducibûs à Jacobo Swinka Archipræsule confirmatus & consecratus est. Præsul devotionis & contemplationis assiduæ: & qui totum se Deo consecraverat, Clerum præcipue similem sibi voluit, illum arctiori disciplina Ecclesiastica coërcuit, & ad omnem morum honestatem composuit. Quatuordecem annis cum laude Episcopatu administrato 1310. ad immortalem vitam transiit. Ut Petrus II. ab exigua statura parvus, sic hic à corpore procero Joannes Altus dictus est: *Dlugossius Lib: VIII.*

XXV.

JOANNES III. NAŁĘCZ

Fasciâ pro Stemmate insignis.

IN hujus electione divisum erat Capitulum, sed majori parte prævalente Joannes renunciatus est. Vir doctus negotiorum Reipublicæ tractandorum peritus; non defuit suæ Ecclesiæ, in cujus bonum multa cæpit & perfecit. In vitam delicatiorem propensior fuisse scribitur. Conditô testamentô, Sacramentis munitus obiit 1318.

XXVI.

FLORIANUS LASCARY

De Stemmate Ogonczyk vide p. 140.

EX Vladislaviensi & Plocensi Canonico inauguratus Præsul à Joanne Archiepiscopo consecratus, Vir humanis & divinis litteris affatim excultus, maturitate & morum modestiâ commendatus. Pułtoviæ, quod oppidum arce & castrô nobile à primis diebus fundati Episcopatûs Castellaniæ nomine vocabatur, quia locum medium Diæcesis universæ obtinuerat, ut omnibus præsto esset, Episcoporum domicilium primus posuit. Annis prope 16. in regimine gloriose exactis, colicæ dolore extinctus est 1334. Corpus Plociam delatum, communi Præsulum sepulturâ donatum est.

XXVII.

CLEMENS PIERZCHAŁA

De Stemmate Roch

Latrunculus est coloris nigri, similis illi, qui in lusu latrunculorum adhiberi solet.

OMnium votô Floriano in Sede Plocensi successit. Casimirus Magnus, qui Ladislao Loctico Parenti successerat, supremam jurisdictionem in Duces Mazoviæ repetebat, *Vide p. 204.* eam & in Præsules Plocenses ambiebat & exigebat: ut hi eligerentur illo conscio & consentiente; quare Clemens plurimam difficultatem in confirmatione sui apud Archiepiscopum Gnesnensem expertus est. Tandem precibûs expugnatô Casimirô & assentiente consecratus, vixit in Pontificatu annos 20, plurimisq; beneficiis suam Ecclesiam adornavit. Vivere desiit 1358.

XXVIII.

BERNARDUS

De Gente Novinarum.

CAnonici Plocenses, inter quos primas tum partes obtinebant: Sbilutus Præpositus, Joannes Decanus, Nicolaus Primicerius, statim à morte Clementis ad electionem novi Antistitis accesserunt, & die 7. Aprilis Janislaum Wronski Præpositum S. Michaëlis in Arce Cracoviensi, Canonicum Plocensem consensu legitimo Episcopum renunciârunt. Electioni Janislai favit Rex Casimirus & Dux Siemovitus, & Jaroslaus Gnesnensis Archipræsul rite electum confirmavit & consecravit.

Interea Plociam allata Innocentii VI. bulla, qua universæ Diæcesi significabatur Bernardus Ordinis Prædicatorum à summo Pontifice institutus esse Plocensis Præsul. Ea res summopere commovit Capitulum, Siemovitum vero Ducem & Casimirum Regem Poloniæ offendit plurimum. Indigena equidem erat Bernardus, sed Parentis crimen eidem inhæserat. Præerat ille præsidio Sandomiriensis urbis, sed hostibus Regiis arcem & civitatem prodidit; unde proditionis convictus, crimine læsæ Majestatis in judicio succubuerat, decretoq; Regio, Senatûs & Statuum, Patri, filio huic Bernardo illorumq; Successoribus aqua & igni

gni interdictum erat. Quare Bernardi ProcuratorDiæcesi & Polonia excesse jussus, ipsi quoq; Bernardo in eam aditus prohibitus est. *Lubienski in Vitis Episc: Ploc:*

Jus suum ad Episcopatum Bernardus læsum querebatur, & qui fatis rem permittere debuit, eam ille fortiter in Romana curiâ promovebat: querelis dedit aurem Papa, & censuris Janislaum, tum eos qui eundem elegerant, tum Archiepiscopum Gnesnensem compellebat, ut à se provisus & ordinatus Bernardus ad possessionem Episcopatus admitteretur. Vicissim Dux Mazoviæ & Rex Casimirus hostem Patriæ in Sacrum Senatum adsciscí non permittebat. Septennium integrum ea duravit controversia, Innocentiô Bernardum, Janislaum Siemovitô & Casimirô tuentibûs.

Magna erat in Christiana Republica Casimiri authoritas, augebat ejus dignitatem, præter victorias multis de hostibus partas, affinitas contracta cum præcipuis Europæ Principibus. Itaq; cùm pro utraq; parte diversa allegarentur; ad cognoscendam causam Papa Franciscum Gambara S. Marci Cardinalem Presbyterum misit: qui re bene discussa, ea, quæ Bernardo objiciebantur, vera esse retulit. Quare Summus Pontifex datis litteris II Idus Augusti in loco, qui villa nova vocatur Avenionensis Diæcesis censuras omnes Ecclesiasticas, quæ ex postulato Bernardi latæ fuerant, suspendit, negotiumq; dedit Archiepiscopo Gnesnensi, Vladislaviensi, & Posnaniensi, Præsulibus, ut hanc ipsam suspensionem censurarum publicarent, & Clericos Diæcesis Plocensis à sententiis latis absolverent. *Lubienski locô citatô.*

XXIX.

JANISLAUS WRONSKI

De Stemmate Kościesza

In campo rubro sagitta est erecto acumine ad medium divisa, in quo medio, signum crucis præfert.

POstquam ambitio canonice & legitimè quæsito juri cessit, & Bernardus potentiam Casimiri veritus, nihil ultra auderet; Janislaus septimô ab electione sui annô Sedem Plocensem adiit. Diminutam opibûs reperit, omnes enim proventus lis tot annorum consumpserat; præterea stante contentione cùm certus, cui obediretur, non esset, plurima in Diæcesim irrepserunt. Omnia hæc Janislaus ad meliorem statum reducere curavit. Hanc tamen injuriam fecit, quòd annô & sex mensibûs tantùm Plocensi Ecclesiæ præfuerit. Obiit magno omnium dolore 1367. Sepulchro in Ecclesia Cathedrali eam laudem intulit. Quod Ecclesiæ jurium defensor diceretur, & haberetur.

XXX.

NICOLAUS de GULCZEWO

De Stemmate Prawdzic *vide p. 112.*

FElices Parentes, nec minùs Domum fortunatam, quæ tres Præsules ordine non interrupto Plocensi dedit Ecclesiæ. Nicolaus major natu præivit Fratribus arcanô scrutinô electus; ne ambitioni locum & tempus relinqueret, ad Urbanum V. se contulit, atq; electionis suæ confirmatione obtenta, ejusdem mandatô à Cardinale Ostiensi consecratus est. Negotiorum causâ suæ Ecclesiæ longiorem moram trahere debuit, redux non diu supervixit; altero suscepti Episcopatûs annô podagræ doloribûs 1369. e vivis sublatus.

XXXI.

STANISLAUS I. de GULCZEWO

De Stemmate Prawdzic *vide p. 112.*

NIcolao Fratri Frater Stanislaus successit, Vir eruditus & singulari prudentiâ præditus, pietate in Deum, in egenos munificentiâ insignis: ex eoq; visus

cun-

cunctis idoneus, qui temporalem & spiritualem jurisdictionem exerceret. Ex Præposito Vladislaviensi & Canonico Plocensi cunctorum suffragiis ad Pontificiam dignitatem evectus, Fratris exemplô electionem suam Romana approbatione confirmatam voluit. Præsul consecratus ubi ad Diœcesim rediit, de vita optime gesta nihil diminuit, omnesq; probos, id est sibi similes curavit. Biennio & hic tantùm præfuit. 1371. mortuus.

XXXII.

DOBIESLAUS de GULCZEWO.

De Stemmate Prawdzic vide p. 112.

CUm bini ex una Familia, iisdemq; Parentibûs nati optime Sedi Plocensi præfuissent, & tertius eorum germanus inter Plocenses Canonicos superstes esset, vel ipsa rei novitas eos permovit, ut duobus Fratribus tertium subrogarent: Hic itaq; Dobieslaus post Stanislai decessum statim electus est. Accessit votis Capituli Ducum Mazoviæ favor, quorum, postulatis Metropolitanus Gnesnensis electum consecravit.

Dum suis Præsulibus, frequenti eorum intercedente obitu, præcipue lite exorta inter Bernardum & Janislaum privata esset Plocensis Ecclesia, evenit, ut cupiditate variorum & bona Episcopatûs usurparentur, & jus decimarum interverteretur, nullumq; aut exiguum esset. Hanc injuriam Ecclesiæ non tulit Dobieslaus: negligentia suorum Prædecessorum amissa recuperavit, temere occupata jure vindicavit. Universa Dobrinensis Terra Duce Opoliensi, & Dobrinensi Ladislao disponente, suo Præsuli negabat decimas, renitentes paterne admonuit Antistes, sed cùm nihil profecisset, Ducem cum suis Officialibus cætu fidelium privavit, & loca, ubi morarentur, interdicto subjecit. Terruit fulmen Ecclesiæ Ladislaum, & cùm tempore Paschali denegata illi esset sacra communio, Joanni Gne-

Gnesnensi Archiepiscopo supplex absolvi à censuris petiit, & satisfactionem pollicitus est. Absolutus, conventu in castro Złotoria habito, cùm Dobieslaum in repetendis decimis constantem vidit, injuriam omnem compensavit. (a) Dum plura pro sua Ecclesia intenderet, Pułtovià Plociam proficiscens apoplexià tactus die 3. Septembris 1381. juxta Długossium, juxta Niesieccium 1379. extinctus est, ad mortem non imparatus, qui totam vitam ad eam feliciter obeundam disposuit.

XXXIII.

STIBORIUS I. de RADZIMINO

De Stemmate Ostoia.

Duæ sunt lunæ crescentes coloris aurei in campo rubro, tergô ad se conversæ, & gladius in earum medio.

HUnc Aula Ducum Mazoviæ fovit, & ad Infulas promovit. Siemovitus & Janussius Duces ut intellexerunt Dobieslaum è vivis abiisse, tantopere electionem Stiborii urgebant, ut nec spatium dederint, quo se Canonici colligerent. Illis itaq; Authoribus, Stiborius electus, illis quoq; adnitentibûs Gnesnæ 18. Decembris à Joanne Archiepiscopo consecratus est. Advertit Stiborius promotionem suam acceleratam, exindeq; metuebat, ne in controversiam in Curia Romana vocaretur; quare Romam ivit, & ab Urbano VI. confirmationem obtinuit. In defendendis juribus Ecclesiæ suæ erat segnior; cùm, ut scribit *Lubienski* juri decimarum in Terra Dobrinensi in perpetuum cessit, & quid Nobilitas Ecclesiæ suæ pendere deberet, composuit & constituit. In villa hæreditaria Radzimino Ecclesiam struxit de cocto latere, consecravit, varioq; ditavit apparatu. Anno 1390. obiit.

XXXIV.

(a) *Długossius Lib: X.*

XXXIV.

HENRICUS I. DUX MAZOVIÆ

REgum Poloniæ ſangvine ortos Duces Mazoviæ eò traxit ambitio, ut cum in multas ſtirpes crevisſent, non contenti ampliſſimis ditionibûs, Eccleſiaſtico pane nutriri appetierint. Erat Henricus Siemovito Duci Mazoviæ Filius, & ne ambigeret, quem ſtatum vitæ ſuſcepturus eſſet, juvenem admodum Subdiaconum ordinari procuravit, ac defunctoStiborio ut ſubrogaretur, magna contentione flagitavit. Non erat integrum Canonicis, eum, qui jam eſſet majoribûs Ordinibûs initiatus, & qui genus ex ſangvine Regum Poloniæ, Eccleſiæ Plocenſis Conditorum duceret, aſpernari. Illum itaq; electione rite inſtituta Epiſcopum eligunt, & Bonifacio IX. confirmandum proponunt. Nec Pontifex aliquam moram interpoſuit in ejus confirmatione: ſed Henricus aliud volvens animô, toto biennio, quo Eccleſiæ præfuit, ordinationem ulteriorem & conſecrationem differebat: tandem legatione fungens apud Vitoldum Lithvaniæ Ducem obiit. Plociæ inter Duces Mazoviæ ſepultus. *Vide Lubienſki.*

XXXV.

MAMPHIOLUS ITALUS

QUia Henricus, non ut Antiſtitem decebat, vixit, Bonifacius metuens, ne ea res aliis exemplô eſſet, non admiſſa electione Cleri Plocenſis, hunc Mamphiolum Italum, ſuum affinem, Plocenſem Epiſcopum conſecravit, eumq; ut Epiſcopatus poſſeſſionem adiret, commendavit Regi Poloniæ & Mazoviæ Ducibus. Sed cùm eo progreſſu Rex Poloniæ de jure ſuo detrahi inferret, ſi nutu & arbitrio Summi Pontificis Epiſcopi, iiq; externi darentur, ne id fieret, licet Bonifacius pænas & cenſuras Eccleſiaſticas ſtringeret, Rex Duceſq; Mazo-

Mazoviæ ad futurum Summum Pontificem, qui ſine Schiſmate conſtitutus eſſet, provocantes obſiſtebant. Quadriennium hac contentione conſumptum eſt: interea Mamphiolus in Epiſcopum Plocenſem conſecratus titulo ſolo dives, 1396. mortuus eſt & in celebri D. Franciſci Eccleſia, quæ ad Aram cæli dicitur ſepultus.

XXXVI.

JACOBUS I. de KURDWANOWO

De Stemmate Syrokomla vide p. 108.

INter Pontificem, & Regem Poloniæ, ac Duces Mazoviæ, totumq; Capitulum Plocenſe morte Mamphili lis videbatur finita de Sede Plocenſi, Bonifacius ut jus ſupremæ Sedis in dandis Epiſcopis tueretur, nec ſe à Principum voluntate, vel Capitulorum poſtulatis tantopere dependere oſtenderet, Jacobum Polonum, genere Nobilem, Decretorum Doctorem, ac Palatii Apoſtolici Auditorem Epiſcopum Plociæ deſignavit. Talem ab urbe miſſum, & Polonum nobilem, & eruditionis plenum Epiſcopum non licuit, nec decuit, ut vel Canonici Plocenſes, vel Duces Mazoviæ aſpernarentur. Duces aliquantum hæſerunt, ſed cùm Jacobus & perſonæ dignitatem ſecum ferret, & Apoſtolicis mandatis ac cenſuris in omnem eventum inſtructus eſſet, facile vicit, quæ obſtare poterant.

Scribit *Lubienſki in Vitis Episc: Ploc:* hunc Jacobum primis litterarum rudimentis ut cunq; excultum, prima, qua licebat, ætate, Sacerdotio initiatum, Parochum prope Cracoviam fuiſſe. Cùm videret ſe minùs idoneum ad exercendam animarum curam, quòd ſcientiâ huic rei neceſſariâ deſtitutus eſſet, ejus comparandæ vehementi ardebat deſideriô; ſed deerant impenſæ, paternæ opes, ſi quæ fuerant, fratribus ceſſerunt: Eccleſiæ proventus vix ſufficiebant victui. Igitur cùm humana deeſſent ſubſidia, ad divina confugiendum

endum sibi putavit. Quotidianis itaq; sacrificiis, & frequentibûs precibûs Deum & ejus Sacerrimam Genitricem instanter obsecrabat, ut sibi & votis suis faveret. Id cùm agit sedulò, accidit, ut die quadam templum die media solus orationis causa ingressus, ferventiùs oraret. Dum intensius preces fundit, subito conspicit in majore ara capsam jacere pecuniâ plenam: agnoscit de cælo submissum subsidium, & reserato sacco centum argenti marcas in grossis latis Pragensibus reperit. Actis Deo gratiis juri Paræciæ renunciat, ac ad celeberrimam Bononiensem Academiam studiis daturus operam properat. Jam prope trigesimum ætatis annum attigerat, sed tanta erat ingenii bonitas, ut quidquid ad discendum proponeretur, facile comprehenderet. Non multi anni erant impendendi, ut eruditonis prope divinitus acquisitæ testimonium consequeretur. Omnium approbatione Doctor Sacrorum Canonum denunciatus est. Neq; tanti Viri eruditio Bononiæ contineri potuit, Romam evocatus, Palatii Apostolici Auditor factus est: & demum eo, ut dictum, modo Pontificio honore ornatus, revisit Patriam.

Susceptum munus Episcopi ita in primordiis gessit, ut omnium oculos animosq; in se converteret. Mazoviæ Duces, Canonici, Clerus & nobilitas, universusq; populus, læti tanto Præsule, eum non tam Episcopum, quàm Patrem amabant, & reverebantur. Unde triginta annis ita Episcopatum rexit, ut omnibûs numeris absolutum Pastoris & Senatoris optimi specimen exhiberet. Ecclesiam, sponsam suam supra omnes adornavit: illi Christi Salvatoris & duodecem Apostolorum effigies justæ magnitudinis ex auro fusas, septuaginta duorum discipulorum ex puro argento fabrefactas sumptu suo comparatas donavit: auxit eandem alia supellectili aureâ & argenteâ.

Superiorum temporum Episcopi Plocenses passi erant decimam manipularem pecuniariâ, eaq; vili æstimatio-

matione quorundam privatorum cupiditate interverti: id sibi nec Ecclesiæ suæ ferendum arbitratus, nonnullis Primoribus Mazoviæ litem movit, eamq; ut erat juris peritissimus, in judicio vicit facile. Invidiam illi res hæc peperit non postremam, qui in judicio succubuerunt, minas & terrores Episcopo rem Ecclesiæ agenti intentârunt, Jacobus ne suâ præsentiâ animos exasperaret Procerum, in territorium Dobrinense recessit, & nonnulla prædia in ditione Culmensi pro sua Ecclesia quæsivit. Reversus Plociam cùm extremum diem sibi instare cerneret, domo ordinata, Sacramentis munitus meritorum & dierum plenus 1425. obiit.

XXXVII.

STANISLAUS II. PAWŁOWSKI

De Stemmate Roch vide p. 230.

POst fata Jacobi, Siemoviti Ducis Mazoviæ Patris, & Filiorum ejus Siemoviti, Ladislai & Casimiri æmulatio in eligendo Præsule divisit Capitulum; Patri in votis erat, ut Stanislaus Pawłowski Archidiaconus Plocensis, suus Cancellarius ad Episcopatum eveheretur: Filii Christinum Nieborowski Canonicum Plocensem promovebant. Ex Canonicis Christino favebant plures fortunam juvenum Principum adorantes, pauciores Senioris Ducis voluntati obsecuti Stanislaum elegerunt. Christinus non diu certandum sibi præsidio Filiorum contra Patrem ratus; Viscoviensi prædio contentus, juri electionis cessit. Itaq; Stanislaus favore Ducis Siemoviti Episcopus declaratus, à Martino V. confirmatus, de ejusdem mandato ab Adalberto Jastrzembeccio Archiepiscopo Gnesnensi consecratus est.

Fremebant juniores Duces invitis illis talem dari Episcopum, qui illis vehementer displicuerat. Erat enim ut scribit Lubienski ingenio vafer, facetus & audax,

dax, suisq; intempestivis jocis, quorum memoria in animis Principum hærere solet, præcipuos quosq; læserat, sed maximè Ducis Filios, qui vivente Patre, tacitè tantùm suas erga illum exercebant offensas: Sed anno 1426. Patre vitâ functo quod diu mente coquebant odium, diebûs expletis, in Episcopum effuderunt.

Odiorum in hunc Præsulem hæc causa & origo fuit. Siemovitus, Ladislaus & Casimirus Duces Alexandrâ, sorore germana Ladislai Jagellonis nati, adhuc vivente Patre, qua ex causa nescitur, suspicabantur se per eundem Stanislaum adhuc Mazoviæ Cancellarium in crimen læsæ Regiæ Majestatis vocatos, & ad Ladislaum Avunculum delatos fuisse. Fictumne hoc à Stanislao crimen, & utrum ad Regem delatum, quo ve authore publicatum? incompertum est. *Cromerus L. XIX.* hanc fabulam ita solvit, cum de Regis ad Comitia Lancicienſia profectionè texit historiam. Ad ea, *inquit*, Comitia Rex per Mazoviam proficiscens, Siemovitum seniorem Ducem in gratiam recepit, cùm is ipsi primum per filios, deinde per se satisfecisset, de eo, quod infimulatus erat, quasi in potestate Regis esse nollet, cui suspicioni Stanislaus Pawłowius Archidiaconus Plocensis occasionem dederat; cùm is forte anno superiori in Synodo Lancicienſi, (in qua de 20000. fl. Regi Pontificis Maximi jussu ab Ordine Ecclesiastico conferendis frustra actum est) negâsset mandatum illud Pontificium ad Plocensem Diæcesim pertinere; quod in ea, ac tota Mazovia Rex nihil prorsus jurisdictionis haberet: atq; ita de sententia Ducis, cujus erat Cancellarius, & cujus authoritate non multo post Jacobo Episcopo mortuo Plocensis Episcopus designatus erat, dixisse videbatur. Hæc *Cromerus*.

Łubienski cum Długossio motam Stanislao authoribûs Siemoviti Filiis à morte Patris litem docet. Multa erant, *inquit ille*, quæ huic Præsuli objiciebantur, quasi ille finxisset, & crimen ingens Ducibus junioribus Mazo-

Mazoviæ imposuisset, quod illi conspirâssent in mortem Ladislai avunculi, quòd statum illius Regium loco movere & pessundare destinâssent, quòd fœdera scriptis concepta cum Magistro Crucigerorum in Prussia in perniciem Regis sanxissent. Cujus rei originalia instrumenta Stanislaus, dum adhuc esset Cancellarius Mazoviæ, à se conficta Regi Ladislao tradidisset, exindeq; Regis avunculi iram in perniciem nepotum commovisset. His contra eum objectis, non expectato judicii tempore Stanislaum Episcopatûs possessione Principes exturbârunt.

Illustre eo tempore erat nomen Ducum Mazoviæ, Alexandra Sorore Regis Ladislai erant nati, Soror verò ipsorum Cimbarka nupserat Ernesto Archiduci Austriæ, cujus filius Fridericus III. ejus nominis Imperator multum apud Summos Pontifices authoritate poterat, suumq; avunculum Alexandrum supradictorum Ducum Fratrem ad Episcopatum Tridentinum & dignitatem Cardinalis promoverat. Quare grave erat certamen Stanislao Episcopo contra Principes tot tantisq; favoribûs nitentes, & ipsi acerrimè infensos, multisq; aliis accusationibûs inchoatam contra eum litem prosequentes: quæ ut meliùs succederet, proferebant Duces scriptum quoddam publicum manu Magistri de Sobniewo Præpositi Tridentini subscriptum, quo per Stanislaum integritas & fama Martini V. calumniari videbatur. Non magnopere Pontificem suæ innocentiæ conscium ea res commovit; ne tamen vel minimam læsi honoris partem prætermitteret, & ex eo scandalô esset cuipiam, negotium totum justo examine probandum demandavit Magistro Stanislao de Scarbimiria Canonico Cracoviensi, eoq; tempore in universitate urbis hujus juris Canonici Professori celeberrimo.

Is tanquam Summi Pontificis delegatus judicii formâ propositâ, vocatisq; partibûs, ita serio munus judi-

judicis executus est, ut nullam diem, qua jus dici posset, prætermiserit: vocati & admissi testes, acceptaq; ab eis fide jurata, examinati. Tantô etiam studiô Siemovitus junior Dux Mazoviæ ad spoliandum Episcopatu Stanislaum incubuerat, ut cùm causa hæc Cracoviæ tractaretur, nullum diem prætermiserit, quo illi præsens non adesset. Vicissim Stanislaus sibi actioniq; non deerat, negotiumq; suum per se exequebatur.

Summa autem litterarum, de quibus supra dictum & quas Principes Mazoviæ ab Episcopo confictas esse asserebant, hæc fuit in formam libelli redacta. Inprimis, ajebant Duces, Stanislaum, dum esset Mazoviæ Cancellarius, finxisse has ipsas litteras, & propria manu confecisse, iisq; characteribus ac sigillis consignâsse, quasi ea eorundem Ducum fuissent, cùm de illis ii nunquam cogitâssent. Ficti autem instrumenti hæc erat narratio: Quasi præfati Duces, Siemovitus, Ladislaus & Casimirus, præsentibus Sassino Plocensi, Stephano Gostinensi, Castellanis se Sigismundo Hungarorum & Bohemiæ Regi, Ladislai Poloniæ Regis hosti in clientelam concessissent, ejusq; supremum agnovissent dominium, ac societatem belli contra avunculum suum Ladislaum, promissis trecentis hastatis, sanxissent. In gratiam verò Crucigerorum octingentos itidem hastatos sumptu & ære proprio in perniciem Regis Poloniæ se semper in promptu habituros spopondissent, ita, ut conjunctis viribûs, profligatô Ladislaô & Polonis, totius Regni Poloniæ inter Crucigeros & Duces Mazoviæ fieret partitio, annotatis etiam Provinciis & regionibûs, quæ Crucigeris, & quæ Ducibus, quasi jam parta foret victoria, per eam divisionem cessuræ essent.

Creditum est ea tempestate à multis eò levitatis pervenisse Duces juvenes vivente adhuc Patre, ut hæ litteræ & conditiones ab illis initæ fuissent; cùm tamen prodiissent in publicum, crimen ingens perfidiæ contra avunculum suum &, totum Poloniæ Regnum fictis

ctis in Episcopum calumniis derivare voluisse. Sed licet tanto conatu & tot confictis criminibûs Duces Mazoviæ contra Episcopum niterentur; formatô hic in Polonia per eos, quibus id à Summo Pontifice erat demandatum, legitimo juris processu, ac testibûs examinatîs, tamen res tota in scripturam redacta, definienda ad urbem remissa est.

Haud veritus est Stanislaus vel Romanæ Curiæ, vel ipsius Pontificis, quem læsisse insimulabatur, severũ & acre judicium; ubi Duces Mazoviæ magnorum Principum, quibus sangvine juncti erant, suffragiis juvabantur. Vicit tamen omnes illorum conatus Episcopi innocentia, qua luculenter probata, omni objectorum culpâ Curiæ Romanæ decretô immunis est pronunciatus Stanislaus. Cæterum, qui causam suam in forô Pontificio feliciter lucratus est, malevolentiam Ducum vincere non valuit; tanto illum odio prosecuti sunt; ut Alexander Dux Mazoviæ Episcopus Tridentinus S. R. E. Cardinalis redeunti domum Antistiti in itinere insidias struxerit, & curâ Friderici in oppido Fristato captum in molestum carcerem conjecerit. Pejora forte subiisset captivus Pawłowski, nisi astu & consiliô se in libertatem vindicâsset; dum enim à civibus oppidi illius custoditur, his largiùs mero indulgentibûs, & vigilias remittentibûs, Episcopus, qui fictâ ægritudine in lecto decumbebat, uno e suis familiaribus in locum sui relicto, veste mutata civitate egressus, ac equos, quos pro se & comitatu clam conduxerat, nactus variis itineribûs venit in Poloniam. Ubi instante Ladislao Poloniæ Rege, reconciliatus Ducibus, qui tot injuriis Antistiti huic illatis satiari poterant, Episcopatûs possessionem adiit: sed in lites propriis & Ecclesiæ opibûs consumptis egenus, omniumq; rerum indigus vixit. Tandem ægra valetudine pressus Torunium perrexit, ubi in cænobio Ord: Prædicatorum 29. Aprilis 1439. obiit. Et nisi illius Ordinis Religiosorum charitate (ut scribit Lu-

Łubienski) corpus ipsius decenter terræ mandatum esset, pauperrimam sepulturam habuisset.

XXXVIII.

PAULUS GIZYCKI

De Stemmate Gozdawa vide p. 195.

VEnceslai Judicis Terræ Sochaczoviensis & Elisabethæ Filius, à Parentibus accuratô studiô enutritus, ut ingenium satis excultum melius expoliret, ivit Pragam, ac in celebri illius loci & temporis Academia in scientiis ad honores & Infulas maturuit. Sacris initiatus, Cracoviensis & Plocensis Scholasticus institutus maximis negotiis admovebatur, quæ perfecta dexteritate ubiq; tractavit.

Post obitum Stanislai vacabat Plocensis Sedes. Per annos fere quindecem, quos non regimini Diæcesis, sed litibus assiduis cum Ducibus Mazoviæ impenderat Pawłowius, locum & Poloniam sæpius mutare coactus, plurima irrepserant, opibûs suis Ecclesia Plocensis in controversias expositis privata quoq; fuerat; quare provido & prudenti egebat Præsule. In eo rerum statu omnium oculi & animi in Paulum versi, eum privatis etiam desideriis Episcopum designabant: cùmq; electionem per compromissum expedire placuit, Paulus hic electus est eâ omnium lætitiâ, ut nemo fuerit, qui ei hanc dignitatem non gratularetur: Duces quoq; illam gratô animô acceperunt. Detulit Paulus hanc sui electionem Eugenio IV, qui eundem authoritate Apostolica Plocensem Episcopum declaravit; cæterum veritus ne dicta Eugenii confirmatio in dubium vocaretur, quòd illi Felix per Concilium Basileense oppositus esset, etiam à Vincentio Archiepiscopo Gnesnensi approbari voluit, à quo in præsentia Ladislai Jagellonidæ Cracoviæ in Ecclesia Cathedrali consecratus est.

Præsul ut animi excelsi, sic authoritatis & humanitatis magnæ: Illum Ladislaus Dux Mazoviæ morti vicinus vel maxime idoneum censuit, qui se vitâ functô Siemoviti & Ladislai filiorum suorum impuberum tutor esset, & quoad illi adolescerent, summæ rei in Mazovia præesset. Gessit ille munus hoc summa cum laude universis libenter ei parentibus. Gravabantur antea in judiciis Mazovitæ, de hacq; injuria sæpius querebantur. Has querelas ut evitaret Præsul, antiquam judiciorum formam immutavit, & cunctis ad satisfactionem jus dixit; pænas, quæ pro libitu Judicum statuebantur, gravesq; erant contendentibus, nonnullas sustulit, aliquas ad certam quantitatem redegit.

Nec in tuendis solùm juribus civilibus eminere voluit, ad illustrandam Diæcesim, ad adsciscendos eos, qui in administranda pastorali cura præsto sibi essent, magnam Episcopalium proventuum partem erogavit. Pułtoviæ Ecclesiam è solido muro erexit, eamq; nobilissima dote assignata evexit ad titulum Collegiatæ: quo autem id fine fecerit, quibûs subsidiis Episcopum Plocensem in posterum niti voluerit, quid Prælati & Canonici Pułtovieñses in patrimonio Ecclesiæ Plocensis fundati & eidem Ecclesiæ & Episcopo debeant? luculenter patet in privilegio Nicolai V. fundationem prædictam approbantis. Et ne suorum oblitus videretur, in villa paterna Gizice ædem sacram & aulam ex solido muro struxit. Cum Vladislaviensi Episcopo terminos pepigit, quibûs ûterq; Episcopatus & jurisdictio utriusq; contineretur. De subditis fugitivis certam formulam cum Episcopo Culmensi constituit. Tandem annis 23. optime administrata Diæcesi 7. Januarii 1463. Pułtoviæ obiit, ibidem laudes & honorem sepulturæ nactus.

XXXIX.

STIBORIUS II.

De Familia Prussorum.

Joannis Dapiferi Cernensis & Catharinæ Filius. Casimirus Rex Poloniæ ubi Paulum vita excessisse intellexit, Jacobum Sieninium per vim motum Cracoviensi Episcopatu, *Vide L. I. à p. 99.* ut eveheret ad Plocensem Sedem, ex Lithvania Martinum Wrocinski, & Jacobum Handa Notarium misit, qui ut magnis itineribûs ad diem electioni præfixam decurrerent, & Jacobum eligi curarent, demandavit; sed Canonici iis Regiis mandatis minime moti, electione rite instituta, Stiborium, Virum virtute & industria insignem per compromissum Episcopum constituerunt.

Erat ille Giziccii Secretarius, multumq; illi & consiliis tribuebat Paulus, adeò ut ab ejus arbitrio pendere videretur; ad extremum tamen, cum Giziccius provectiori esset ætate, (vitium senectutis quandoq; est) ne illo regi censeretur, non exiguum sui odium apud senem inciderat. Electioni Stiborii fortiter obstitit Casimirus, & dum Jacobus Sieninski ambitione Sedis Plocensis rite electum impedire nollet, Casimirus Petrum de Pniewo Posnaniensem Primicerium, Plocensem & Gnesnensem Canonicum nominatione sua (cujus tum prima erant initia in Polonia) Pio II, missis ad eum Joanne de Ostrorog, & Nicolao de Goslub Decretorum Doctore promovendum suscepit.

Pius, ut justitiæ suffragaretur, & ne Casimirum offenderet, secreta dedit mandata, quibus facultas dabatur Stiborio, ut vel ab uno Episcopo consecraretur. Morem gessit Stiborius authoritati Pontificis, & minas Casimiri haud veritus, clam invitato ad se Nicolao Ord: Minorum, Episcopo Lacædemoniensi, Plocensi Suffraganeo in Ecclesia Collegiata Pułtoviensi 1644. consecrari se curavit: omniumq; bonorum, quæ in Mazovia & jurisdictione Ducum erant, possessionem adiit, præter ea, quæ in Terra Dobrinensi & Sandomiriensi extatabant; id enim impedivit Casimirus. Sed & hæc, ubi Stiborius illi reconciliatus esset, pleno jure recepit. Annis

nis septem totidemq; mensibus præfuit Diæcesi, eamq; multis beneficiis adornavit. Obiit Pułtoviæ 4. Maji 1471, Plociæ sepultus.

XL.

CASIMIRUS DUX MAZOVIÆ

Libertatis & jurium suorum studiosi Canonici post fata Stiborii electione indicta ubi convenerunt, licet Duces Mazoviæ in spem Episcopatûs Casimirum Ducis Varsaviensis Boleslai Filium ætatis adhuc tenerioris Subdiaconatûs Ordine initiari curâssent, id minime advertentes, duodecem ex illis Stiborium Pielscium Archidiaconum Plocensem, sex Casimirum Ducem, sex item Oporovium Gnesnensem Archidiaconum Plocensem Canonicum, quem Casimirus Rex & litteris, & nominatione per Nuncium Nicolaum Chrząstowski Vexilliferum Cracoviensem impensiùs promovebat, dicebant Episcopum.

Potior jure Stiborius cùm videret, quòd cum Ducibus Mazoviæ, qui Friderici III. Romanorum Imperatoris consangvinei sui authoritate & promotione, quæ tum in Romana Curia valebat plurimum, nitebantur, certamen sibi acre & difficile subeundum fore, jus suum in Casimirum Ducem transtulit. Casimirus vero Rex susceptam Oporovii licet à paucis electionem, ut jus nominandorum Præsulum non ita pridem usurpatum stabiliret, constanter urgebat.

Sic duobus inter se contendentibus res ad Sixtum IV. devoluta est apud quem cùm Fridericus Cæsar pro Casimiro Duce, Casimirus Rex pro Oporovio ageret, Sixtus in gratiam Cæsaris, Casimirum octodecem annos natum, cum hic & plura vota numeraret, Episcopum Plocensem declaravit. Casimirus litteris duntaxat capiendæ possessionis à Summo Pontifice obtentis jus omne Episcopatûs usurpavit, ac nonnisi quadriennio exactô ad sacra diplomata expedienda Romam Mathiam

de Słuzewo Canonum Doctorem Archidiaconum Pułtoviensem misit. Omnia obtinuit in Urbe Legatus Casimiri; nam & pœnis Canonicis, quibûs ob occupatum Episcopatum tenebatur, Casimirus absolutus est, & ut viginti duos annos natus in Episcopum consecrari posset, veniam impetravit.

Ab Andrea de Bnin Posnaniensi Episcopo consecratus in Ecclesia Pułtoviensi, non illius erat animi & indolis ut illustri generi & Regio sangvini, ac conceptæ de se hominum opinioni responderet; cùm enim ministri cujusdam obscuræ adhuc sortis arbitriô cuncta ageret, necesse fuit, ut per electum à Capitulo Vicarium, M. Nicolaum de Mierzyniec, Canonum & U. J. D. Canonicum Plocensem Diœcesis gubernaretur: cui tamen Casimirus, quasi graviorem monitorem metuens, amoto Mathiam de Otoczno substituit; sed hoc intra paucos dies apoplexiâ extincto, prior Administrator electus, locum, quo motus erat, obtinuit, Episcopatumq; rexit in negotiis spiritualibus. Casimirus vero cùm nomine magis, quam re Episcopus esset, exactis circiter novem annis in ea dignitate 9. Junii 1480. vivere desiit, Pułtoviæ ad Sacrarium sepultus.

XLI.

PETRUS IV. de CHOTKOWO

De Stemmate Kosciesza vide p. 232. ut vult Niesiecki.

A Lubienscio (qui in illo suam historiam de Vitis Episcoporum Plocensium incboavit) plebeja stirpe, villa Chotkowo, ditionis Episcopalis Plocensis natus fuisse scribitur.

HIc Petrus in tenera adhuc ætate quotidianum victum ostiatim quærens tantam animi magnitudinem præsetulit, ut cùm Cracoviæ studiorum causâ versaretur, Episcopi Cracoviensis coco quærenti, qua Diœcesi

oriundus esset, & ille Plocensi respondisset, cocoq; inferenti: *cessurus ne esset spe Episcopatûs Plocensis, stipè ad præsens luculentiore accepta?* ingenuè fassus fuerit: *futuram dignitatem potiorem sibi esse victu, licet eo vita sustineretur.* Łubienski in Vitis Episc: Plocen:

In Academia Cracoviensi non exiguo tempore in litteris consumpto, insignibus Magistri Philosophiæ solenni ritu ornatus, publicè cæteros erudire cæpit: quo tempore inter alios operam ei dabat Andreas Oporovius, ejus postmodum in Episcopum consecrator. Bononiam deinde ad Academiam ejus loci celeberrimam se contulit, præstantissimorumq; Philosophorum & Medicorum usus contuberniô, Medicinæ Doctor renunciatus, tantam opinionem in illo scientiarum theatro sibi conciliavit, ut ad munus Cathedræ & ad docendam publicè Philosophiam admissus fuerit. Famâ & eruditione tanti Viri Boleslaus Dux Mazoviæ permotus eum ex Italia accivit, liberisq; suis, inter quos Casimirus, qui proxime præcessit Episcopus Plocensis, erat, Magistrum dedit: perspectâ postmodum illius in tractandis quibusvis negotiis dexteritate, Mazoviæ Cancellarium creavit, ac Præpositura S. Michaëlis & Canonicatu Plocensi auxit.

In ea dignitate positus vacante Episcopatu Plocensi facilè omnium animos in se convertit, & die 28. Augusti 1480. cunctorum sententiis ad Pastoralem jurisdictionem evectus est. Electionem Boleslaus & Joannes Duces votis cumulârunt, Sixtus IV. approbavit, & de mandato ejusdem Andreas Oporowski ProCancellarius Regni Premisliensis Episcopus electus Vladislaviensis, ejusdem Petri olim discipulus in bonis Oporowo 24. Junii 1481. in Episcopum Plocensem consecravit.

Suscepto Episcopatu optimi Pastoris munia adimplere studuit ut bonorum cultor promotorq; ita in discolos severior, disciplinæ Ecclesiasticæ custos rigidissi-

dissimus. In pauperes plusquam liberalis, eorum ubiq; defensor & Pater: Illorum & infimorum commodo Pułtoviæ nosocomium struxit. Sacellum Mansionariorum ad Ecclesiam Plocensem, ac ædes, in quibus manerent, erexit: utq; in honorem Virginis in cælum assumptæ officium decantarent, dotem providit, quam ejus postulatô Joannes Dux ampliorem fecit. Singulari amore & cultu ferebatur erga Virginem Deiparam, cujus opem in difficillimis negotiis se semper expertum fuisse gloriabatur. Ejusdem beneficiô obtinuit, (quod ejus votum erat) ut die illius honori sacro, nempe festô in cælum Assumptæ Virginis de hac vita decesserit 1497. Præsul de Mazovia & de sua Ecclesia bene meritus.

XLII.

JOANNES IV. LUBRANSKI

AD Posnaniensem Sedem translatus. *Vide pag. 128.*

XLIII.

VINCENTIUS PRZEREBSKI

AD Vladislaviensem Ecclesiam promotus est. *Vide pag. 53.*

XLIV.

ERASMUS CIOŁEK

De Familia Vitelliorum juxta Niesiecki.

Juxta Lubienscium, qua stirpe genitus fuerit? unde prodierit? quomodo creverit? illa ipsa, quâ vixit, ignoravit ætas.

FLoruit gratiâ Regis Alexandri, & dum hic ante collatum sibi Poloniæ Regnum privatus viveret, Erasmi consiliis omnia agere erat solitus, ejusq; postmodum authoritate Episcopatum hunc assecutus est 1504. Sigismundus quoq; fideli ejus operâ in obeundis ad Summum Pontificem & Cæsarem legationibus utebatur. A Sigismundo I. ad Leonem X. missus, dum Romæ secreta quædam tractaret negotia, cum Leone X. eodem anno 1522. in urbe obiit, ibidem in Ecclesia S. Mariæ de populo sepultus.

Impetraverat ab hoc Leone confirmationem Ecclesiæ Pułtoviensis, & nonnulla privilegia ad augendum decus Capituli Collegiatæ hujus, sed hæc vim suam non habuerunt. Sola Vicariorum Ecclesiæ illius fundatio ab Erasmo inchoata, diplomate Leonis X. contenta, multorum subsequentium Episcoporum liberalitate aucta perseverat.

XLV.

RAPHAEL LESZCZYNSKI

De Stemmate Wieniawa vide p. 17.

POst obitum Erasmi Adrianus VI. Leonis in Sede Petri Successor ut concordiam inter Sigismundum Regem & Prussiæ Magistrum stabiliorem faceret, Episcopatum Plocensem Joanni Alberto Marchioni Brandeburgico contulit. Accepit Rex bono animo eam Pontificis dispositionem, Episcopatum tamen etiam nepoti suo non permisit; quòd hic ad Regem non solum jure patronatûs, sed etiam ratione Senatoriæ dignitatis Episcopatui annexæ pertineret. Quare Diæcesis hæc Raphaeli Leszczynski, Familiæ in Polonia insignis Viro, Roma probante ad regendum commissa est.

Hic in sæculo adhuc dignitatibûs & meritîs in Patriam inclaruit. Castellanus Lendensis, Człuchoviensis Præfectus, ex Comitiis Cracoviensibus ad Cæsarem ivit Legatus, tum ad Rempublicam Venetam, brevi ad Supremam Sedem: ex qua legatione redux, fluxis rebus nuncium remisit, & sacrum elegit statum. Et qui civiles adornavit curules, Ecclesiis fuit decori & ornamento. Premisliensis primùm Antistes relicta in illa

Diæ-

Diæceſi ſui memoriâ, in Plocenſi Eraſmo ſucceſſit, & in ea pro Religione contra hæreſim murum ſe oppoſuit. Locum aliquem quærebat illa in Mazovia, Raphaël ne pedem figere poſſet, obſtitit, & ſvaſionibus adhortationibûs effecit, ut Januſſius Dux Mazoviæ cum unanimi Procerum conſenſu decretô ſuo exercitium omne ſectæ Lutheranæ inhibuerit. *Vide pag. 205.* Pułtoviæ magnam partem arcis erexit. Præſul de Patria & Religione optime meritus annô à ſuſcepto Epiſcopatu quartô obiit 1527. Pułtoviæ in Eccleſia Collegiata ſepultus.

XLVI.

ANDREAS III. KRZYCKI

GNeſnenſem Metropolim regendam accepit. *Vide Lib: I. pag: 113.*

XLVII.

JOANNES V. CHOIENSKI

AD Cracovienſem Eccleſiam aſſumptus. *Vide L. I. pag: 324.*

XLVIII.

PETRUS V. GAMRATI

HIc quoq; Anteceſſorem ſecutus ad Cracovienſem Eccleſiam, cui, & Gneſnenſi ſimul præfuit. *Vide Lib: I. pag: 115.*

XLIX.

JACOBUS II. BUCZACKI

De Familia Abdankorum.

BUczacciorum Familiæ in Podolia ditionibûs, in Regno Palatinis, Caſtellanis curulibus, aliiſq; dignitatibûs evectæ, bellis, victoriis in Valachia, Scythia, aliiſq; de hoſtibus, ac rebus gloriose geſtis in Polonia celeberrimæ ultimus ſurculus. Tantæ gloriæ & opum Nominis Succeſſor & hæres, voluptatum & ſæculi contemptu glorioſior Sacrum Ordinem elegit. Inſigni tot heroicis actionibus in Polonia Nomini in Nepote magnorum Virorum injuriam fieri non permiſit Alexander Rex Poloniæ; ſed effecit, ut Nomen hoc etiam in Sacris emineret. Vacabat tum Camenecenſis Sedes, illam Jacobo detulit Alexander, quam ultra annos quindecem paſtorali ſolicitudine moderatus eſt. Ad Chełmenſem à Sigiſmundo I. translatus, illam ornavit beneficiis: Vicarios ad Eccleſiam Craſnoſtavienſem, (ad quam Mathias de Łomza non ita pridem Sedem Epiſcopalem tranſtulit) fundavit, & ad augendam illorum dotem probante Sigiſmundo Craſnoſtavienſem Chełmenſem paræcias, & tertiam Parcovienſem in Diæceſi Cracovienſi cum jure patronatûs pro Epiſcopis Chełmenſibus attribuit. Ad menſam Epiſcopalem (tenues fuerant proventus hujus Epiſcopatûs) apud eundem Regem ex ſalis fodinis Ruſſiæ 50. marcas, tum villas Cieſzyn & Strzyżowice cum nonnullis ſortibus in bonis Pławniki impetravit. Bona Sawin privilegiis Sigiſmundi auxit, iiſdemq; Regiis gratiis tractum Skierbieſzovienſem confirmavit.

Sic meritum & bonis Eccleſiarum providum Antiſtitem poſt aſcenſum Gamrati 1538. idem Sigiſmundus Plociæ dedit Epiſcopum, arcemq; Złotorienſem in Terra Dobrinenſi regendam eidem commiſit. Vix quadrienniô præfuit huic Diæceſi: Złotoriâ Plociam proficiſcens, Brodnicæ morbô præventus, cùm ultra progredi non valeret, anno 1542. die 6. Maji vitæ & Domui Buczacciorum terminum poſuit. Plociæ ſepultus cum ea ſepulchri laude. *Reverendiſſimo Patri Domino Jacobo Buczacki, Dei gratiâ Epiſcopo Plocenſi, ultimo hæredi nobiliſſimæ & vetuſtiſſimæ illius Familiæ in Terris Podoliæ & Ruſſiæ poſitum.*

L.

L.

SAMUEL MACIEIOWSKI

EX Plocensi Cracoviensis Antistes. *Vide Lib. I. pag: 325.*

LI.

JOANNES VI. BIELINSKI

Agno pro Stemmate insignis.

PRomoventibûs, Jacobo Suffraganeo Plocensi Fratre, Andrea Noskowski affini, Plocensi & Pultoviensi Canonico, & vel maxime Regina Bona pro libitu suo in Polonia disponente, Plocensis Præsul, quem renunciatum tantum audivit non vidit Plocia; possessionem Episcopatus per Procuratorem, ipse vero æternitatem adiit 1546. die 18. Maji Cracoviæ, ibidem sepultus.

LII.

ANDREAS IV. NOSKOWSKI

De Gente Ladarum.

FLoriani & Annæ Leszczynska Filius. Conditio Paternarum facultatum cùm esset tenuis, Andreæ puero cum paupertate luctandum erât; sed adolescens præclara indole ad majora quæquæ aditum sibi fecit. Animum Andreæ scientiis apprime excultum & capacem ad maxima advertens Paulus Trąba Stanislai & Janussii Mazoviæ Ducum Pro Cancellarius eundem ad aulam evocavit. Sed ut breve & fatale Ducum istorum fraude meretricia *scribit Lubienski* extinctorum fuit imperium, ita Noskovio brevis admodum aulæ usus exstitit. Brevi ab Andrea Krzycki Plocensi Episcopo Canonicus Pultoviensis factus, Romam perrexit, unde post anni unius moram in Patriam redux optimi Sacerdotis

dotis curavit officium. Post obitum Bielinscii, in cujus necessitates non exiguam pecuniæ summam ab aliis etiam mutuo conductam expenderat, res & fides illius in maximum discrimen adducta videbatur; non tamen despondit animum; sed assumpto Jacobo Bielinski Suffraganeo viæ comite ad Sigismundum ivit Cracoviam: cui ex ultimis Joannis Bielinski non ita pridem vitâ functi codicellis, quæ & quanta in ejus usum expenderat, abunde deduxit, & restituenda sibi ac creditoribus proposuit. Animi modestia, rationum sinceritas & vis cum omni modestia exposita, ac causæ æquitas tantam illi existimationem apud Sigismundum peperit, ut hic meliori sorte dignum Andream censuerit, & Regina Bona cooperante, per Thomam Sobocki Regni Cancellarium Plocensem declaraverit Episcopum.

Altero, postquam renunciatus esset Episcopus anno, 1548 Sigismundus I. Poloniæ Rex cessit è vita, cujus supremis officiis non defuit Noskovius, ut & Reginæ Bonæ lachrymarum consortiô dolorem leniret, & Sigismundum Augustum ad capessendum Regnum cohortatione sua accingeret; cujus matrimonium cum Radzivilia clam contractum, cùm à plurimis Regni Proceribus improbaretur, Noskovius in favorem Regis tulit sententiam cum magna Reginæ Bonæ offensione. Offensæ huic accessit altera: Cùm in Senatu vehementer disceptaretur, utrum Bona, quæ non satis honesto prætextu Filio & Filiabûs relictis, toto secum thesaurô sublatô in Italiam profectionem adornabat, retinenda esset? etiam per vim detinendam esse censuit, sensumq; suum facetâ confirmavit fabulâ.

Patrifamilias erat anas, quæ pullos gallinaceos produxerat: habebat ille vicinum ædibus suis stagnum, prolem exclusam cùm foris mater educeret, eâ ad ripam stagni relictâ aquarum deliciis naturæ genio obsequens proprio satisfaciebat commodo: undam oberrabant pulli matrem gemitu quærentes. Paterfamilias

ut

ut anatem materni officii ſtudioſam redderet, palo ab aqua diſſito eandem applicuit, & meliorem pullorum curam habere docuit. *Nieſiecki Tom: III.* Intellexit facile Regina, quid hac fabulâ Andreas intenderet, Proceres verò dicta Præſulis cum plauſu accepere.

Poſt obitum Radziviliæ ad deducendam Catharinam Ferdinandi Imperatoris filiam, novam Sigiſmundi Auguſti ſponſam ivit Olomucium Orator cum ſplendido apparatu, quem redux variis Eccleſiis diſtribuit. Regem Sigiſmundum ſub tempus belli Moſchovitici juſtâ juvit ſummâ, eo nomine nonnullis Regni Præfecturis acceptis, quibus in Regni Comitiis ceſſit. In ejus Diœceſim hactenus ab omni hæreſi liberam, decretôq; Ducis Mazoviæ contra virus hoc munitam opibûs potens hæreticus involaverat. Non erat ille hoc ſolò genitus, ſed cum conjuge plurium bonorum in Mazovia poſſeſſor exſtitit. Zeloſus Antiſtes, & jura Mazoviæ violata, & periculum avitæ Religionis à tam potente Dynaſta advertens, omnem curam adhibuit, ut eum Eccleſiæ Catholicæ lucrifaceret. Sed obſtinatus in hæreſi animus, nec rationibus nec ſalutari ſvaſione, nec monitis flecti potuit; quare Andreas ut tantum offenſionis lapidem loco moveret, bona illa longe majori emit pretiô, & ſic pecuniâ divitem, ſed poſſeſſione vacuum Mazoviâ exeſſe fecit.

In ſuos erat liberalior, at nec parcus in Deum ejuſq, famulos. Eccleſiam Plocenſem magna ex parte eleganti opere erexit & ornavit, Pułtovienſi verò tholum de ſolido muro providit. Svaſu & hortatu Cardinalis Hoſii, Pułtoviam PP. Societatis JESU introduxit Templum & Collegium erexit, (quod poſtmodum aliorum Præſulum liberalitas auxit) in ejuſq; dotem nonnulla prædia menſæ Epiſcopalis attribuit. Juventuti, quæ è Diœceſi Plocenſi Cracoviam ad Academiam ſtudiorum causâ commigrabat, domum, contuberniorum poſtea Philoſophorum appellatam ſtruxit de cocto latere, ac 10000. fl. in cenſum elocavit. Brocoviæ (oppidum eſt Præſulum) templum Parochiale ædificavit: in aliis bonis ædes Epiſcoporum commodo reſtauravit, in multis novas condidit.

Aliquorum ambitio induxerat Sigiſmundum Auguſtum ut Canonicis D. Auguſtini Czervinſci contra jura eorundem Abbatem imponere voluerit; Andreas celeritate ambientium ſtudia prævenit; nam cùm Rex, ut ad certam diem electio Abbatis indiceretur, intenderet, Præſul diem electionis ante vertit, & Stanislaum Falęcki nobilem, Religionem profeſſum electum Regis offenſionem minime veritus confirmavit, & ambientium deſideria eluſit.

Duos ſupra viginti annos in optima Diœceſis administratione explevit. Dum Branſcii templum dedicaret, morbô contractô, ætate & laboribûs fractus annorum 75 e vivis abiit 1567. adornato contra mentem ſuam funere elatus, populô & egenis Patrem ſuum plorantibûs, in ſepulchro, quod ſibi paraverat, Pułtoviæ ſepultus. Zubienſcii teſtimoniô: *Vir magnus & memorabilis fuit, Sacerdos probus, Pontifex gravis, & ad gubernandum alios eruditus, & ut ſemel dicam* (verba ſunt Zubienii) *dignior ſemper honoribûs habitus, quàm quos geſſiſſet.*

Quàm tremenda ſunt judicia Divina, patet in hoc Præſule Anno 1699. Torunii adoleſcens Czarlinski natione Pruthenus fatis deceſſit, ibidem nactus tumulum. Hic aliquot ab obitu ſuo diebûs ſuo e Societate JESU Confeſſario apparuit ſuffragium poſtulans. Attonitus Pater, cum ſe illius vitæ bene conſcium aſſereret, & nævos adoleſcentiæ, ſi qui animæ adhæſerant, numerô ſacrificiorum expiatos diceret, altum ingemuit adoleſcens, reſpondítq;: *Sacrificia in magno numero funeris ſui tempore abſoluta nihil ſe juviſſe; Deus enim non mihi,* ait defunctus, *ſed Noſkovio, veſtri Collegii Pułtovienſis*

ensis Fundator? illorum fructum applicuit. Collegii hujus Conditorem ignoravit Sacerdos, sed ubi die illucescente Noskovium didicit, visionem aperuit, & animæ adolescentis tam per se, quàm per alios suffragia procuravit. *Niesiecki Tom: III.*

LIII.

PETRUS VI. MYSZKOWSKI

AD Cracoviensem promotus Sedem. *Vide Lib: I. pag: 332.*

LIV.

PETRUS VII. DUNIN WOLSKI

Cygno pro Stemmate insignis.

PAuli Supremi Regni Cancellarii, & post conjugis obitum Posnaniensis Episcopi Filius. In tenera ætate accuratô studiô litteris imbutus, Patavium excurrit: ubi doctissimorum virorum Societate usus, ita in humanioribus litteris profecit, ut in illis palam tulerit, in talemq; virum crevit, qualem suo tempore optaverat, & experta est Polonia. Redux ex Italia in aula Sigismundi Augusti futurarum dignitatum jecit fundamenta.

Eo temporis spatiô Regina Bona mortalitatem expleverat. Illius bona in Regno Neapolitano jure naturali devoluta erant ad Sigismundum Filium: hæc ut Rex repeteret, omnium judiciô Petrus idoneus visus est, qui apud Philippum II. Hispaniarum Regem pro Augusto ageret. Demandatam Provinciam in Hispania cum magna prudentiæ suæ laude, nominis Poloni gloria, Regis Catholici approbatione per annos decem sustinuit. In Patriam revocatus rediit cum litteris Philippi rectè actorum testibûs, suamq; virtutem commendantibus. Regi Augusto ultimo Jagellonici sangvinis hærede mortuo, Henricus Valesius à Republica in solio Polono subrogatus fuerat: illum Cracoviam ingredientem nomine Ordinum innata salutavit facundiâ. Patris ipsius memoria, res ab ipso Petro gestæ tantum valuerunt, ut in Comitiis, quæ Regi coronando in dicta fuerant, omnium voto & approbatione Sigillum Regni minus ei collatum esset. Et quia opes Paternæ Fratribus cesserant, ipse verò Gnesnensis, Vladislaviensis Posnaniensis duntaxat esset Canonicus, ut pro dignitate Ministrum Regni ageret, publicô Comitiorum edictô ejus necessitatibus provisum est, ex salis fodinis Vielicensibus summa 12000. fl. quotannis designata, donec aliter illi provisum esset.

In omnibus actionibus nihil nisi ordinatè gerere consveverat. Regem Stephanum Cracoviam venientem, obvius eidem digno tanto Principe excepit sermone. In Comitiis Regiæ coronationis, cùm Valentinus Dembinski Supremi Cancellarii munus abdicâsset, Wolski eidem Successor datus est: illi verò in Procancellariatu Joannes Zamoyski subrogatus. Nusquam hoc utrumq; Ministerium Viris magis eruditis conferri poterat; ambo in una eademq; Academia Patavina de scientiis optime meriti, & Joannes Zamoyski illius quondam Rector exstiterat. Non diu tamen hunc Magistratum gessit Wolski; Petrô Myszkowski Cracoviam translato, Plocensis Episcopus designatus est. Libenter eam dignitatem amplexus est, ut se aulicis negotiis subtraheret; cæterum vix Episcopatum adiit, à Rege Stephano ad Gregorium XIII. in negotio Moschovitico ire debuit. *Vide L. IV: C. VII.*

Rex Stephanus perfecta cum Moscho pace & ordinata Livonia ultimum diem obiit. Eo interregno cùm Respublica in varias partes scissa esset; Petrus nulli adhæsit, sed eum in consiliis modum tenuit, ut solius Patriæ amore & conservandæ in sua Diœcesi fidei Catholicæ studiô duci videretur. Nec comitiis electionis & coronationis interfuit ægram causatus valetudinem.

Wiskowiciis ligneum quidem, sed commodum exstruxit palatium: Ecclesiam Pultoviensem restauravit. Præsul suô sæculô eruditus: illius operâ cum magna gentis Polonæ æstimatione plurimorum in Europa celebrium virorum sermonibus dilatata, Itali quoq; scriptores, præcipuè librum de SS. Trinitate suo idiomate conscribere honori & usui duxerunt. Habentur illius epistolæ ad diversos terrarum Principes ex tempore (ut dicimus) dictatæ, illustrium virorum Epistolis à Karnkovio insertæ.

Ad initium anni 1590. admonitus (ut ipse scribit) ætatis suæ, ipsis Januarii Calendis testamentum condidit: illo, qua fuerit pietate? vitæ suæ rationes quomodo expenderit? Sponsam suam Ecclesiam quantum amaverit? luculenter expressit. Supellectilem omnem in auro, argento, ac sacris vestibus, quæ satis magna & elegans fuit, cum peristromatibus & nobilissima bibliotheca Ecclesiæ Plocensi donavit. Id fecit, cum nulla adhuc infirmitate teneretur, sed quasi præscius, se brevi fatis cessurum, quod & accidit. Nam eodem anno die 20. Augusti, cùm absq; omni ægritudinis suspicione prandium sumpsisset, & a mensa solus in conclave, in quo decumbere solebat, abiisset. Pultoviæ, mortuus repertus est, annô ætatis 60. in Ecclesia Plocensi sepultus.

LV.

ADALBERTUS BARANOWSKI

EX hac ad Vladislaviensem promotus, in Gnesnensi Sede supremum diem obiit. *Vide L. I. p. 147.*

LVI.

MARTINUS II. SZYSZKOWSKI

OBiit in Cracoviensi Episcopatu. *Vide L. I. p. 346.*

LVII.

LVII.

HENRICUS II. FIRLEY

GNesnam transferri meruit. *Vide Lib. I. p. 153.*

LVIII.

HIERONIMUS I. CIELECKI

De Stemmate Zaremba vide p. 116.

IN ætate matura ad aulam accessit Regiam à Joanne Tarnovio Regni Pro Cancellario suæ Cancellariæ adscriptus. Per annos fere quindecem ad latus Tarnovii versatus hærebat anceps, quam vitæ rationem eligeret; tandem svadente Petro Tyliccio quinquagenario proximus Sacerdos factus ea pietate enituit, ut totius Regiæ potissimum Sigismundi III. oculos & animum in se converterit. Illum idem Rex authore Mathia Pstrokonio Pro Cancellario misit Legatum ad invitandos Principes Italiæ pro Regiis nuptiis cum Constantia Austriaca: qua legatione cum laude perfunctus, toto Pstrokonii Magistratu inter Regios Secretarios primus habebatur. Mathia vero ob acceptum Vladislaviensem Episcopatum Regni Sigillum Laurentio Gembiccio Antistiti Culmensi cedente, Hieronimus Cancellariæ majoris Regni Regens declaratus est. In eo obeundo munere non multum negotii & curæ habuit; nam Gembicki Vir eruditorum elegantissimus non multum in scribendis litteris alienæ opis egebat. Et præterea Sigismundus bello cum Moschis implicitus, biennali obsidione Smolenscum cinxerat, Gembicki quoq; post obitum Pstrokonscii ad Vladislaviensem promotus Sedem suo Magistratu cesserat: Reginæ tamen Constantiæ, quæ Vilnæ Rege bellum in Moschovia gerente degebat, Hieronimus ita inserviit, ut illa eximia ejus pietate mota eum suum Cancellarium declaraverit: quem

 gra-

gradum consecutus majoris favoris comparandi occasionem nactus, adeo gratus acceptusq; fuit Domui Regiæ, ut Henrico Firleio Pro Cancellariatum Regni capessente, munus Referendarii cum Præpositura Plocensi, obtinuerit: eidem postmodum Firleio in Plocensi Episcopatu successit ultra sexaginta annos jam emensus.

Episcopus consecratus majorem vocationis & status sui, quàm senectutis rationem habuit, totus erat in exercitio officii Præsulei, etiamsi ad aulam sæpius evocatus à Diæcesi abesse cogeretur, & grassantis eo tempore pestis impediretur periculô. Biennio in Episcopatu exacto, laboribûs morbum sibi accivit, quo ictus, non ita ægritudini indulsit, ut illis diebûs, qui Pascha præcedunt, sacris cerimoniis & sacrificiis in Ecclesia Cathedrali obeundis aliquem vices suas supplere permitteret: accessit acris & continua febris, quæ 16. Aprilis, cùm ad subeundum extremum agonem sanctè se obfirmâsset, vitam cum morte commutavit Plociæ 1627. Funus Ejus Stanislaus Łubienski Successor in Episcopatu à Sigismundo datus adornavit, defunctiq; parentavit animæ: Sigismundus verò Nepos Posnaniensis Præpositus, Canonicus Gnesnensis honorem sepulchri providit. *Vir fuit* ut inquit Łubienski: *candidi pectoris, & in omni genere vitæ id præcipuè in votis habuit, ne læderet quempiam, & nulli molestus esset.*

LIX.

STANISLAUS III. ŁUBIENSKI
De Stemmate Pomian

Caput est bisontis à fronte pernares gladiô transfixum.

PAtre Sventoslao, Barbara Zapolska Mathiæ Pstrokonski Episcopi Vladislaviensis Sorore consobrina Matre genitus, Mathiæ Archiepiscopi postmodum Gnesnensis frater germanus, ubi ad eam ætatem pervenit, quæ

quæ litteris perdiscendis apta est, illis primùm Siradiæ, postea Calissii in Scholis Karnkovianis S. J. excultus est. His finitis in Lancicïensis Castri Cancellaria juri patrio dedit operam: ubi relicta sui memoria, & diligentiæ monumento in conscriptis manu sua documentis plurimis, ad aulam Mathiæ Pstrokonski divertit, & eo tempore, quo hic Præsul Regni Minister aulæ inserviit, non alumnus duntaxat domesticæ disciplinæ, sed & laboris fuit socius: & cum Pstrokonius Cancellariam regeret, Stanislaum scribendis Regio nomine litteris adhibuit, & causa ejusdem negotii in Sveciam duxit. Deinde graviorum scientiarum causâ primò Græcium, demum in Italiam suis impensis ire jussit: expertusq; est, Episcopi Premisliensis & Regni Pro Cancellarii gerens officium, egregiam Łubienii in omnibus operam, illo præsertim turbulento tempore, quo Duce Zebrzydovio, & nonnullis Sigismundo III. infensis ad arma conclamatum est. Hunc civilem motum Libris IV. idem Łubienius comprehendit, opus sane à styli elegantia commendatum.

Mathia Pstrokonio ab obtento Episcopatu Vladislaviensi præpropera morte sublato, patuit mox Stanislao cor benevolum Gembiccii, qui Pstrokonscio in Ministerio successit. Hic Stanislaum, tum Gnesnensem Præpositum, Judicis in Tribunali Regni functum officiô ad aulam invitavit gravioribus curis admovendum. Satisfecit ejus desideriis Łubienius, & ubi provinciam Archivi Regni lustrandi à Rege demandatam accepisset, Mathiam fratrem, laboris socium ad scivit: peracta Archivi accurata recognitione nuncium Regiæ remisit, vitam solitariam acturus, sed Petrus Tylicki Cracoviensis Præsul etiam in vitum in partem laboris assumpsit, & Curiæ suæ Auditorem, ac Cracoviensem Archidiaconum instituit. Felice postea Kryski Supremo Regni Cancellario constituto, Regentis Cancellariæ munus ultro ad eum delatum est: quod svadente

 Tylic-

Tyliccio susceptum trienniô gessit, donec Abbatiæ Tynecensis admisisset regimen, templô magnifice structo ac parte Religiosarum ædium memorandum. Induxerat ille in animum profiteri Institutum D. Benedicti illo in cænobio; sed ejus intentiones secreta Regis Sigismundi morabantur consilia, qui effecerat, apud Sedem Apostolicam, ut Łubienio hujus Abbatiæ cura ad quinquennium duntaxat confirmaretur.

Brevi post fata Wołuccii ad Vladislaviensem Sedem Andream Lipski ex Luceoriensi Episcopatu sua nominatione disposuit Sigismundus, Luceoriensem vero Łubienio detulit. Virum tantum facile confirmavit Roma. Ad Episcopalem dignitatem Procancellarii munus Rex superaddidit. Non diu tamen illam Sedem moderari permissus est, post obitum Cieleccii Plocensis Præsul inauguratus, lege disponente sigillum Regni in manus Regias deposuit. Ob calamitates, quibus Prussiam Svecus impleverat, & finitimam Diæcesim Plocensem presserat, parum prospera initia Episcopatûs expertus est, effeceratq; imminens territorio Gorznensi (patrimonium est Ecclesiæ Plocensis) periculum, ut ibi ducentorum militum præsidium ad prohibendum furorem hostium fovere debuerit; sed commissô paulô post in campis ejusdem loci prælio, Polonisq; profligatis, non in Gorznense duntaxat oppidum, sed in omnem viciniam ac templa sævitum est.

Pace tandem Patriæ restituta lætior rerum facies, faciliorq; successit ratio Diæcesis regendæ, quam ille institutis sæpius Cleri visitationibûs, convocataq; Synodo, & per eam ad omnem vitæ modestæ regulam grege circumscripto ad normam Sacrorum Canonum moderatus est. Plocensem Basilicam restauravit, & comptô exornavit penicillô. Sacerdotibus unde viginti, qui die nocteq; laudes Deo canerent, dotem numeravit. Movit controversiam de fundis Gorznensibus à suis Prædecessoribus neglectam, eamq; fortunato exitu finivit

nivit. Gymnasium Noskovianum Cracoviæ juvit pecuniariô subsidiô, & ut stabile esset, summmam in censum elocavit. In Societatem JESU singulariter beneficus, illam non satis habuit à malevolis defendere, in aucta fundatione Collegii Pultoviensis ditatam voluit.

In his curis Pastoralibus meminit se Senatorem, id est, vocatum ad providendum bono Patriæ; quare quidquid Regno advertit utile, ore, calamô promovebat, urgebat. Nullum usquam contigit gravius negotium, cui expediendo, capiendoq; consilio non adhiberetur Stanislai prudentia: non fædera sancita, non pacta cum vicinis firmata, non edita diplomata, non Legati mandatis instructi, non de rebus publicis ad Ordines delatum, nisi vel à Rege, vel iis qui Cancellariæ summa potestate præerant, appellatô priùs & consultô Łubieniô. Post fata Sigismundi III. omnium Ordinum consensu Regno ad Ladislaum IV. tanti Regis dignum Filium delato, impetratus est, ut nunquam interituras Sigismundi laudes funebri prosequeretur oratione; dixit unam & alteram, ut amplissimas Principis hujus virtutes non uno sæculo celebrandas comprehenderet. Ut Sigismundi Patri, sic Ladislao Filio erat in amoribus, ejus consilio uterq; vixit, uterq; fortunate rexit. Pro mercede tantorum in Patria & Ecclesia meritorum anno 1640. abiit. In Comitiis Varsaviæ sextô ante supremum diem mense langvere cæpit, delatus Viscoviam, ubi se ad ultimum paravit certamen, die VI. Aprilis nulla nova ægritudine afflictus, viribûs corporis destitutus adstante Simone Pruski S. J. conscientiæ moderatore, anno ætatis suæ LXVII. Episcopatûs Plocensis XIII. Præsul longiore vita dignus quievit in Domino. Illius Supremis Mathias, frater natu major Vladislaviensis tum Episcopus parentavit, cineresq; cunctis optimum Antistitem deplorantibûs, tumulo Plocensis Ecclesiæ intulit.

Vir erat omni eruditione major à pluribus Cardinali-

nalibus laudatus: & quantus esset? patet ex epistola Gvidonis Cardinalis Bentivoli ad Andream Trzebicki data post obitum Stanislai. *Commune vulnus* scribit Gvido: *quod inflictum est Reipublicæ litterariæ ob mortem Illmi Episcopi Plocensis, Te nominatim affecit, qui virtutum sangvinisq; conjunctione affinis ei eras. Quamobrem majorem in modum tuo dolore tangor, licet cùm demortui clarissimi Viri nomen intueor, omnem ab animo mærorem abstergendum esse existimem. Illum enim Religio Catholica propugnatorem acerrimum, eloquentia lumen eximium, Polonicus Senatus prudentiæ normam suspicient, ac mirabuntur. Itaq; tantorum memoria meritorum communi mortalium malo planè medicinam faciet, apud Te præsertim, quem eâ constantiâ novi instructum, quæ novit & adversa forti, & prospera moderatô animô tolerare. Mea officia in qualibet rerum vicissitudine Tibi offero. Romæ VIII. Calendas Julii 1650.*

Præter Libros de motu civili, scripsit Lubienski Vitas Episcoporum Plocensium ipse Vita & norma Præsulum: scripsit & alia opera, quibus & ingenii specimen luculenter probavit, & nomen suum ac Polonum Orbi gloriosum fecit.

LX.

CAROLUS FERDINANDUS PRINCEPS REGIUS.

VIrtus & merita Stanislai Lubienscii ad eam dignitatem evexerunt Plocensem Ecclesiam, ut illâ vitâ functo non alius quispiam, nisi Carolus Sigismundi III & Constantiæ Austriacæ, Filius, Ladislai IV, Joannis Casimiri Regum Poloniæ, Joannis Alberti Cracoviensis Episcopi S. R. E. Cardinalis Frater, Cæsarum, aliorumq; in Europa Regum sangvis subrogari debuerit. Hic ut non tantum in Polonia emineret, post obitum Caroli Archiducis Austriæ ipso Cæsare promovente Vratislaviensis in Silesia Præsul inauguratus est.

Urbs

Urbs Vratislavia, totaq; Silesia à suis primordiis erat juris Poloni: permissa quidem fuit Provincia hæc ad postulata Friderici I. Cæsaris, Filiis Ladislai Ducis Poloniæ exulis, videlicet Boleslao Miecislao & Conrado; sed Boleslaus Patruus Dux & Monarcha Poloniæ Ladislai Frater, cùm inter hos suos nepotes Silesiam divideret, eosdem fidelitatis admonuit, scilicet ut pacifici sibiq; velut suo Principi subjecti viverent, paternam quoq; tyrannidem caverent imitari, ne calamitate paterna involverentur; neq; Principatus jure aliquo, sed precario se adeptos, & benignitate Patronorum donatos potius, quàm redditos arbitrarentur. *Dlugossius Lib: V.*

Successu temporis, cum Duces Silesiæ mutuis dissidiis & armis decertarent, temporibûs præsertim Ladislai Loctici ejus crescentem fortunam perosi excusso Regum Poloniæ dominio in clientelam Joannis Bohemiæ Regis nonnulli abierunt: (a) & ex ea forte ratione hic Joannes usurpabat titulum Regis Poloniæ, etiam Crucigerorum consiliô. *vide p. 13.* Et licet Casimirus Rex Loctici Filius Joanni prædicto Regi Bohemiæ Caroloq; ejus Filio aliquos Ducatus Silesiæ approbâsset, ea confirmatione (ut scribit Lubienski de rebus Silesiacis) suo duntaxat jure, & non Regni Poloniæ, tum Joanni & Carolo non Regno Bohemiæ cessit. Nec Ladislaus Jagello Poloniæ Rex fædus cum Venceslao Imperatore & Bohemiæ Rege aliter sancire voluit, nisi, ut is nomine Ducum Silesiæ, cum sexcentis hastatis, totidemq; balistis armatis contra quemvis hostem auxilio se futurum eidem Ladislao polliceretur cujus rei extat diploma in Archivo Cracoviensi 1395. conscriptum (b) & cum idem Ladislaus 1314. contra Crucigeros bellum gereret, ad quod universos Regni Principes exciverat, aderant & Duces Silesii, Bernardus Opoliensis, Joannes Raciboriensis, Boleslaus Cessinensis, Conradus Ole-

(a) *Dlugossius L. IX.* (b) *Lubienski de rebus Silesiacis.*

Olesnicensis, Venceslaus Zeganensis, Joannes Lubi-
nensis, Conradus Coslensis, & Venceslaus Opawiensis
(c) Tandem cùm Ladislaus Filius Casimiri Jagelloni-
dæ Poloniæ Regis Regno Bohemiæ præesset, hæredita-
tem Regni Bohemiæ & Ducatuum Silesiæ fatis suis Lu-
dovico Filio reliquit: cujus Filia Maria Ferdinandi *I.*
Cæsaris Consors Silesiam Domui Austriacæ intulit. *Lu-
bienski de rebus Silesiacis.*

Silesia ut suum haberet Antistitem, providit du-
dum Miecislaus Dux, qui primus Christo nomen dedit;
dum anno 966. Cathedralem Ecclesiam Smogorzeviæ
fundavit, Sedes hæc primum Episcopum Gotfridum
natione Romanum (*d*) nacta est. Hæc postea Byczy-
nam, ac brevi à Casimiro Rege circa annum 1052. cum
suo Præsule Hieronimo, natione Romano Vratislaviam
translata plures Polonos nominis dignitate & virtute
insignes, & Carolum Principem Regium Poloniæ, ulti-
mum in Polonia natum numeravit. Bona hujus Epi-
scopatûs cum per hostem vastata essent, ut suus Prin-
ceps Regius eâ, qua par erat, majestate subsisteret, Po-
lonia per legem 1633. Abbatiam Cervinensem, anno
verò 1635. Tinecensem superaddidit.

Noverat optime Respublica non unâ tiarâ dignum
caput sui Principis; quare Roma probante Plocensem
Episcopum instituit ea tamen conditione, ut jurata fide
Regibus Poloniæ, eo gradu, quo Præsules Plocenses in
Senatu gaudent, contentus esset, & in bonis Episcopa-
tûs possessores & administros foveret nobiles Polonos,
qui juri patrio & decretis Judicum quorumvis satisfa-
cerent. *Constitutio 1641.*

Post obitum Ladislai *IV.* plurium votô promove-
batur ad solium Poloniæ, sed Episcopales violas Regiæ
præposuit purpuræ, suaq; suffragia cessit Joanni Casimi-
ro natu majori. In sua absentia ut Diæcesis Plocensis
strenuum haberet administrum, Adalbertum Tolibo-
wski

(c) Idem. Hist: Prussiæ. L. IV. (d) Dlugossius. L. II.

wski Plocensem Suffraganeum cum plena potestate constituit. Expletis in Episcopatu Vratislaviensi annis XXX, in Plocensi XV, magno Poloniæ luctu die XXV Maji 1555. obiit. Cor suum semper Societati JESU addictum, eidem in templo Varsaviensi ultima voluntate disposuit, quod condignâ Præsuli Principi pompâ conditum est.

LXI.

JOANNES VII. GEMBICKI

FLoriano Czartoryski in Sede Vladislaviensi successit. *Vide p. 80.*

LXII.

BONAVENTURA MADALINSKI

IN Sede Vladislaviensi ultimam diem obiit. *Vide pag: 82.*

LXIII.

STANISLAUS IV. DÆBSKI

AD Vladislaviensem, demum Cracoviensem Ecclesiam translatus est. *Vide L: I. p. 373.*

LXIV.

ANDREAS V. ZAŁUSKI

PLocensem cum Varmiensi Episcopatu commutavit. *Vide infra cap: II.*

LXV.

LUDOVICUS ZAŁUSKI

Agno pro Stemmate insignis.

ALexandri Palatini Ravensis & Catharinæ Olszowska Filius, Andreæ Fratri successit. Ravæ & Lublini scientiis excultam indolem, severiori eruditione in

in exteris Nationibus expolivit: Romæ Juris prudentiæ, Parisiis Theologiæ dedit operam: ubiq; ingeniô eminuit. Redux ab exteris Canonicus Cracoviensis, ex Comitiis Regni 1690. ad Reipublicæ thesaurum Commissarius, ad Tribunal Regni Judex Deputatus, delatam dignitatem obivit gloriose. Cancellarius Reginæ Mariæ & Suffraganeus Premisliensis, demum Plocensis Præsul, commodo & bono utriusq; Diæcesis intentus, gregi præfuit illius norma & exemplum, vigil Pastor. Varsavienses Societatis JESU scholas liberali inchoavit manu, quas magnifico opere Andreas, illius ex Fratre nepos, & in Plocensi Episcopatu Successor finivit; mors enim Ludovicum de Patria & Ecclesia bene meritum invidit Poloniæ. Obiit 1721.

LXVI.

ANDREAS VI. KOSTKA ZALUSKI

PLocensem cum Luceoriensi Episcopatu commutavit, ex quo ad Culmensem, tandem post obitum Lipscii ad Cracoviensem translatus. *Vide L. I. p. 380.*

LXVII.

ANTONIUS DEMBOWSKI

EX Plocensi Vladislaviensis Antistes: *Vide p. 34.*

LXVIII.

JOSEPHUS SZEMBEK

Tribus rosis inter binas capras pro Stemmate insignis.

NOmen ad purpuras natum Diæceses Præsulibûs, Gnesnensem Metropolim binis Primatibûs, Regiam Ministris, Palatinatus Senatoribûs, Poloniam Viris optime meritis implevit. Tali & tanta Familia Patre

tre Antonio Succamerario Cracoviensi, Matre Eva Nielepcowna genitus Josephus, virtutibûs, eruditione crevit, & ad dignitates adolevit. Ex Varmiensi Canonico, Cancellario Cracoviensi post obitum Joannis Felicis Szaniawski promovente Augusto III. Chełmensis Antistes, Diæcesim rexit innatâ modestiâ, affabili humanitate in omnes, in egenos liberalitate plurimisq; beneficiis insignem fecit. At Meritis Eustachii parva erat Diæcesis Chełmensis judiciô Augusti; quare 1753 post ascensum Dembowscii ad Vladislaviensem Cathedram, eundem Rex hic nominatione sua ad Plocensem disposuit: electionem probavit Roma. Annis prope sex in omni probitate exactis, memoriâ & desideriô sui relicto Obiit 1759. die 1. Aprilis.

LXIX.

HIERONIMUS II. SZEPTYCKI

De Stemmate Szeptycki

Solea est erecta, cruce signata: cujus latus sinistrum sagitta transfixum est.

UT in Ecclesia Romana emineret, meruit nomen hoc, quod in Polona ritus Græci in Præsulibus Barlaamo, & non ita pridem in Athanasio, Leopoliensi, Camenecensi, Haliciensi Episcopo, totius Russiæ Archipræsule fuit supremum. Præter plura profusæ in superos Viri hujus monumenta, sacram ædem Præsuleam ab ipsis fere fundamentis erectam Leopoli, multis in locis jam Religiosas domos conditas, jam templa restaurata & innovata, Romanæ unita Græca Ecclesia zelum fidei, cultûs Divini ardorem prædicabit posteris: alterumq; in hoc Septemtrione, ut olim in Oriente, Alexandria, sic suum Russia Athanasium gratâ colet memoriâ.

Hieronimus Stanislaô Vexilliferô Laticzoviensi, Annâ Kruszynska Venatoris Smolenscensis Filiâ annô 1700

1700. genitus, cùm ætatem litteris aptam optima indole & studiis in Collegio Leopoliensi Clementino sub cura Clericorum Regularium S. Cajetani Thienæi instituisset, adhuc adolescens à Camenecensi Canonicorum cætu invitatus virtute & meritis ad dignitates maturuit. Leopoliensis brevi Archidiaconus, tum Saldinensis Episcopus ac Suffraganeus Luceoriensis, Francisco Kobielski Luceoriensi Præsuli ætate jam fracto, magno fuit adminiculo in laboribus Pastoris optimi. Et quia in Ecclesiastico ac Patrio jure excelluit, ex eisdem Collegiis ad Tribunal Regni sæpiùs Judex leges, justitiam curavit strenuè. Ab obitu Nicolai Wyzycki Leopoliensis Archiepiscopi, ad eam Sedem promovebatur Nicolaus Dembowski, Camenecensis Præsul, ad Camenecensem verò Regiâ nominatione disponebatur Hieronimus. Sed, quia majora Viri meritis debebantur, Josepho Szembek in Plocensi Episcopatu successit. Accepit Præsulem Canonicorum cætus, grex Pastorem votis ad maxima quæquæ attollunt universi.

CAPUT SECUNDUM

DE EPISCOPATU VARMIENSI

DIæcesis hæc non à loco, sed à Provincia nomen sortita est. Porro Varmia non postrema Prussiæ Regio à Varmo, Filio Viduviti, qui circa annum 586. toti Prussiæ præesse scribitur, dicta (e) plurimis annis cultui falsorum Deorum dedita, Boleslai Crivousti, Boleslai Crispi, aliorumq; Poloniæ Ducum armis sæpius attrita, à Crucigeris per Conradum Ducem Mazoviæ conductis, in Societate Polonorum debellata & subjugata cum fidem Christi suscepisset, in Diæcesim anno post partum Virginis 1241. conversa est. (f) Ut

(e) Hist: Pruss: L. I. Naramowski Lib. II. C. XI. Hartknecht in Chronica Prussiæ Part: III. Varmiam ab Ermia Varmi uxore appellatam censet. (f) Hist: Pruss: L. II.

Ut enim Innocentius IV. Summus Pontifex Prussiam in fide agnita constantem faceret, (aliquoties Prussi ad cultum idolorum redibant) Vilhelmum Mutinensem Episcopum misit Legatum, ut hic initô cum Præsulibus Poloniæ consiliô, Prussiæ Episcopos designaret, qui novum Christi gregem verbô & vitæ exemplô pascerent. *Naramowski L. II. C. XI.*

Legatus hic Synodô in anno 1241. Torunium indictâ, ad eam in templô Ord: Minorum celebrandam Præsules Poloniæ invitavit. Convenerunt in magno Abbatum numero Fulco Archiepiscopus Gnesnensis, Thomas Vratislaviensis, Michaël Vladislaviensis, Andreas Plocensis, Antistites: in eaq; Synodo Prussiam in tres Diæceses diviserunt: Varmiensem, quam honori Beatissimæ & S. Andreæ Apostoli, Sambiensem, hanc cultui ejusdem Pretiosissimæ Virginis & S. Adalberti, Pomesaniæ, eam itidem protectioni Deiparæ & S. Joannis Evangelistæ consecrârunt. Culmensi in suo statu relicta. (a) Hæc enim à pluribus annis constituta fuerat. *Vide p. 221. & Lib: IV. Cap: III.*

Varmiensis Sedes primum nacta est Præsulem Anselmum, juxta nonnullos de Ord: Minorum, juxta alios de Ordine Crucigerorum. Hujus Diæcesis Præsul non Tiarâ duntaxat, sed & mitra Ducali eminet, est enim simul Dux Varmiensis. In Prussia primus est Episcopus, præestq; in congressibus generalibus hujus Provinciæ, ad quos tota Nobilitas Prussiæ cum delegatis Civitatum Torunensis, Elbingensis, Gedanensis Graudentum & Mariæburgum alternis vicibûs confluunt. Illius juris est convocare status Prussiæ tempore interregni ante Comitia generalia electionis novi Regis. In Senatu juxta Constitutionem 1569. in Comitiis Lublini per Sigismundum Augustum celebratis alternum locum cum Episcopo Luceoriensi habet. Supre-

S

*(a) Hist: Pruss: Lib: II.
Vit: Præs: Tom: II.*

premæ Sedi eſt ſubjectus, Synodo tamen Provinciali per Gnesnenſem Archiepiſcopum indictæ adeſſe tenetur. *Lubienski Geogr: Zalaſzowski L. I. Tit: XXVI.*

Ad Varmienſem Epiſcopatum titulum Sambienſis Epiſcopi cum jurisdictione in aliquibus locis annexum habet. Sambia fidem Chriſti ſimul cum tota Pruſſia profeſſa, & in Diæceſim converſa primum Præſulem Henricum Moravum Birnenſem à Vilhelmo Mutinenſi Epiſcopo Torunii conſecratum habuit, qui munitionem Fishauſum ad Habum lacum ædificavit, plurimiſq; pro ſua Eccleſia geſtis ætate provectus obiit, Regio monti in Eccleſia S. Nicolai ſepultus. (b) Cathedra hujus Diæceſis erecta fuit Regiomonti, Urbe hujus Provinciæ primaria, quam Crucigeri moderante Poloniam Boleslaô Pudicô condidiſſe feruntur 1255. (c) Regiomontum, antea Vuſtopolum dicebatur, erectumq; fuit à Rege Boleslao Chrabry necem D. Adalberti de Pruſſis barbaris vindicante. *Hiſt: Pruſſ: L. I.*

Civitas hæc cum tota ſua Diæceſi Lutheri errores duce Georgio Polentz Epiſcopo Sambienſi 1525. ſecuta Principibus Brandeburgicis in hæreditatem, Cathedralis Eccleſia Epiſcopale palatium diſpenſante Luthero & Georgio Antiſtite hæreticis in poſſeſſionem cum aliis templis ceſſerunt. Guntero à Bernau Miſnenſi ſucceſſit hic Georgius XX. in ordine iſtius Diæceſis Præſul, Licentiatus Juris, Ordinem Crucigerorum profeſſus erat, & cùm quinquenniô officium Commendatoris, qui judiciis præeſt, adminiſtraſſet, à Magiſtro Ordinis ad Sambienſem evectus Sedem, ac à Leone X. (cum quo idem Pontifex ſuper judiciô ſangvinis diſpenſavit) confirmatus, à Jobo Epiſcopo Pomeſaniæ ac Joanne Heilsbergenſi Suffraganeo (ita quandoq; nominabantur Varmienſes) Alberto Ordinis Magiſtro imperante conſecratus. Dignitatem Pontificiam aſſecutus Polentz illa temporis tempeſtate, qua Lutherus ſuas

(b) *Ibidem.* (c) *Dlugoſſius Lib: VII.*

ſuas opiniones ab Eccleſia pridem damnatas per Germaniam late ſparſas, etiam in vicinam Pruſſiam per ſuos aſſeclas diffundebat, non ſolùm muneri Epiſcopali defuit, ſed Lutherum ſecutus à religione vera defecit, & cum opprobrio ſtatûs Eccleſiaſtici, Diæceſis ſcandalo, filiam Comitis Conradi Truſcheſii duxit in ſociam tori ſacrilegi. *Hiſt: Pruſſ: Lib: VII.*

Cathedra Diæceſis Varmienſis primùm Brunsbergæ erecta Fravenburgum poſtea translata eſt. Præſules verò Varmienſes Heilsbergæ palatium habent manſioni ſuæ commodum, ex qua ratione etiam Heilsbergenſes dicti. Bona hujus Epiſcopatûs uno continuoq; ambitu certis finibûs circumſcripta, arcibûs & oppidis exculta ſunt, eaq; ſic diviſa, ut duas partes Præſul, tertiam Capitulum poſſideat: in illis tam Præſul, quàm Canonicorum Collegium ſubjectam habent nobilitatem, & liberam à quavis jurisdictione Regiorum Magiſtratuum. Subditi omnes eodem, quo cæteri Pruſſi, jure municipali utuntur: habent præterea, particularia inſtituta, quæ Terræ conſtitutiones vocant. Nobilitas, Advocati, & Civitates præter jusjurandum, quo in Epiſcopi & Capituli verba jurant, novo Regi Poloniæ ex pacto fidem ſuam quoq; obſtringunt.

Cathedra hæc 16. Canonicos numerat, qui ut ſint indigenæ ſanxit Conſtitutio 1669, alternis vicibûs ab Epiſcopo & Capitulo creantur, à Summo verò Pontifice confirmantur. Ut adſint Eccleſiæ, obligantur, alias privantur proventibûs. Habent tamen intra annum dies 60, quibûs causâ relaxandi animi ab Eccleſia abeſſe poſſunt. Illi ſoli ſunt in Polonia, ex quibus non eliguntur ad Tribunal Regni Judices Deputati. Antiſtes tamen Varmienſis obligatus eſt præeſſe Radomiæ Judiciis Regni fiſcalibus. *Lubienski Geogr:*

A Sigiſmundo I. Poloniæ Rege 1512. in conventu generali Petricoviæ die Martis, 7. menſis Decembris privilegium habuit Capitulum Varmienſe, poſt obitum

bitum Præsulis eligendi novum Antistitem ex quatuor ejusdem Ecclesiæ Canonicis, Terrarum Prussiæ indigenis à Rege Poloniæ nominatis. *Vide Leg: Volum I.* Cæterum nunc Rex unum commendat, quem Canonici cerimoniâ electionis conservata Præsulem eligunt & Roma confirmat. Capituli stemma est: Porta in parte dextra scuti tribûs turribûs insignita, in sinistra verò cruce dimidiâ, mitra Papali in vertice coronata.

Diæcesis Varmiensis Ecclesias Parochiales numerat 90, præter templa variorum Religiosorum. Brunsbergam, (quæ urbs à Crucigeris circa annum 1255. in honorem Brunonis Episcopi Pragensis fertur esse condita (d) Stanislaus Hosius, Præsul Varmiensis, S. R. E. Cardinalis Societatem JESU non ita pridem à Suprema Sede confirmatam, & à Concilio Tridentino approbatam introduxit annô 1565, eiq; liberali manu Collegium condidit, quod prima sedes fuit Societatis in Provinciis Polonis Parensq; aliorum Collegiorum exstitit. De Ecclesia hujus Collegii rem singularem annotavit *Drews in Fastis S. J. pag: 220.* Anno 1626. cum Brunsberga à milite Svetico occupata esset, Collegium occupavit primùm proditor quidam Mevensis, deinde Minister hæreticus. Hic dum non semel in suggestum prosiliisset ad suos verba facturus cùm horrore perculsus semper obmutesceret, à proposito desistere debuit, ne locum Verbi Divini profanaret.

Ducatus Varmiensis ex integro Catholicus est, nullumq; admittit hæreticum. Olim, ut aliæ Diæceses in Polonia, sic & hæc variis in locis Lutheranis erroribûs infecta fuerat. Pallet ad ea calamus, quæ administrâ insolentiâ falsitatis seminatores, & seductus populus, vel in ipsa civitate Elbinga agere non erubuit. Vide Historiam Prussiæ Leonis Gutstadiensis, L. VII, & leges ea patrata esse, qvæ vix auderet Turcia in carnis licentiam effusa. Voluerat equidem Mauritius Ferber hanc

(d) *Dlugossius Lib: VII.*

hanc protervitatem comprimere, editis severîs per totam Diæcesim mandatis, ne quispiam falsum & damnatum Lutheri dogma sequeretur; sed malum hoc dissimulatione Fabiani Antecessoris adeò fixas radices egit ut evelli non potuerit: quin & Brunsbergam irrepsit fovente ministros errorum, eisq; favente Gregorio Rabe urbis Præside. Cæterum curâ Sigismundi I. Regis Poloniæ Brunsbergâ hæretici exesse jussi, Urbs Episcopo Varmiensi, tanquam loci Domino per Commissarios Regis reddita, hucusq; intaminatam Religionem Catholicam tuetur.

Ut pejora malis adderet furibunda & in Divos sacrilega diffidentium in fide temeritas, Mariano Oratorio Lindensi fædam vastitatem intulit. Facinus tantum antequam describere aggrediar, breviter innuo initia hujus loci insignis cultu & veneratione.

Est locus, cui Tilia, (Linde Germani dicunt) nomen dedit, in ea Prussiæ parte, cui nunc Dux beneficiô Regis Poloniæ imperat, agro Rastenburgensi proximus situs in convalle distincta rivô modicô, quem lacus Verbelus evolvit, vix passibûs quingentis ab Episcopali oppido, Ressellio dissitus. Steterat in eo dudum tilia ramosa & gloriâ frondum nobilis: in hac à primò ferè fidei Christianæ tempore in Prussia, videndam se præbuit effigies B. V. M. maternîs ulnîs puerum JESUM gestantis. Res ea admiranda videri cæpit, excivitq; primùm vicinorum cultum, at fama longiùs progressa universam Prussiam, & finitimas Provincias ad venerationem Lindensis Virginis commovit. Ablata quidē fuerat è tilia imago, & quamvis iteratîs aliquot vicibûs ad oppidum Rastenburgense delata, ac in Ecclesia reverenter collocata esset, semper tamen in ejusdem tiliæ ramis consistere reperta est. Constitit manifeste omnibus, velle Deum & suæ potestatis gloriam, & Deiparæ honorem ibi inclarescere; celebriorem insuper reddebant locum pluribus præstitæ gratiæ. Quare pii homines

nes aream ſtruendo oratorio deſignant, eleganti opere
ædem perficiunt, & multiplici ſacrarum rerum appara-
tu inſtruunt: tiliam ſimul, in qua prodigioſa Virginis
imago ſedem elegerat, medio pavimento ſitam parie-
tum ambitu circumdant. Illud in maximis mirifq; nu-
merandum: quod arbor effigie MARIÆ inſignis ora-
toriô cincta, vernantibûs foliis ſemper fronduerit;
tranſcendebat illa vertice ſupremum ædificii culmen
omnibus aëris injuriis expoſita, immortali tamen quaſi
virtute perennans æſtatis ardorem, & hyemis rigorem
ſuperabat, quamdiu ſceleratô ferrô inviolata manſit.
Sed ubi licentia hæretica omnia peſſundabat, Marianis
equitibûs Ordinis Teutonici partim à fide deficienti-
bûs, partim conſtantioribûs locô pulsis, tam dira tem-
peſtas Marianum quoq; involvit & concuſſit Oratorium.
Hiſt: Pruſſ: Lib: I.

Erat tum nobilitate & opibûs potens Raſtenburgi
Præfectus, ſed hæreſi & malitiâ in ſuperos potentior.
Hic populum non tantum finitimum, ſed à longinquis
partibus devotionis & cultus Deiparæ causâ Lindam
confluere dum paſſim cerneret, in Deum impius, in
Matrem ejus Sanctiſſimam contumelioſus, in rabiem
fere actus, manum conflat, advolat, invadit, diruit, va-
ſtat, totamq; celebris & religioſi ſacelli faciem in miſe-
rabilem ac informem ruderum acervum redigit: admi-
randam illam MARIÆ effigiem ex tiliæ ramis detur-
bat, in lacum Verbelum abjicit, & aquis immergit.
Sed imago ſacra omni impietatis conatu ſuperior,
dum mergi nequiret, obſcurô atq; obſcæno locô per
nefarium hominem abdita eſt. At nihilominus in ru-
deribus Lindenſis areæ cernendam ſe denuo & colen-
dam exhibuit. Poſtremo tandem vel flammis vel alio
modô nefando abolita eſt. Tilia Virginis cultu præno-
bilis radicitus exciſa, lateres Oratorii, trabes & ligna
Raſtenburgum avecta, ac in ſtabulum converſa: reliqua,
quæ minùs apta cenſebantur, flammis abſumpta, & in
favillam redacta ſunt.

Peracto tam immani ſcelere exiſtimabant fidei
hoſtes ſe omnem B. Virginis Lindenſis cultum dele-
viſſe; verùm ipſius honor animis mortalium altiùs in-
hæſerat, quam ut hac barbara licet impietate evellere-
tur. Ingemuit tota vicinia ad tantum nefas, remotiores
famâ rei commoti piis lachrymis parentârunt & loci &
proprio infortunio: deſolatione tamen ædis ſacræ à
MARIA colenda Lindæ minimè terrebantur, etiam
ii, qui à Romana fide defecerant; quaſi necdum omnem
pietatis ſcintillam extinxiſſent, calamitate preſſi, aut
votorum rei, aut divinorum beneficiorum cupidi locum
venerabantur, eumq; cum variis donariis (ut tempora
ferebant) frequentabant. De religione loci iſtius Lu-
therani dogmatis miniſter Regiomontanus in ſua Hi-
ſtoria Pruthenica agens, hæc ſtomachabundus effudit:
*Et egit hoc venenum idololatricum tam altas radices, maxi-
mè in vicinis Epiſcopatui Varmienſi, ut & ſi templum fundi-
tus exciſum & pœna etiam ſuſpendii ad locum hunc confugi-
entibus impoſita, imò & aliquibus ideo laqueo gula fracta ſit,
tamen non deſiſtant, ſed nocturno tempore eo convolent, cereos
accendant* &c. Hoc eſt miniſtri hujus de reverentia loci
teſtimonium *Hiſt: Pruſ: Lib: I.*

Dum hoc modo in deleta B. Virginis ſacelli area
MARIÆ veneratio non ſeneſceret, ſed ſpecioſiùs
quodammodo innovaretur, Præfectus ille Raſtenbur-
genſis in majores actus furias, ut confluentibus ad lo-
cum Lindenſem injiceret horrorem, patibulum ere-
xit, facinoroſumq; hominem ex infelici ligno ſuſpen-
dit. Non abiit impune ſcelus, pœnam commiſſi nefan-
di auſûs eodem tempore recepit in filio. Degebat hic
tum in Gallia, Regiiſq; militaribus copiis adjunctus ſti-
pendia merebatur. Accidit juſtô Dei judiciô, ut juve-
nis caſtrenſi licentiâ enorme quoddam facinus com-
mitteret: raptus Tribuno ſiſtitur, accuſatur, criminis
convincitur, & infami arbori miſer ex templo appendi-
tur. Ad nuncium ex Gallia receptum ingemuit impius

& ubi dies componit, horarumq; momenta computat, quo certius acriusq; Divinæ indignationis in Patrem sacrilegum fuisset documentum, reperit idem tempus fuisse necis filii, quo ipse infami ligno Lindæ sacrum MARIÆ locum contaminaverat: quare pejora metuens, licet virus hæreticum animô non ejecisset, funestum illud patibulum evelli, & quam primum è loco sacro abjici gemebundus mandavit. *Hist. Pruss: locô citatô.*

Per annos plus quàm nonaginta hæc sacra area cùm deserta & squallida jaceret, ac inter arenæ & lapidum congeriem antiqua pietas tantùm reperet; Divino instinctu motus Stephanus Sadorscius S. R. M. Poloniæ & Sveciæ Secretarius, de instaurando ad formam veterem Oratorio mentem concepit. Et quia locus erat in ditione Ducis Prussiæ, interventu Sigismundi III. anno 1617 plus quàm æquô pretiô tenuitatem fundi quæsivit. Hæres loci omni juris beneficiô institutus, quod dudum animô volvebat, ad effectum deducere è vestigio contendit. Fabros operasq; conducit, aream repurgat, veteris structuræ fundamenta detegere imperat. Sed adeò ipsum sacelli pavimentum ruderibûs & arenâ montis proximi impium molimen operuerat, ut maximum studium, & omnem laborantium conatum inanem redderet. Æstuabat animô Sadorscius, & in subsidium Deum, Deiparam, ut vota sua secundaret, supplex invocabat: plenus itaq; spei confirmatìs laborantium animìs opus denuo aggreditur, vastam arenæ congeriem, quæ sacro loco incubabat, strenuè amoliri jubet: factumq; ut tantam arenæ, ruderumq; molem ex loci area homines duntaxat triginta intra mediæ diei spatium egesserint, quantum vix trecenti biduô sustulissent.

Apparuit tandem veteris Oratorii vestigium, hinc inde sparsa pecunia collucere visa, quæ collecta est: & pristina ædis sacræ fundamenta cum pavimento detecta sunt: altare in ruinis repertum. Magna excitatur lætitia:

tia: cuncti in laudes Deo ac Deiparæ effunduntur: Sadorscius præ reliquis lætior Numini & Virgini Sanctissimæ agit gratias, quòd omnium opinione celeriùs ipso Præsentationis suæ in Templo Hierosolimitano die, sibi manifestata fuisset. Nec diu moratus res comparat ad structuram necessarias, fabris dat negotium, ut in veteris Oratorii Mariani fundamentis novos superstruerent parietes, speciem sacelli ad formam antiquam concinnarent, atq; operi quam primùm supremam manum adderent. Tantusq; fuit laborantium in urgendo opere ardor, tantumq; in properando studium, ut intra anni decursum Lindensis ædes sacra antiquo splendori restituta fuerit. Addidit & cætera non parca manu Sadorscius, quæ decor & sacrorum necessitas exigebat. Hoc pium opus Sadorscii Sigismundus III. probavit adeò, ut illud Regia authoritate fulciendum & prosequendum duxerit. Præsenserat enim Rex religiosissimus cæptum instaurationis hujus negotium Serenissimo Electori, Duci in Prussia adversum, & plerisq; illud exosum esse; quare ad Electorem dedit litteras, quibus illi locum sacrum Lindensem, instauratiq; Oratorii conservationem commendavit. Sadorscius quoq; ut renovatum à se sacellum esset firmius, jus Patronatus, quod illi debebatur, Sacræ Regiæ Majestati Poloniæ cessit, ejusq; tutelam Regno universo commisit. Ædes hæc sacra curæ Patrum S. J. postmodum commissa est.

Hæc paulò longiùs descripsi, sed ea commodo tuo Lector optime facta esse arbitrare; ut spectes & probitatem Catholicorum, & impietatem nascentium hæresum.

ORDO

ORDO & VITÆ EPISCOPORUM VARMIENSIUM

I.

ANSELMUS

PLurium ſenſu ex Ordine Hoſpitalis S. MARIÆ Hieroſolimitanæ primus Eccleſiæ Varmienſi præfuit. In primordiis exiguos habuit proventus, ſed ubi Crucigeri ex mandato Romani Pontificis optionem obtulerunt Anſelmo, ut pro dote ſuæ Eccleſiæ eligeret tertiam partem terræ acquiſitæ, ille ut undiq; Ordinem pro defenſione haberet, medium locum elegit, eumq; à Crucigerorum terris certis limitibûs circumſcripſit. Cultum Divinum ut magis promoveret, auctis notabiliter Eccleſiis Parochialibûs, Brunsbergæ 1260. Cathedrale templum ſub titulo S. Andreæ Apoſtoli ſtruxit Collegiumq; ex Prælatis quatuor, & ſexdecem Canonicis inſtituit.

Dum ſuæ Diæceſi excolendæ & adornandæ incumbit, Pruſſi rebelles Crucigeris, à fide Chriſti defecerunt, multiſq; in locis alterno belli eventu pro ſua decertârunt libertate. Ut verò inchoatam temeritatem rectiùs inſtituiſſent, quælibet Regio elegit Ducem præſii: omnes à religione Apoſtatas, quos non ita pridem Chriſtianis ſacris initiatos ſcientiæ bellicæ causâ Crucigeri ſuis impenſis in Germania ſuſtentabant. Duces prædicti initô inter ſe conſiliô, diem certum condixerunt, erat is D. Matthæo ſacer, quo contra Crucigeros armati ſimul proceſſerunt. Brunsberga à duobus Auctome & Glappone obſidebatur variis machinis per dies octo oppugnata. Cum vi aperta nihil proficerent, ad aſtum converſi, urbe relictâ in ſylvas receſſerunt. Et ſucceſſit dolus: Cives rati hoſtes abiiſſe, quadragenos è ſuis miſerunt pabulatum, quos ex inſidiis erumpentes Pruſ-

Pruſſi ne quidem nunciô cladis relictô dolèrunt. Præſidiarii & incolæ Brunsbergenſes rem non bene ceſſiſſe ab exploratoribus edocti, ne hoſti præda fierent, civitate & arce incenſis, cum Anſelmo & Clero clam noctu Elbingam receſſerunt.

Urbs hæc & loci beneficiô, & forti Crucigerorum manu munita multis erat refugiô: ut Clero & ſibi eſſet præſidiô, poſtulabat Antiſtes; ſed Elbingenſes ob metum barbarorum ne Præſulem transfugam in ſua civitate quærerent, ut remotiorem terram peteret, reſponderunt. A ſuo grege noluit divelli Anſelmus, cum eo ſortem quamcunq; etiam iniquiſſimam experiri paratus; quare in ſuburbio ſubſtitit, futurus, aut furoris victima, aut hoſtis obſtaculum. Interea barbari noviſſimà victoriâ, & ſpe melioris fortunæ animati, advolant, & urbem cingunt. In loco abdito delituit Antiſtes, Deo ſupplex pro integritate Elbingenſium. Diutius trahebatur obſidio, & annona obſeſſos defecerat. In eo rerum ſtatu, Crucigeri cum civibus facturi periculum, acie bene inſtructâ excurſionem adornârunt. Vix urbe miles prodiit, cùm primæ Pruſſorum copiæ metu correptæ, campô ceſſerunt: reliqui in fugam verſi, à Chriſtianis perſequentibus partim cæſi, partim capti cum opima præda in urbem reducti ſunt. Ex illis quæſitum poſtea, quid cauſæ fuerit, quod ante conflictum terga verterint? reſponſum eſt: delapſos ex àëre viros aliquot palliis albis veſtitos & cruce nigra ſignatos, obvium quemvis igneis gladiis confeciſſe. Incruenta hæc victoria multorum ſenſu adſcripta eſt Anſelmo Epiſcopo, qui ſub tempus obſidionis lachrymis & precibûs continuis commendabat Deo exercituum afflictam in Pruſſia Chriſtianitatis ſortem.

Inter præclara facinora, quibûs inclaruit hic Antiſtes, illud erat non poſtremum. In eo loco, ubi Heiligebeila ſita eſt, colebatur quercus Deo Gurconi ſacra. Huic idolo vel maxime divinos honores exhibebant Pruſ-

Prussi, & quotannis mense Augusto offerebant eidem primitias quarumvis frugum, mellis aliarumq; rerum. Contra hoc & ejus sacrificia multis concionibûs acriter invehebatur Anselmus, quibûs cùm nihil proficeret, & impiam superstitionem in sua Diæcesi tolerare nollet, ut quercus illa exscinderetur, præcipit. Imperio Præsulis obtemperatum à Christianis, sed dum arbori quidam admovisset securim, illa repercussa ictu converso pedem ferientis graviter vulneravit: quo reliqui territi quercum attingere non sunt ausi. Afflixit non leviter ea res Episcopum, non tamen animô dejecit: Ipse plenus spiritu, & zelo Divini honoris locum adit, & ferrô adoritur opus, variis in locis quercum findit, Christiani autem eo jubente ignem subjiciunt, & superstitiosam arborem exurunt. His & aliis pro Diæcesi & Religione gestis gloriosus in optima senectute anno 1262. obiit in arce Elbingensi in facello S. Annæ honorem sepulchri nactus.

II.

HENRICUS I.

INdicta electione Canonici hunc Henricum Decanum Collegii sui defuncto Anselmo votis suis substituerunt. Nec is fuit felicior suo Prædecessore. Prussi, licet Crucigerorum armis attriti, superstitionis & dominii amore aciem restaurabant sæpius, & urbes obsidebant. Heilsbergensem munitionem triplici cinctam exercitu ultimum manebat exitium; cives & præsidiarios annona defecit, ad easq; devenerunt angustias, ut 250. equis consumptis, etiam eorum coriis famem depellerent. Ne inediâ interirent inglorii, quidpiam audendum rati, cum hoste congressuri, excursionem fecerunt: eorum heroicis conatibus cælum ipsum tulit suppetias, dum Angelus Domini pro Christianis dimicare visus est. Superum auxilio successit conflictus: multi hostium cæsi multi oculis capti in Allam fluvium delapsi, hostilitatis & infidelitatis pænam eluerunt. Hac suorũ clade nihilo

meliores facti barbari ad castra & obsidionem redierunt. Quare Christiani spe defendédæ urbis amissa, nocturnas vigilias prætergressi occultis semitis Elbingam contenderunt, & vacuum habitatore locum hosti reliquerunt. Obsidebatur quoq; arx Resselieusis, urbes aliæ eodem malo premebantur: non Varmia duntaxat, sed tota fere Prussia simili involuta fatô miseram Christianitatis portendebat faciem.

Tandem ope Divina feliciora illuxerunt tempora. Supervenit in Prussiam Juliacensis Comes cum selectis copiis. Pro libertate, pro dominio certatum sæpius, Christianis semper victoribûs. Post amissum in prælio Glandem Sambiensium Ductorem, duos ex nobilitate præcipuos Vargullum & Nabulam in Duces elegerunt Prussi. Vargullus mitior differendam svadebat pugnam: Nabula ferocior instabat explicandam aciem, & manus conferendas, quem Sambienses secuti, 7000. suorum eo prælio amiserunt. Fatalem hanc belli aleam prædixerat Prussis Alepius eorum sacrificulus, cùm enim aliquorum precibûs inductus idolis plurima sacrificia obtulisset pro felici expeditionis Prussorum exitu, responsum accepit: inanem esse illius curam; Crucigeros tandem Prussiam obtenturos. Dictum hoc salutare fuit ipsi Alepio; nam superstitione abjecta, Christum professus in partes Crucigerorum abiit. Sambienses quoq; tot malis fracti, cùm vitam Teutonicorum familiariùs cognovissent, religionem & eorum dominium amplexi sunt. Sambiam secutæ aliæ Regiones, brevi cesserunt in potestatem Ordinis. *Hist: Prus: L. II.*

Henricus pacatam Provinciam nactus, illi ordinandæ & reficiendæ incubuit. Brunsbergam urbem in hoc loco, in quo nunc existit, condidit. A Vidua sterili Zoupna nomine (orta erat ex veteri Nartiorum Regulorum Prussiæ sangvine) quam ad fidem converterat, fundum ad tres leucas extensum dono perpetuo accepit, in illo Fravenburgum Civitatem, & Ecclesiam erexit,

xit, ad quam Brunsbergâ Cathedram transtulit. Initia quoq; sua debent huic Præsuli Vormditum & Guttstadium: urbes has ne perficeret, mors impedivit, quæ optime de Varmia meritum anno 1300. die 15. Julii è vivis sustulit. In Ecclesia Cathedrali ante majus altare sepultus est.

Ejus temporibûs à Manegolde Commendatore Konnisbergensi in loco castri & oppidi Czantrin, veteri nomine abrogato Mariæburgum anno 1280. erectum est. *Dlugossius Lib: VII.* Anno vero 1297. à Gotfrido Ordinis Magistro pro supremo Ordinis domicilio constitutum. *Hist: Pruss. Lib: II.*

III.

EBERHARDUS

POst obitum Henrici electus & à Sede Apostolicâ confirmatus, in id omnem intendit operam, ut, quæ suus Antecessor inchoaverat, perficeret. Vormditum & Guttstadium, insuper Heilsbergam munivit, pluresq; pagos elocavit. Intendebat multa pro bono Diœcesis, sed optimas ejus intentiones impedivit Crucigerorum avaritia. A primo ingressu suo in Prussiam Fratres hi omnia sibi deberi putabant. Episcopatuum & Capitulorum facultates erant à possessionibus Ordinis exdivisæ, & limitibus distinctæ. Desiderium opum, & majorum ditionum adeò illos infecit, ut à bonis Ecclesiarum non abstinuerint. Bartensteinium & Sippelbeinum oppida Varmiensis Episcopi Magister & Ordo sua fecit. Egit cum ipso Magistro Eberhardus, sed cùm minùs civile responsum accepisset, negotium Romam evocavit: obtinuitq; mandatum Summi Pontificis, quo imperabatur, ut Magister sub amissione omnium privilegiorum à Sede Apostolica concessorum bonis Episcopo Varmiensi per divisionem attributis cederet. Imperio Romano gessit morem Magister Gotfridus, sed effecit, ut Advocatus bonorum Episcopatûs esset

esset ex Ordine in conventu generali electus: admisit conditionem Præsul & Ordini reconciliatus est. Decessit fatis 1326.

IV.

JORDANUS

EX Canonico Varmiensi concordibûs votis electus. Vir apprime eruditus & egregiis instructus virtutibûs: ætatis provectæ, quæ impedimento fuit, ne longiùs præesset. Obiit 1328. Fravenburgi in choro Ecclesiæ sepultus.

V.

HENRICUS II. VAGENAX

PAtriâ Regiomontanus, è medio Canonicorum probante Roma ad vacantem promotus Sedem. Diæcesim & facultates à variis hostibus ferro & igne vastatas accepit: eas ut incolis frequentiores redderet, his qui figere vellent domicilia, ab omnibûs oneribus quindecem annorum libertatem concessit. Paulo ante illius regimen Brunsbergæ ædes Ordinis Minorum à malefico quopiam erant exustæ. Henricus alium locum ad struendum cænobium designavit, & ad illud promovendum liberalem manum contribuit. Obiit 1334.

Ejus temporibûs post fata Verneri in Magistrum XV. Ordinis Teutonici electus est Luderus Dux Brunsvicensis, Princeps amans justitiæ, cujus singulare dedit specimen in quodam Judice Salfeldensi Crucigero. Ad hujus judicium venerat cujusdam viduæ cum divite adversario causa de hæreditate bonorum: eam ut homo potens opibûs lucraretur, devinxit sibi animum Judicis non solùm muneribûs, sed etiam ad libidinem explendam juvenculâ uxore permisîa: qua ut Judex diutius frueretur, sententiam differebat. Habebat quoq; vidua pauper filiam virginem vultu & moribûs formosam, eam ambire cæpit adulter, tædio prioris amicæ affe-

affectus: sed obstabat metus & verecundia nondum plene deperdita. Interea inhonestus amor his omnibus fuit superior; illo victus turpis leno cupiditatem suam Matri aperit, munera, insuper causæ lucrum apromittit. Exhorruit mulier ad tantum ausum & facinus Judicis, respondita; se id etiam, quod haberet, perditum iri velle, quam tale quid in sangvinem suum permittere. Indignatus eo sermone Judex causam adjudicavit diviti. Res hæc per fide dignos ad Luderum Ordinis Magistrum delata, & diligenter examinata, ejusdem judicio condignas excivit pænas. Vir leno per carnificem in quatuor partes sectus: licentiosus judex equis discerptus, adultera ferro candente in fronte notata & Prussiâ pulsa: Viduæ verò sua hæreditas controversa cum dimidio bonorum adversarii adjudicata: *Hist. Pruss: Lib: III.*

VI.

HERMANNUS de LIBENSTEIN

MOravus. Curiæ Romanæ Auditor. Aliquorum fecit ambitio, ut post fata Henrici Varmiensis Sedes octo ferè annos esset acephala. Jacobum, Virum eruditum promovebat Ordo, quem una pars Canonicorum elegerat: altera, ne in potestatem Ordinis veniret electio, Michaëlem U. J. D. suis suffragiis volebat Antistitem. Uterq; electus, ut jus suum tueretur, ivit Romam, deinde Avenionem; sed primus in itinere veneno, alter subita morte extinctus est. Id ubi cognovit Ordinis Magister, antequam Canonici electionem instituissent, Episcopatum vigore prætensi juris patronatûs Cancellario suo Hermanno contulit. Factum hoc Magistri ægrè tulerunt Canonici, quare jus suum defensuri, nuncios ea de re miserunt ad Summum Pontificem, pro quibus stetit Pontifex, Hermannus verò re cem, pro quibus stetit Pontifex, Hermannus verò rebûs infectis domum rediit. Quod adeò commovit Crucigeros, ut conjuraverint nullum alium, præter suum Can-

Cancellarium, ad Episcopatum Varmiensem admissuros. Stante hac contoversiâ, administratio Episcopatûs erat penes Canonicos: & per ipsos Resselium, Meelsacum, & Allesteinium urbes conditæ sunt, ac jure Culmensi munitæ.

Cùm modus reperiri non posset, quo contra Teutonicorum potentiam aliquis Episcopus eligeretur & in Varmiensi Sede tutò collocaretur; clam consiliô initiô Canonici Benedicto XII. Pontifici supplicârunt, ut Hermannum, Joannis Bohemiæ Oratorem, & in causis gravioribus apud Crucigeros Consiliarium Romam evocaret, illiq; Varmiensem Sedem regendam committeret: facturum proculdubio Bohemorum Regem, ut familiarem suum in patrocinium suscipiens, eum contra cujusvis potentiam in Episcopatu defenderet. Res optatum exitum nacta: Rex Bohemiæ Hermannum Romæ in Episcopum consecratum in Prussiam expedivit optimo comitatu instructum. Ita frementibûs & frustra renitentibûs Crucigeris Hermannus possessionem Episcopatûs adiit.

Ad tempora hujus Præsulis censuum & redituum Episcopatûs curam habuit Capitulum, duasq; partes Episcopo, sibi tertiam attribuebat. Sed cùm ex ea ratione dissensiones inter Episcopum & Canonicos sæpius exorirentur, & Advocatus, qui ex Ordine assumebatur, aliquot etiam millia sibi usurparet, visum est ad divisionem facultatum Judices designare; qui eas ita partiti sunt, ut Episcopo duæ partes, tertia cederet Canonicis. Præsul ea divisione accepit Resselium, Brunsbergam, Vormditum, Guttstadium, Vartenburgum, Heilsbergam, Bartensteinium & Sippelbeinum: Capitulum verò Fraumburgum, Passenheimum, Meelsacum, & Allensteinum. Erexit præterea Antistes hic Seeburgum Bisteinum & novam civitatem ad Brunsberg. Sic optimè meritus ultimum diem obiit 1350. in Principe Basilica sepultus.

Vit: Præs: Tom: II.

 VII.

VII.

JOANNES I. MISNENSIS

Ex Decano Varmiensi electus, & à Romana Sede confirmatus minime impediri potuit a Magistro Ordinis in possessione Episcopatûs. Obtinuit, à Pontifice Maximo, ut sua Ecclesia nemini, nisi supremæ Sedi subjecta esset: quæ res Magistro Ordinis & Archiepiscopo Rigensi minus æqua videbatur, supremæ tamen voluntati morem gerere debuerunt.

Stante superstitione bina erat quercus Prussis infidelibus sacra: unam Anselmus primus Præsul exuri fecit: altera in Rickoiot adhuc permanserat idolis Patollo, Potrimpo, & Percuno dedicata. Crucigerorum & Præsulum imperia impedire non poterant, ne Prussi ad sacra peragenda ad prædictam quercum convenirent. Tantum in sua Diæcesi facinus patrari non sustinuit religiosus Præsul; author fuit Vinrico Ordinis Magistro ut superstitiosa cum suis idolis deleretur arbor: utq; & locus oblitteraretur, Joannis ope & auxiliô cænobium Augustinianorum erectum est cum eleganti Ecclesia, quam Præsul in honorem SS. Trinitatis consecravit. *Hist. Pruss. Lib. III.*

In bonis Episcopatûs nullæ arces, nullæ erant munitiones, quæ ab hoste Episcopos defenderent, & subditos reciperent. Advertit insuper propugnacula & urbes Crucigerorum ab Ordine celeri manu muniri. Ea re videbantur agere Teutonici, ut suo tempore inermem Episcopatum Varmiensem jugo Ordinis subjicerent, aut ad suum placitum Antistites huic Sedi imponerent. Ut contra tam hostis impetum, quàm Crucigerorum potentiam præsidium haberet, arces in bonis Episcopatus, ut Heilsbergensem, Resselensem, Seeburgensem inchoavit, operam suam & impensas ad hocce opus contribuentibûs vasallis & subditis. Eos conatûs Præsulis Ordo impedire potuit, sed quia per universam Germaniam sparsum erat, Teutonicos facultatibus Ecclesiarum inhiare, arces erigendas permisit: illas omni studiô promovebat Joannes, sed, ne perficeret, mors impedivit. Vitâ decessit 1355. universæ Diæcesis luctu, Patrem suum subditis deflentibus: in Cathedrali Ecclesia sepultus.

VIII.

JOANNES II. STEIFROCUS

Patriâ Lipsiensis, dignitate Varmiensis Custos, II. Augusti electus, ab Innocentio VI. Avenione confirmatus & consecratus, in adeundo Episcopatu omnes difficultates ab Ordine structas gloriose superavit: primamq; adjecit curam in perficiendis munitionibus, quas suus Antecessor provide inchoaverat. Ordo in dies insolentior ut opes quoquo modo quæsitas congregaret, in suos subditos gravibûs oneribûs & tributis sæviebat: plurimi colonorum eam tyrannidem exosi Joannis Episcopi patrocinium postulârunt. Benigne accepit transfugas Steifrocus, & paterno fovit amore. Ea Antistitis benevolentia variè à Crucigeris explicata, peperit Joanni invidiam, & odium apud Vinricum.

Magister hic aliunde etiam erat infensus Steifroco; videlicet, quòd ille & non hic, quem suo & Ordinis nomine promovebat, Episcopatum Varmiensem adeptus esset. Hanc & facultatum suarum ulturus injuriam colonias Episcopi incendiô vastavit. Nec satis erat prædiis nocuisse; sub specie, ac si Præsul ultra limites antiquos fundorum possessionem extendisset, litem Episcopo intentavit. Ad eam dirimendam & fines regendos processit Steifrocus cum F. Sifrido de Hasenbach Commendatore Balgensi. Et licet veros ab antiquo limites Præsul demonstrâsset, illosq; non testimoniis duntaxat senum ultra centum fide dignorum, sed insuper evidentibûs documentis confirmâsset, tamen pro Ordine decisum est: & Episcopatui ademptum Bartensteinum cum

cum 600. mansis, Rastenburgum, Sippelbeinum cum 28. pagis lacubus, & Passenheimum cum suis prædiis. Crucigerisq; adjudicatum est: qui statim possessionem omnium occupârunt. *Hist: Pruss: Lib: III.*

Ad tam insignem injuriam indoluit Præsul & Capitulum, questusq; est coram Pontifice & Imperatore, missis ad utrumq; nunciis, de tanta vi suo Episcopatui per Ordinem illata. Uterq; per epistolam Vinricum Magistrum graviter admonuit, ne jura Ecclesiæ Varmiensis violaret, ejusq; dotem imminueret, alioquin se facturos, quod causæ æquitas, officiiq; ratio postularet. Ignem igni addidit Cæsar & Pontifex his litteris; ad eam enim insolentem temeritatem nonnulli ex Crucigeris cum Magistro devenerunt, ut suis, qui in aliis Regionibus morabantur, scriberent: se esse Ordinis Ecclesiastici inimicos, eosq, monerent: ut pari odio & injuriis cum Spiritualibus ubiq; decertarent. Tandem interventu amicorum constituta fuit dies S. Joanni Baptistæ sacra, pro qua ad villam Neikrich Episcopus cum Canonicis & Magister Ordinis convenerunt. Sed Vinricus homo violentus cùm plurima contumeliose in statum Ecclesiasticum, & ipsum Præsulem effutiisset, pessime habitum dimisit. *Hist: Pruss: loco citato.*

Rediit in Varmiam Antistes, & instituto Canonicorum conventu, eisdem valedixit, ac nocte insequenti acceptis privilegiis suæ Ecclesiæ, & socio itineris Joanne Primiceriô, Gedanum clam appulit, unde Avenionem ad Pontificem Maximum perrexit: ubi toto triennio pro bonis ademptis jure cum Crucigeris decertavit, tresq; conformes pro sua Ecclesia sententias obtinuit, à quibus Magister Ordinis Romam appellavit. Tam longa Joannis à sua Cathedra absentia in causa fuit, ut cùm illam in Prussia nemo defenderet, Magister & Ordo in eam sævierit, & præter bona, census & reditus Episcopales sui juris fecerit. Hæc dum agerentur in Varmia, Joannes Avenione, lite exagitatus, incommodis

modis fractus, viribus deficientibus debile corpus & impar ærumnis 1372. deposuit ibidem sepultus. Post obitum Steifroci Joannes Primicerius laborum pro Ecclesia Varmiensi comes ivit ad Carolum IV. Imperatorem supplex, ut Episcopatum Varmiensem Romano Imperio adoptaret, cujus patrociniô tutior foret ab Ordinis tyrannide; & facile ab optimo Cæsare hunc titulum & præsidium impetravit. *Hist: Pruss: Lib: III.*

IX.

HENRICUS III. SORBOHM.

Parentibûs virtute & nobilitate claris Elbingâ oriundus. Caroli IV. Cæsaris Secretarius, & ejusdem Avenione Procurator. Stante lite Steifroci cum Teutonicis, jurejurando conspiraverant Crucigeri, ad Episcopatum Varmiensem non alium se admissuros, nisi ex suo Ordine, & quem ipsi eligerent. Tam perniciosas huic Ecclesiæ Teutonicorum intentiones præsenserat Gregorius XI, illas ut inanes redderet, hunc Henricum in Episcopum Varmiensem, V, Septembris 1372. consecratum patrocinio Caroli insinuavit. Carolus sui Secretarii nova dignitate contentus, eundem cum præcipuis e nobilitate Bohemica Viris in Varmiam expedivit, & ne in possessione Episcopatûs Romani Imperii impediretur, Magistro Ordinis imperavit. Elusas intentiones suas doluit Ordo integer; sed quia & hic erat in patrocinio Cæsarum, imperiis Caroli morem gerere coactus est. Ad regendam Diæcesim admissus Henricus, Antecessore suo non fuit felicior.

Joannes Bosilgerus Actorum Ecclesiasticorum Heilsbergæ & ejus officii scriba, instinctu & patrociniô Crucigerorum, ambiebat Varmiensem Canonicatum, & quia ob rationes justas ab ea dignitate exclusus erat, mente fovebat vindictam, quam brevi exeruit. Noverat optime alienum ab Episcopo & Clero Varmiensi Magistri animum: noverat & Ordinis avaritiam; egit utroq;

utroq; modo: bilem auxit calumniis, avaritiam acuit majorum fundorum desideriô.

Satis ademerat Ordo Varmiensi Ecclesiæ, ut plura eriperet, fecit Bosilgerus. Illo authore egit Magister cum Antistite in negotio limitum Vartenburgensis, Allensteinensis, & Meelsacensis ditionis, & 450, mansos de meliori & pingviori gleba sibi applicuit. Finium testimonia, litteræ & privilegia flocci habita ab avaro Magistro; ad eam temeritatem ex diuturno armorum silentio devenerat Ordo Crucigerorum, ut omnia sibi licere arbitraretur. Eo Teutonicorum progressu afflictus Præsul, rem omnem Imperatori detulit: æquitate causæ & injuriâ Ecclesiæ motus Cæsar, negotium dedit Theodorico Vratislaviensi Episcopo, ut hic quod justum esset, statueret. Cùm ab utraq; parte finium judicandorum arbitri (inter quos locum nactus est ille Bosilgerus) electi fuissent; Henricus sui & Ecclesiæ immemor, pusillanimitate, sive etiam spe melioris boni inductus cum nominis ignominia, Ecclesiæ damno cessit tribûs conformibûs sententiis à Sede Apostolica obtentîs & litteris executorialibûs, quæ omnia gloriosæ memoriæ Steifrocus, illius Antecessor magnis laboribûs, vitæ etiam periculô, & multorum millium impensis ad firmam justitiæ formam deduxerat. Postmodum omnia in detrimentum Ecclesiæ agente Bosilgero, facti limites: quibûs amisit Episcopatus ultra 6000. mansorum cum lacubus & multis prædiis. *Hist: Prus: L. III.*

Tam ignominiosa & injuriosa Ecclesiæ Henrici cum Ordine actio Præsulem odiis exposuit & contemptui. Accessit & alia offensionis ratio. Antistes hic in aula sua fovebat ex nobilitate Bohemica multam & inutilem familiam, quæ subditis erat molesta: & licet eam admonitus à Canonicis amovisset, injuriæ tamen hæserunt in subditorum animis. Ignaviam Henrici detestati, & damna ulciscentes Brunsbergenses, magis honori duxerunt, si non Episcopi, sed Ordinis essent subditi:

itaq;

itaq; missa ad Magistrum legatione clientelam ejus exposcebant. Vinricus Magister, ne traduceretur ut Ecclesiarum oppressor, tum initam concordiam ne læderet, molitionem Brunsbergensium detulit Episcopo. Accurrit illico Brunsbergam cum triginta aulicis Henricus, & exprobrata primoribus proditione, quam negare non poterant, justas temeritati parabat pænas: illas tamen spe fidei servandæ, quam de novo obstrinxerant, supplicibus indulsit, levi mulctâ, ne scelus impunitum esset, contentus.

Primores suos præstolabatur populus in prætorio: hi ab arce reduces, ut scenam meliùs adornarent, animô turbati, magno ejulatu & lachrymis in vulgus sparserunt: urbem destruendam, & cives ab Episcopo trucidandos: quare sibi populus, & urbs consuleret. Dedit fidem plebs sinistræ famæ: quare tumultûs signô datô per æs campanum prætorii, cives, urbs tota in armis stetit, & arcem aggressa eam strennè oppugnavit, non priùs recessura nisi cum nece Præsulis. Henricus ut se præsenti periculo eriperet, de mùro demissus vix mortem pedes evasit. Seditiosum civitatis factum ut ulcisceretur Præsul, Magister Ordinis svadebat, suamq; opem, si ea indigeret, promittebat.

Henricus suorum ea in re consilium & svasionem Magistri ratam habuit, coactisq; partim ex vasallis Ecclesiæ, partim ex amicis equitum, & peditum turmis aliquot, Brunsbergam obsidione cinxit. Cives & sceleris conscientiâ, & pænarum metu exanimati denuo Magistri auxilium postulârunt. Sed hic correptâ insolentiâ officii eos admonuit, & si renuerent, ad tam enorme nefas castigandum operâ suâ præsto se adfuturum Episcopo respondit. Deerant vires urbi ad sustinendam obsidionem, nullæ sperabantur suppetiæ, cunctis rebellionem damnantibûs, Quare deposito fastu & pertinaciâ, præcipui ex Senatu fune ad collum appensô nudis pedibûs extra civitatem, ad castra progressi, sibi &

civi-

civibus veniam, urbi integræ misericordiam donari à Præsule supplices postulârunt: & impetrârunt benigni Antistitis clementiam his conditionibûs: I. Ut omnia damna ratione tumultûs resarcirent. II. Ut Murum justæ altitudinis cum turribus, quem diruerant, e solidis lateribus exstruerent. III. Armis, quibûs abusi sunt, & ære campano Senatorio ac prætoriali, quo plebem ad seditionem concitârunt, privarentur. IV. Pro expensis belli Episcopo 2000. fl. Hungaricalium infra unius anni spatium exsolverent. His conditionibûs Urbs Præsuli & Præsul urbi reconciliatus est. *Hist: Pruss: Lib: III.*

Pace cum seditiosa urbe constitutâ accinxit se Henricus perficiendis arcibus, & ædificandis Ecclesiis. Heilsbergæ aquæ ductus artificioso opere condidit: civitates Vartenberg & Bisteinum murô cinxit, Bisburgum elocavit. Ecclesiam Collegiatam Guttstadiensem, & plures alias erexit. Bisteinense templum cùm paulò ante obitum suum consecrâsset, sub tempus sacrificii in ipsa elevatione ex hostia consecrata aliquot guttæ sangvinis profluxerunt- ex eo altare illud, ara sangvinis nominatum est. (a) Obiit Heilsbergæ 1401. in Ecclesia Episcopali sepultus.

X.

HENRICUS IV. de VOGELSANG

HEilsbergæ natus, U. J. D. & Canonicus Varmiensis in Episcopum electus, & à Bonifacio IX. 1401. confirmatus est. Subjugatâ totâ Prussiâ, suis ditionibûs non contenti Crucigeri, Polonas Regiones, Lithvaniam, Samogitiam hostes invadebant: ut in pluribus locis supra annotatum est. Temporibus hujus Præsulis lecto numeroso exercitu Ladislaus Jagello Rex Poloniæ, & Vitoldus Dux Lithvaniæ memorabili ad Grunvaldum potiti victoriâ 1410, superbas hujus Ordinis attriverunt

(a) *Hist: Pruss: Lib: III.*

runt vires *Vide L: IV. C. III.* Post fusas Crucigerorum copias Ladislaus Rex victorem exercitum admovit Mariæburgo. Vitoldus verò Lithvanos, Zavolgenses & Transvolganos Scythas Regiomontum duxit. Gens hæc ut est insolens, nec facilè coërceri potest, multas injurias intulit illarum terrarum incolis. Imminebat Varmiensi Regioni, Præsul & sibi & subditis metuens cum aliquot Canonicis occurrit Vitoldo, supplex, ut abstineret a cæde & damnis Provinciæ, quæ nullam unquam belli causam præbuit: Multoq; numerato ære flexit Vitoldum Antistes. Ea Episcopi suam Varmiam redimentis actio, causa postmodum fuit discordiarum cum Ordine.

Sigismundus Rex Hungariæ ut afflictis in Prussia Crucigeris subveniret, parabat excursionem in Poloniam: ad illam repellendam acies Polonæ ex Prussia evocatæ tempus respirandi Crucigeris permiserunt. Henricus Plavensis, qui Magistri munus usurpaverat, copias colligebat, quibûs etiam suis molestus esset. Deerant numeranda militi stipendia ob exhaustam bellis Prussiam: centum milia fl. mutuo acceperat a Gedanensibus, qui denuo in fidem Crucigerorum abierant: contraxerat quoq; debitum à Venceslao Bohemorum Rege in quo eidem bona Chomentoviensia in Bohemia hypothecæ nomine oppignoraverat. Sed parva hæc videbantur ad sustinendum exercitum; ut ditesceret, animum & oculos in Varmiam convertit. Munera Vitoldo data, & illis ab hostilitate liberata Provincia, occasio erant avaritiæ. Ne verò injuste agere videretur, proditionis crimen objecit Henrico, quod, cum hoste clam composuisset, ut bonis suis intactis vim omnem ad Ordinis damnum convertisset, Innocentiam affatim probabat Episcopus, & meruit fidem apud plures; sed Magister opum cupidus, qui bona Episcopatûs spe devoraverat, Præsulem ut proditorem persequi constituit. Collectis viribûs Varmiam invasit, oppida & arces

occu-

occupavit subditis tributum imposuit: & ne Episcopus elaberetur, aditus omnes & vias diligenter observari jussit. Sed Antistes universas Magistri fefellit excubias, & in opificis cujusdam veste Gedanum, demum Lubecam unde ad Sigismundum Cæsarem pervenit, & de vi Ecclesiæ & sibi illata conquestus, litem Magistro per annos quatuor intentavit. Nihil habuit Plavensis, quod Præsuli opponeret, præter illud à se confictum proditionis scelus, quod cùm probare non posset, ab Imperatore condemnatus est, ut pro fructibus per quadriennium perceptis & damnis 50000. aureorum Hungaricalium Antistiti numeraret, & amplius Præsuli molestus non esset. *Hist: Pruss: L. IV.*

Sic restitutus suæ Ecclesiæ Henricus laboribûs & ærumnis confectus obiit Heilsbergæ & commune aliis Præsulibus sepulchrum in Principe Episcopatûs Basilica nactus est anno 1415. quo & Henricus Reus Plavensis XXIV, Magister Ordinis officiô depositus scelerum suorum pænas eluit, & in carcere Lochstet cunctis exosus diem supremum clausit.

XI.

JOANNES III. ABEZIER

MArtini V. Camerarius, U. J. D. Varmiensis Præpositus, unanimi Canonicorum votô electus, & in Episcopum in Concilio Constantiensi à Rigensi Archiepiscopo consecratus est. Solutô Conciliô Heilsbergam venit: magnâ totius Ordinis lætitiâ acceptus ob navatam Crucigeris contra Polonos in illa Synodo universali operam. Hæc Magistri cum novo Præsule amicitia optima quæquæ Varmienses sperare jubebat. Verùm Crucigeri ad genium reversi, ac si odium in Episcopos & Ecclesias hæreditatium & per successionem haberent, Joannem & ejus facultates multis injuriis affecerunt. In eo rerum statu quid ageret Antistes? Canonicorum consilium expetiit, quorum judiciô conclusum est, ut ipse ad Cæsarem & Pontificem proficisceretur, & contra vim Ordinis opem & auxilium postularet. Arripuit iter, jamq; Torunium venerat ultra progressurus Præsul: cùm Michaël Cuchmeister, qui in officio Plavensi successerat, missis celerrimè Oratoribûs eidem supplex erat, ut à cæpto desisteret, nec his querelis majori odio exponeret Crucigeros apud Christianos Principes: neve externa præsidia quæreret; paratum esse Ordinem ad negotia amice componenda. His rationibûs permotus à cæpto itinere destitit & rediit Heilsbergam Joannes; sed præter promissa apud pertinaces Crucigeros nihil lucratus est.

Huic malo alterum majus accessit non ipsi duntaxat Varmiæ, sed toti Prussiæ commune. Vicleffistarum hæresis in eam irrepsit, multi ritus pravos sectæ hujus secuti sunt. Festa neglecta, Sacramenta & Ecclesiæ pluribus erant risui. Hanc insolentiam ut Deus castigaret, permisit, ut maligni spiritus non solùm in castris & arcibus in forma spectrorum apparentes quæquæ horrenda patrarent, sed homines inter edendum & bibendum ingressi, eos miris modis cruciarent adeò, ut in rabiem versi more canum discurrerent vociferantes: *quod quærebamus, invenimus*, alii præcipites in flumina & puteos, alii in focos ardentes insilirent, & misere perirent. Cibo & potu abstinebant omnes ex eo, quod inter edendum vel bibendum eo corripiebantur malô. Hujus Episcopi authoritate coacta Synodus, in qua inter cætera constitutum est: ut ante Missæ sacrificium diebûs festis nihil venale proponeretur; ut singulis diebûs Vicarii Sacerdotes vel Religiosi domos circa horam octavam obirent, aqua lustrali homines & cibos aspergerent, ac modicum benedicti salis pro condimento ferculorum relinquerent. Qui id adhibebant, à periculo supra dictæ infirmitatis erant liberi. (b) His & aliis gloriose actis vitam mortalem deposuit Joannes 1424

(b) *Hist: Pruss: Lib: IV.*

1424. die XI. Februarii Heilsbergæ, Fravenburgi in Ecclesia Cathedrali sepultus.

XII.

FRANCISCUS KUSCHMALTZ

HUnc non genus, erat fabri ferrarii Resselienſis Filius, ſed eruditio & merita ad dignitatem Præſuleam evexerunt. Præpoſitus Varmienſis, & Decretorum Doctor fieri meruit, tandem poſt obitum Joannis, die XIII. Februarii 1424. electus a Martino V. confirmatus, Heilsbergæ in Epiſcopum conſecratus eſt. Optimè affectus erat Ordini, a quo nonnulla beneficia accepit; ſed majora odia totius ferè Pruſſiæ pro obſequiis Ordini præſtitis paſſus eſt. Juxta pactam conditionem Advocatus bonorum Epiſcopatus Varmienſis legebatur ex Ordine Crucigerorum. *Vide p. 286.* Officium hoc hiſce temporibûs adminiſtrabat F. Gumprechtus de Loſenſtein, homo ut arrogans ſic factioſus: munus magis ſuperbum fecit & ad novas res formandas idoneum. Subditis Brunsbergenſis & Meelſacenſis tractûs ſeditionem inſpirat, ſvadetq; ut perſoluta cenſuum dimidia parte, nihil operæ Epiſcopo impendant. Plebs immunitatis avida, ſermonem ut regulam adoravit; quare ad ſuum officium, & penſiones pænis & carceribûs cogi debuit. Hoc Advocati factum detulit Antiſtes Magiſtro Ordinis, qui rei indignitate motus Gumprechtum officiô depoſuit, & ſcriptô Eberhardi Epiſcopi redditô in conſtituendo Advocato plenam poteſtatem dedit Antiſtiti. Favor hic Magiſtri adeò obligatum negotiis Crucigerorum fecit Franciſcum, ut hic contra Pruſſiæ Nobilitatem libertates ſuas vindicantem armis cum Ordine conjunctis decertare non dubitaverit: fuitq; nonnullorum imò plurium opinio, quod bellorum inter has partes, & defectionis Pruſſiæ a Crucigeris Præſul hic non poſtrema cauſa fuerit.

Joannes Baſenus, Filius Equitis de Hancze Conradi

radi de Zailigen, qui poſt cladem Tannebergenſem (eadem fuit cum Grunvaldenſi à pagis Grunvaldo & Tannebrico dicta) à villa Baſen Diſtrictûs Vormditenſis apud Henricum IV. Varmienſem Epiſcopum empta, nomen Baſeni ſibi & Succeſſoribus quæſivit (c) rudimenta militiæ in Patria quæſita ut expoliret, plures luſtravit Provincias. Venit & in Arragoniam, quo tempore Petrus huic Regno imperans de ſumma rei cum Mauris decertabat. Poſt cruenta prælia & alternam belli fortunam inter Duces utrinſq; exercitus conventum erat: ut duo ab utrinq; milites electi de imperio ſingulari certamine dimicarent, ea conditione: ut ut ſi Chriſtianus vinceret, Mauri Arragoniæ Regis eſſent tributarii; ſi Maurus, Arragonia quotannis Mauris penderet tributum. Prodiit e caſtris infidelium in aream vir præſtans animô & robore, cum quo qui congredi vellet, e Chriſtianis nullus erat. Rex muneribûs invitabat plures ad conflictum, ſed vir ille cunctis erat metui. Afflictus Princeps ſpectabat proprias turbari acies, audiebat hoſtes victoriam tubâ canere. Interea dum animô concidunt Chriſtiani, Baſenus Dominô exercituum invocatô, barbaro obviam progreſſus, virtute, armorum peritiâ & dexteritate ad eas Maurum redegit anguſtias, ut illo ſuperior evaſerit, & captivum ad caſtra ſua reduxerit, eoq, certamine Mauros fecerit tributarios Arragoniis. Animum & vires Joannis adoravit Chriſtianus miles: Rex baltheô militarî & ampliſſimis donis decoravit. Majora parabat, ſed quia cum Mauro reditum contendebat in Patriam Baſenus, ægrè quidem dimiſſum Rex Magiſtro Ordinis Teutonici ampliſſimis litteris virtutis & rei præclarè geſtæ teſtibûs commendavit. *Hiſt: Pruſſ: Lib. V. Nieſiecki Tom: I.*

Hic itaq, Baſenus, cùm plurimâ gratiâ & authoritate apud Crucigeros polleret, emit bona in Oſterrodenſi

(c) *Hiſt: Pruſ. Lib: V.*

densi districtu, quæ in Allesteinensem oram limitibus productis ampliora reddere, & Varmiensem Ecclesiam lacu vicino privare cupiebat. Movit quæstionem, ad eam decidendam Magister arbitros expedivit, qui pro Ecclesia tulerunt sententiam. Agitata fuit causa hæc denuo in conventu statuum Prussiæ 1451. in eo Magister Ordinis, ad quem à decreto Judicum provocatum erat, primam decisionem approbavit. Ægre tulit Joannes eam sententiam, quare ad universale Ordinum judicium provocavit Episcopum. Monuit eundem Magister, ut à lite desisteret, se pro uno lacu, quatuor alios eidem daturum appromittens. Sed Basenus, vir acer & obstinatus causam ad judicium Ordinum Prussiæ induxit, qui sententiam tulerunt contra Præsulem: Questus est Franciscus, & nullam voluit, quod ab illis esset prolata, quibus nullum jus esset in Episcopum. Sic bifariam judicatum negotium utriq; parti jus in lacum dedit, & contentionum auxit fomitem, quo brevi correpta Prussia excusso Crucigerorum jugô in patrocinium & dominium Polonorum ivit.

Inter Præsulem & Basenum major in dies crevit dissensio: augebat illam favor Magistri sæpius Episcopo, cum injuria Nobilium, & in hac causa (ut putabat Basenus) præstitus. Basenus inter Primores Prussiæ non postremus, opibùs & sangvine potens ut Franciscum contemnebat, sic Magistro infensus, famam illius & gesta sæpius proscindebat. Ludovicus Erlihausen, qui tum moderabatur Ordinem, ne viri Crucigeris inimici potentia per populi favorem cresceret, ac tumultuum & seditionis esset occasio, hominem bonis privavit, & Prussiâ proscripsit.

Ob non servata Nobilitati & Civitatibus fædera ac privilegia pridem Prussiæ statibus exosi erant Cruciigeri, de hac injuria & aliis sæpe coram Pontifice, Imperatore querebantur: eoq; fine temporibùs Pauli Rufdorfi Ordinis Magistri 1440. Feria secunda post Domini-

nicam Judica Quidzini inierunt fædus, quod Ligam nominarunt. (d) Tolerabatur tamen malum ob amicitiam licet fictam Teutonicorum cum Prussiæ Dynastis. Sed proscriptio Baseni, rerum experientiâ, & nobilitate insignis, accepta est pro communi omnibus injuria, armaq; dedit populo: præcipue cùm in sua causa 1453. die 28. Novembris in judicio Cæsaris cecidissent, & ut infames declarati ad summam 60000. fl. condemnati essent.

Ne tamen temerè agere viderentur, Torunium convenerunt: unde datis litteris ad Ludovicum Erlihausen Ordinis Magistrum 1454. die IV. Februarii, ejus & Teutonicorum dominium excutiebant: utq; præmeditatum opus promoverent fortiùs splendidam legationem ad Casimirum Jagellonidam Regem Poloniæ adornarunt, missis Oratoribùs: Joanne Baseno, Augustino de Scheve, Gabriele Baseno, Nicolao Volkau nomine Nobilium, Laurentio Kritz Culmensi, Ritigero Pirken Torunensi, Laurentio Pilgrim Elbingensi Pro Consulibus, Vilhelmo Jordano Equite, Joanne Meydeburg Gedanensi, Joanne Cale Brunsbergensi, Georgio Swach Regiomontano, Nicolao Rodeman Cniphoviensi, Consulibus.

Eodem adhuc mense Feriâ IV. ante Festum Cathedræ S. Petri Cracoviam venerunt Legati: stato tempore in Senatum introducti: Legationis Princeps Ioannes Basenus, non ita pridem à Magistro proscriptus, suo Legatorum & totius Prussiæ nomine ad Regem ad Senatum peroravit: injurias, quas abunde Crucigeri Polonis intulerant, suas quoq; quas tolerare coguntur miseri, exposuit, & se, fortunasq; omnium, Prussiam, Pomeraniam, Culmensem & Michałoviensem terram subdidit: sermonemq; suum finivit hac ad Regem allocutione: *Moveant Te preces nostræ, moveant lachrymæ, & non nostræ solùm sed & horum, qui reditum nostrum inter*

metum

(d) *Hist: Prus: Lib: V.*

metum spemq; suspensi observant, gaudium aut mœrorem de Tua responsione habituri. Dlugossius Lib: XIII.

Facile erat orationem apud faventes æquis auribus excipi; nemo illam nisi gratus audivit: interea varii erant Polonorum sensus. Aliqui deditionem suscipiendam censebant: alii, quorum Princeps erat Sbigneus Cardinalis, dissvadebant. multi Duce Tęczynscio Palatino Cracoviensi rem integram ad Comitia rejiciebant. Nec deerat Teutonicis parte ex altera Legatus, Ordinis Thesaurarius qui ad cohonestandas Regis nuptias missus 50000. fl. secum tulerat ad pertrahendos in partes Crucigerorum Polonos Proceres. Is nonnullos fæderum admonebat publice, tentabat alios pecuniis, ad extremum clientes & tributarios Regi Polonisq; Magistrum & Crucigeros promittebat. Quocirca quindecem dies in consiliis absumpti sunt. Prussorum Legati exposcebant à Rege, ne rem differret; alioquin se alios Dominos ac Patronos quæsituros esse. Apparebat eos in Bohemiam ad Regem Ladislaum in negotio hoc iter meditari. Interea frequentes ex Prussia Nuncii deferebant, Nobilitatis & Civitatum partes meliores fieri; Magistrum & Crucigeros munitionibus Stumæ & Mariæburgi contineri. *Hist: Prus: Lib: VI.*

His igitur impulsi Rex & Proceres Poloni, ne tam apertam & insperatam occasionem, ea recuperandi, quæ olim Majores sui amiserant, vix unquam redituram elabi paterentur; deditionem Prussorum ratam habuerunt Cracoviæ Feria IV. Cinerum 1454. quam eo modo per Nuncios factam Incolæ Terrarum Prussiæ anno eodem Feriâ II. post Dominicam Palmarum jure jurando approbârunt. Quibus jura omnia & privilegia, præcipue de tenutis (terminus est statuti Poloni possessionem bonorum Regalium significans) civitatum solis indigenis conferendis denuo approbavit Casimirus Rex Torunii Feria II. Beati Joannis Baptistæ Anno eodem 1454. *Volum Legum I.*

Nego-

Negotium deditionis Prussiæ eo modo peractum ut Incolas lætitiâ, sic Magistrum & Crucigeros dolore & metu rerum suarum affecit. Ludovicus Erlihausen statui afflicto Ordinis ut consuleret, Franciscum Varmiensem Episcopum cum Henrico Plavenio Elbingensi Commendatore misit in Germaniam, Friderico Cæsari deferens rebelle Prussorum facinus, & subsidium Imperatoris implorans. Legationem hanc dissvadebat Capitulum suo Præsuli, sed hic & honori & emolumento suo futuram speravit; verùm apud Cæsarem bellô Italicô & Hungaricô distentum nihil effecit. Serò advertit se non tantum statuum Prussiæ odium, sed & Regis Poloniæ indignationem incurrisse, quare susceptæ legationis contra mentem Capituli eum pænitere cæpit. Magnis itaq; itineribûs contendit, ut bona Episcopatûs faciliùs tueri posset; sed à subditis non admissus Mariæburgum rediit ad Magistrum, cum quo obsidionem diutinam sustinere coactus est: illius demum pertæsus Vratislaviam perrexit, ubi censu coempto vitam ærumnis plenâ cum morte mutavit 1457. die X. Junii, in Ecclesia S. Joannis sepultus.

XIII.

ÆNEAS SYLVIUS

OB tumultus bellicos ad eligendum Præsulem post obitum Francisci non poterant convenire Canonici; quare ut erant locis distracti, diversos elegerunt: illi, qui sub tempus hostilitatis Glogoviam se contulerant, Æneam Sylvium, Patriâ Senensem, gente Picolomineum, S.R.E. Cardinalem votis suis Varmiensi præficiebant Sedi, eo maxime consiliô, quòd hunc apud Principes gratia & authoritate pollentem ad suæ Ecclesiæ rationes sublevandas maximè idoneum censerent. Illi, qui Allensteinô Regiomontum deducti sub custodia tenebantur, in Arnoldum de Venrade Primicerium

Vit: Præs: Tom: II. U Varmi-

Varmiensem suffragia contulerunt: qui verò Gedanum se subduxerant Joannem Lutecum, Archidiaconum Gnesnensem, Regni Pro Cancellarium ad summum Pontificem Oratorem designatum elegerunt. Ex mum Pontificem Oratorem designatum elegerunt. Ex omnibus Callistus Æneam confirmavit, eum cæteris præferendum existimans, quòd à Natione Germanica dependeret, & Casimiro Vir tantus non ingratus futurus videretur. Sed Casimirus Æneam, tanquam exterum & Germanis addictum ut admitteret, adduci non potuit. Verùm, quo Varmia, Rege impediente, Episcopo gloriari non valuit, illum post fata Callisti III Roma & Orbis Summum Pontificem adoravit sub nomine Pii II, paucis quidem annis, sed plurimis gestis gloriosum.

XIV.

PAULUS de LEGENDORFF

NObili genere in Prussia natus, Canonicus Varmiensis, Prothonotarius Apostolicus. Post assumptum Æneam ad Summum Pontificatum, ad eligendum novum Antistitem Varmienses Canonici ob motus bellicos nec convenire, nec convocari poterant. Quare Pius II. veteri suo amico huic Paulo primùm administrandam, postmodum pleno jure regendam Varmiensem Diæcesim dedit: & consecratum cùm litteris ad Regem & Magistrum Ordinis expedivit, quibûs ab utroq; postulabat, ut novum Episcopum ad suam Sedem & bona admitterent. Paulo verò præcepit, ut se modestè gereret, & nulli partium adhæreret.

Anno 1459. mense Majo Episcopatum adiit, sed non omnia bona in possessionem recepit. Brunsberga Civitas Præsulea tenebatur à præsidio partium Regis Poloniæ, ast illo ejecto, brevi Paulum hunc Crucigeris faventem, Dominum agnovit. Ea res offendit Joannem Scalium Bohemum hujus militiæ præfectum, qui injuriam hanc aliis in locis strenuè curavit resarcire. Possi-

Possidebat ille suis cum copiis Vormditum Urbem Episcopalem, hac ut Magister & Præsul potiretur, agere vi aperta timuit, quare ad dolos conversus, unum ex civibus in partes suas traxit: proditionis condicta nocturna hora: cæterum proditor ille sive conscientia, sive metu felicis successus commotus, Scalio rem totam aperuit. Optimam vindicandæ injuriæ occasionem nactus Joannes, tenebrarum beneficiô struit insidias, quibus hostis superveniens involutus cæsus integer: procedebat adhuc non exiguum Crucigerorum agmen, sed suorum clade territi, dum in propinquos lacus glacie nondum bene concretos diffugiunt, omnes submersi, miserô fatô interiere.

Hoc Teutonum casu non contentus Scalius, Meelsacum oppidum Capituli astu cepit. Quatuor currus cerevisiâ Gedanensi onustos Heilsbergam disposuit. Eundum erat non procul Meelsaco, quod Crucigerorum defendebatur milite: præsidiarii impetu in currus facto facile prædâ potiti sunt. Altero die Paschæ dum copiæ Meelsacenses cerevisiâ interceptâ inebriantur, nec agunt excubias, quod speraverat Scalius, cum quingentis militibus nocte urbem aggreditur, & obtinet: eamq; postmodum contra Henricum Plavenium defendit strenuè. Hac Meelsaci interceptione, & forti per Scalium contra 3000. Crucigerorum defensione, aliisq; injuriis inductus Præsul transiit in partes Regias.

Venit interea Rudolphus Episcopus Lavantinensis Vratislaviam, deditq; ad Casimirum litteras, quibûs deferebat se à Pontifice missum ad pacem componendam inter ipsum & Crucigeros. Ad illam perficiendam adjecerat animum Casimirus, belli tam diutini pertæsus, mittit itaq; Joannem Dlugossium indicans pacem se non abnuere, modo ille bona fide se interponeret, nec Hieronimum Cretensem Archiepiscopum imitaretur, qui inimicitias extincturus veniens, earum majus incendium excitavit. Optima quæquæ Rudolphus polli-

 citus

citus est: inter Fridericum Cæsarem & Mathiam Hungarorum Regem non ita pridem pacem se fecisse, in eaq; conficienda incorruptum fuisse & æquum, ita, ut ab Imperatore incusaretur, quod, licet Germanus, tamen in Hungaros quàm in suos propensior exstitisset. *Hist: Prus: L. VI. Dlugoss: L. XIII.*

Nec Ludovicus Erlihausen Ordinis Magister ab horrebat ab armorum quiete; continuæ Polonorum victoriæ, urbes ad Casimirum deficientes ut Regias augebant partes, sic Crucigerorum minuebant vires. Quare in conventu Regiomonti habito, cùm nemo pacis mentionem facere auderet, quivis tamen optaret, primus ipse Magister illius ineundæ dixit sententiam: in quam ab omnibus itum est: missusq; e vestigio ad Regem Bernardus Sumbergius, tempus & locum concludendorum pactorum postulavit.

Post multa consilia conclusum est: ut Rex pro die Nativitatis Beatissimæ Torunium, Magister cum suis Culmam, ii verò, qui de conditionibus tractaturi essent, Culmseam convenirent. Accitus est ad eam rem & Legatus Pontificius Rudolphus, qui 7. Septembris paucis horis post Regem venit Torunium, honore Pontificiis Legatis debito acceptus: Cruciferi diutius expectati. Interim die natali Virginis MARIÆ in Ecclesia PP. Ord: Min: Legatus ritu solenni sacra fecit: postridie verò mandata Pontificis exposuit, Regemq; ad pacem hortatus est. Venit interea & Magister cum 300. equitibus, placuitq; non ad Culmseam, sed ad Niessaviam conventum habere sub tentoriis.

Ut Casimirus ad omnia erat facilis, sic Cruciferi pertinaces videbantur: sed ubi Choyniciam expugnatam, Lemburgum Bytoviam captam, Nescomontum à Conrado Duce Mazoviæ interceptum certis nunciis didicerunt, veriti ne totâ Prussia à se deficeret, post multorum dierum colloquia & tractatus, Legato Pontificio summa fide & studio adnitente, tandem XIX

XIX. Octobris anno 1466. pax diu optata confecta est, ac in tabulis redacta, Legati ac trium Notariorum manibus subscripta, a Rege Magistroq; Torunium accito & utriusq; Consiliariis consignata, in domo publica, quam *Gilda* vocant, Rege & Magistro cum suis congregato a Legato Rudolpho quidem Germanicà, a Vincentio Gosławski Kiełbasa dicto Regni Secretario Polonicâ linguâ publicata, ac utriusq; partis assensu & solenni jurejurandô confirmata est.

His autem conditionibûs ea pax coaluit: ut Rex Poloniæ Culmensem, Michałoviensem, ditiones, Pomeraniam omnem, Mariæburgum, Stumam, Christiburgum, Elbingam ac Tolkmitum, arces & oppida cum suis territoriis & munere sylvarum, Valtampt, Teutonice vocatur, & sex pagos qui ad arcem Hollandiam pertinerent, jure sempiterno obtineret: Neringam item peninsulam, exceptis duobûs pagis cum prædio, qui Crucigeris, propter commodiorem in lacu Habo rem piscatoriam, relicti sunt. Reliquum, quidquid est in Prussia, ut Magister cum Ordine possideret, ea tamen lege, ut semper esset in fide & clientela Regum Poloniæ, idq; solenni juramentô quivis Ordinis Magister constitutus intra sex menses ipse Regi profiteretur, essetq; is Princeps & Consiliarius Regni, & ad sinistram in consiliis & publicis congressibus primum locum haberet: primi quoq; Commendatores Consiliarii Regis essent: atq; ita Magister Ordo ac tota Prussia, & quidquid ii postea bellô, vel quovis alio modo de barbaris quærerent, cum Polonia conjungerentur, & in unum corpus coalescerent: neq; cujuspiam præter Regis Poloniæ Majestatem, authoritatem & jurisdictionem (salvo Pontificis Maximi in Ecclesiasticis jure) agnoscerent: Regnoq; Poloniæ contra quemvis hostem auxiliô adessent. Ad Ordinis professionem ut pateret aditus Polonis, aliisq; ditionis Regiæ hominibus, dum

U 3 modo

modo hi dimidia parte Teutones non excederent: Polonorumq; in curandis Magistratibus ratio haberetur. Munitiones, si quæ intra fines utriusve partis ab aliquo adhuc tenerentur, ut ante octavum Calendas Junii bona fide redderentur; sin autem ab alio, utriusq; ope recuperarentur. Donationes, venditiones, ac aliæ quævis alienationes damnô alterius bello durante factæ, ne ratæ essent. Profugis & exulibus equestris Ordinis possessiones ademptæ restituerentur: plebejis verò eæ tantùm, quæ ante initium conventûs non essent venditæ: cæterum pro venditis liceret pretium numerare. Omnibus perduellionis ac defectionis noxa remitteretur. Culmensis Ecclesia amotis Religiosis Crucigeris ut rediret ad jus Gnesnensis Metropolis, ejusq; Episcopatum Vincentius Kiełbasa, simulq; Pomesaniensem haberet: post cujus fata Pomesaniensis Sedes juris Crucigerorum esset. Arces, oppida, pagi, & quævis loca ab utrinq; suis Ecclesiis redderentur. Captivi ab utraq; parte mitterentur liberi: viæ publicæ ut essent omnibus securæ: telonia sivæ portoria nova ne statuerentur. Hæc ita sancita ut firma essent, omnes Prussiæ Episcopi, Duces, Palatini, Castellani, Commendatores, Equites, Civitates juramentô confirmarent: Rex verò & Magister ad Summum Pontificem pro approbatione earum conditionum Oratores expedirent. *Leg: Volum: I.*

Eo modo post cruenta plurium annorum bella continuæ inter Polonos & Crucigeros inimicitiæ aliquantum sopitæ & pax coalita operâ Rudolphi Legati Pontificii: cui ad opus hocce perficiendum animum addidit Veronica Cracoviensis Virgo Vratislaviæ ad Ecclesiam Principem devotionis causâ commanens. Hæc divinitus cognovit Rudolphum bello Pruthenico finem impositurum. Viderat illa eundem coram Mâjestate Divina gladium parte utraq; acutum confringentem. Studium & laborem Legati amplissimis donis remunerabatur Casimirus; sed hic gloriâ operis finiti lætus nulla suscepit: vix titulum Consiliarii Regii cum pensione 200. fl: quotannis, quoad viveret, ex salis fodinis Bochnensibus numerandâ admisit. *Dlugossius L. XIII.*

Concordia hæc omnibus grata, ipsi Ludovico Erlihausen Magistro adeò fuit jucunda, ut supremum diem obiens, hæc ad Casimirum dederit mandata: *Et tu* inquit *Rex perpetuâ Superûm felicitate floreas, ego ex confecto fœdere pacem Ordini meo relicturus abunde cæteris lætus, hoc uno torqueor, quòd præcipiti morte subducendus, diutius Tua bonitate defungi non possum. Moribundus autem Ordinem in Tuam defensionem dedo.* (a) Multis tamen Crucigerorum altiùs hæsit dolor ex amissis tot Provinciis, illis præcipuè, qui per rapinas divites effecti, majores ambiebant opes: unde Paulus Varmiensis Episcopus ab eo tempore quo Regias partes secutus fuerat, aliquibus erat odio; quòd in tantum crevit, ut illorum instinctu venenô sublatus esset, cùm enim à Henrico Richtenbergio XXX. in ordine Magistro Bartsteinum invitatus esset, à Veigelo Leitzlet inter pocula porrectum virus sumpsit & brevi Brunsbergæ 1471. è vivis sublatus, ibidem in Ecclesia Parochiali sepultus est. *Hist: Prus: L. VII.*

Illo Diæcesim moderante accidit res lepida. Hortulanus cujusdam oppidi in Prussia filio suâ operâ tantum adfuit, ut ad exteras nationes litterarum causâ profectus, Parentis impensis licet modicis jus didicerit & in eo eminuerit. Redux in Patriam quidquid arte sua lucrabatur, in Patrem expendebat. Vidit aliquando Parens in libris filii, nunc minores, nunc majores rubros, tum nigros characteres, & quid sibi hi vellent? quæsivit. Respondit adolescens: majoribûs litteris ipsum jus notari, minoribus glossas, quibûs aliquando jus per causidicos inverteretur: notis verò rubris significari, ad quod verbum vel sententiam juris glossæ perti-

(a) *Dlugossius Lib: XIII.*

pertinerent. Observavit Pater dicta filii: & cùm hic abesset, ille omnes minores litteras cum rubris abscidit & combussit. Rediit adolescens, & factum ubi reperit, illius causam & authorem quæsivit: nec negavit Parens se id fecisse, nec causam reticuit. *Nam* inquit *charissime Fili, quidquid labore acquisiveram, tuâ causâ expendi, ut veritatem & æquitatem disceres, & alios doceres. Nunc, dicente te ipso, didici, falsitatem te miscuisse cum veritate; satis fraudis in Prussia habemus, non oportebat te ejus gratiâ alio proficisci; Propter fraudem & injustitiam Cruciferi Prussiam amiserunt. Accidere posset, ut quis contra me argueret ex his libris tuis, hortumq; istum iniquè à me auferre posset; quare id, quod minùs rectum fuit, abstuli.* (b) Res hæc juveni stomachum, omnibus risum movit, sed docuit jus & leges in suo candore accipiendas.

XV.

NICOLAUS I. à TUNGEN

SUblatô è vivis Paulô de Legendorff, Casimirus Rex in administranda Diæcesi Varmiensi Vincentium Culmensem Episcopum, & Pomesaniæ Episcopatûs Administratorem substituit. Vincentius spe potiundi tam opulenti Episcopatûs curabat præsentium Canonicorum affectus, sed cùm omnes convenissent, indictâ electione hunc Nicolaum Canonicum suæ Ecclesiæ apud Paulum II. Brevium Apostolicorum Scriptorem omnibûs fere votis elegerunt: qui Romæ consecratus est. Parabat ille iter ad Diæcesim, sed gravi morbô impeditus Romæ subsistere debuit. Interea Vincentius Canonicis molestus, civitatum incolis & omnibus gravis esse cæpit. Res hæc ubi Regi delata esset, Casimirus vitandi tumultûs causâ ab administratione Episcopatûs amovit Vincentium, ut verò suo jure uteretur, Andreæ Oporovio suo Secretario Episcopatum contulit 1473, eumq; Sixto IV. confirmandum commendavit.

(b) *Hist: Prus: Lib: VII.*

Varmiæ verò Ordines curam bonorum commiserunt Michaëli Erdmanno Gedanensi Consuli. Ea Oporovii nominatio promovebatur strenue à Regiis; suis quoq; rebus non defuit Nicolaus. Regis Procurator cum jus Oporovii debile adverteret, ut aliquid egisse videretur, clandestine procuravit Bullam, qua Oporovius confirmabatur in Episcopatu Varmiensi, eamq; in Poloniam transmisit.

Supervenit ex Urbe & Nicolaus, & cùm uterq; vi litterarum Apostolicarum in Episcopatum admitti postularet. Consiliarii Terrarum Prussiæ ne in tanto negotio præcipitarent, rem ad Casimirum detulerunt indictis Elbingam pro festo S. Joannis Comitiis, in quibus decisionem Regis uterq; Præsul accepturus esset. Die constituto apparuit pars utraq; venit & responsum Regium, quo jubebatur, ut Consiliarii rem diligenter cognoscerent, & nemini Episcopatus possessionem adjudicarent, nisi futurus Præsul Regi & Regno obedientiam & fidem jure jurando polliceretur. Oporovius productis litteris asserebat se à Regia Majestate nominatum, & à Sede Apostolica confirmatum. Nicolaus suas quoq; monstravit: & litteras Confirmationis Oporovii commentitias asseruit; utq; dictis fidem faceret, utrumq: Bullarum exemplar suis sumptibûs Romam se missurum pollicitus est. Consiliarii cùm cernerent, quo se Nicolaus demisisset, acceptas bullas illius impensîs Romam expediverunt, causamq; illius apud Regem se promoturos polliciti, postulârunt, ut in res Episcopales & jurisdictionem se non ingereret, quod ille se facturum data fide promisit.

Dum Bullarum veritas expectatur, & Rex in Podolia subsistit, Oporovius armîs rem aggressus, Episcopatum vi occupare conabatur, sed non absq; suorum clade rejectus est. Nicolaus quoq; contra fidem datam processit, cùm Heilsbergam intercepit. Hunc progressum Nicolai ægre tulerunt Status Prussiæ, minusq; favebant

vebant ejus rebus. Obiit interea Henricus Richtenbergius Ordinis Magister, cui 1477. in officio successit Martinus Truschesius, qui interdum Treslerus vocatur. Invitabatur ille Perricoviam, ut juxta jura pacta in verba Regis juraret; sed homo animi inquieti, non tam suis, quàm Mathiæ, Regis Hungariæ, & a quorum Germaniæ Principum promissis viribus confisus, rem agere contra conditiones pacis, & antiquas Ordinis libertates vindicare constituit. Advertit eam mentem Magistri Nicolaus, quare, cùm suô factô Ordines Prussiæ offensos cerneret, ut apud exteros Principes contra Polonos & Regiarum partium Pruthenos sibi præsidium facilius compararet, cum Truschesio & Crucigeris amicitiam inivit. Lætus hac accessione Nicolai Magister, societatem istam amplexus est; præcipue quòd Episcopus habita ex integro ferè bonorum possessione, ac subditorum obedientiâ, arces & oppida egregiè muniverit, rebûsq; necessariis ad omnem Polonorum insultum instruxerit. Ambo itaq; conspirârunt, ut pro suis libertatibus decertarent.

Consilia & machinationes Tungeni cum Magistro minimè latebant Status Prussiæ, sed credebant illis remedium tulisse litteras Apostolicas, quibûs declarabatur Varmiensis Episcopus, Nicolaus non Oporovius. Quare nuncios certos, quorum primus fuit Joannes Basenus, adornârunt, qui Nicolao legitimam dignitatem gratularentur, eumq; certiorem redderent, quemadmodum Antecessor ejus Paulus in conventu Elbingensi coram universis Prussiæ Ordinibus sese obligaverit, quòd una cum vasallis Regi Poloniæ obediens esset futurus: quam ob rem videret, quid agere deberet; ne hoc suô cum Magistro Teutonicorum commerciô res proprias extremo periculo exponeret. Officium gratulationis gratô animô accepit Præsul: quantum ad Regem Poloniæ respondit: non se intelligere, quid nam juris in Episcopatum Varmiensem haberet Rex Poloniæ.

Antecessor suus illis afflictis temporibûs quòd Regi Regnoq; Poloniæ obedientiam præstitisset, id fieri sub certis conditionibus debuit, præterea ad eam rem Capituli assensum defuisse. Nosse verò se optime Episcopatum hunc Romano Imperio adoptatum, nec ab illo avulsum, quare se nullum alium Patronum agnoscere, prætetquam Romanum Imperatorem.

Ejusmodi responsum Præsulis nunquam sperabant Nuncii: & cum adverterent nullum rationibus suis dari locum, Regiomontum profecti sunt, ut Magistro saniora consilia inspirarent. Admissi post multa humanitatis officia, fœdera juramentô Ordinis firmata, pericula, infaustam belli fortunam, deplorandam totius Prussiæ sortem exponebant; sed surdo loquebantur. Obstinatæ mentis homo his flecti non potuit, extrema quæquæ tentare & subire paratus.

Consiliarii & Ordines Prussiæ Regalis cùm manifestè viderent, quo res propenderent, Elbingæ egerunt conventum, unde datis ad Magistrum & Episcopum litteris, eos denuo monuerunt, ut intra spatium sex mensium Regiæ Majestati obedientiam præstarent, alioqui hostes futuri. Casimiro quoq; in quo statu essent res Prussiæ fideliter detulerunt. Atq; ita miles scribi & bellum apparari cœpit. Non defuit rebus suis Antistes: Ad Magistrum propere excurrit, & belli societatem jurejurando etiam interpositô innovavit: hac conditione adjecta, ut Magister quo meliùs Episcopum defenderet, oppida & arces Episcopales suis præsidiariis muniret: insuper ad augendas vires 7000. aureorum Magistro numeravit.

Rex Casimirus cùm apertis argumentis didicisset, rem in manifestam seditionem erupisse, Brunsbergæ pro Dominica Palmarum generalem totius Prussiæ indixit congressum. Ex quo repetita legatio ad Magistrum & Episcopum, illaq; amice monebantur, ut nisi se, suaq; omnia vellent perdita, Regi fidelitatem jurarent

rent, verum utriusq; temeritas in eam crevit pertinaciam, ut nullis rationibûs frangi posset. Magister quoq; dominii sui vasallos Regiomontum convocavit, facileq, nobilitatem in suas partes traxit. Civitatum nuncii, nolle se vitam & facultates iri perditum, responderunt: cogitaret Magister, utrum illi recte in belli societatem contra Regem Poloniæ venirent, cui fidem suam obstrinxerunt, & a quo nullam mali hactenus habuerunt occasionem. Hæc civitatum responsio gravate accepta à Magistro, quare objurgatis deliberandi tempus concessit. Rex verò pervicacia Magistri & Nicolai cognita, Tungeno bellum denunciavit: ne idem Magistro deferret, effecerant preces FF. Teutonicorum in Germania, qui Magistrum Regi fidelem, aut officiô privandum spoponderunt.

Septem millia lecti militis Rex movit in Varmiam Duce Bielavio: felicibûsq; armis pugnatum est: Vormditum per deditionem acceptum, Fravenburgum cum ædibus Canonicorum in prædam militi permissum: Heilsberga obsidione cincta: ad eam ferendam erat tum in arce Episcopus rebûs necessariis satis quidem instructus, sed inter spem & metum fluctuans. Magister ut amico succurreret, vasallos cum lecta manu Heiligebeilam convocavit. Quindecem millia, sed promiscuæ multitudinis, convenere, quæ cùm ipse Magister lustrasset, ut in eodem loco suis sumptibûs manerent, mandavit. Brevi prædictas copias defecit commeatus, quare ne incolis molestæ essent, ab obsequio bellico dimissæ sunt. Magister verò ducentis equitibûs comitatus Heilsbergam ire constituit, ut cum Episcopo de modo solvendæ obsidionis conferret: sed hæc dum per Polonos fortiter urgeretur, Nicolaus spe subsidiorum destitutus jam fecerat inducias, ut cum Rege aliquam tractatûs rationem iniret. Truschesus ubi à priore consilio Episcopum descivisse cognovisset, secretò illi denunciari fecit, quòd conclusum haberet arcem

arcem suis præsidiis defendere, Nicolaum verò securitatis causâ Regiomontum transferre. Sensit dolum Magistri Præsul, proinde, in ardentem febrim se incidisse, respondit, quamobrem, si quid vellet, scriptô cùm illo ageret.

Sic illusus Truschesus, cùm à Mathia Rege Hungariæ, ac Cæsare promissas, in Silesia verò proprio ære conductas, à vasallis quoq; nullas copias haberet: demum socium Episcopum pacem à Rege flagitare, intelligeret; Consiliariis Prussiæ per subditos Ordinis non suo tamen nomine deferri fecit, ut ab illis locus & tempus constitueretur pacis ineundæ. Dies S. Ursulæ Elbingæ eo fine indictus est: pro quo cùm soli subditi Magistri & Tungeni convenissent parati ad innovandam Regi Poloniæ fidelitatem, modò aliud tempus, quo plures, Magister & Episcopus comparerent, designaretur: Festum S. Nicolai Torunii pro Comitiis determinatum est. Cæterum nemo nomine Truschesi & Nicolai adfuit: alebant illi spem adhuc suppetiarum, ideo vanis promissis illudebant Polonis, & tempus extrahebant.

Hæc Magistri & Antistitis pertinacia ut Magistratibus Prussiæ, sic Polonis, & vel maxime Casimiro bilem movit: paratus exercitus, auctæ vires præstolabantur jussa Principis: læsam tanti Regis Majestatem conclamarunt omnes, ferrô domandam pervicaciam concludebant universi. Obsidebatur Heilsberga, illam ut validius oppugnaret miles, Rex imperavit. Magister quoq; & Ordo ut ad suum redigeretur officium, in ditiones illius Varmiensi Episcopatui finitimas ferrô sævitum est. Et nisi pro festo Purificationis MARIÆ fidelitatem pactis præscriptam cum Tungeno juraret, pro hoste declarandus erat: statimq; 10000. expedita in ulteriorem Prussiam, quæ distraherent Teutonicorum vires.

Propere Magister ditionum suarum convocavit Ordi-

Ordines, eosq; belli cum Polonis admonuit. Ad ea habita deliberatione & maturô consiliô responderunt status: nolle se huic bello adesse; quandoquidem se illi implicaret Magister, ne subditorum suorum clade & interitu nominis celebritatem acquireret, provisuros Magistratus Prussiæ, pergeret Ordo suarum intentionum impetu & pernicie, se sua curaturos. Svadere tamen ut juxta condictas pacis perpetuæ leges in verba Regis juraret, & sic à se & Ordine extremum, quod immineret, periculum averteret. Eo responso Vasallorum iratus Magister, ut illis & suis animum adderet, assumptis 200. equitibus Heilsbergam contendit, ac ex improviso adortus Polonos, multis interfectis, navim cum 30. militibus & viginti machinis bellicis in suam potestatem accepit. Hoc successu ferox tentabat plura, sed à Polonis circumventus, majori parte suorum amissa, vix ipse evasit periculum. Suorum cladem refecit Casimirus, breviq; expugnatis reliquis munitionibûs, majora militis præsidia Heilsbergam misit, qui nullo habito obice ditiones Magistri percurrebat, spoliis & prædâ dives. His suorum injuriis motus Truschesus, cùm exiguas ad manum haberet copias, nullasq, suppetias speraret, consensit in præstandum cum Præsule Regi Casimiro fidelitatis juramentum prius consulto ea super re Mathia Rege Hungariæ: qui etiam suos Legatos hoc in negotio ad Casimirum expedivit, postulans, ut inducias Nicolao permitteret, & Magistrum ac Ordinem bellô persequi desisteret. *Dlugossius L. XIII.*

Propediem Casimirus sperabat Tungenum debellandum, sed postulatis Regis Hungariæ morem gessit, & ab ulteriori oppugnatione Heilsbergæ abstinuit: ad Mathiam quoq. legatos ire jussit, qui nomine suo cum Rege & Hungaris rem componerent. Gratô animo accepti Poloniæ Oratores, inter quos & Regem Hungariæ statutum est, ut pro festo Pentecostes (annus 1479. vertebatur) celebraretur conventus Siradiæ: cui Magi-

Magister Ordinis, Nicolaus à Tungen, Nuncii Hungariæ adessent, quorum interventu, & Polonorum placito Magister & Episcopus reconciliaretur Regi.

Supervenit Rex Petricoviam & pro die condicta Oratores suos Siradiam expedivit: Truschesus quoq; & Nicolaus dum moras nécterent, à suis compulsi eadem die comparuerunt. Rex vero Hungariæ Mathias cum nec ipse, nec ejus venirent Consiliarii, illusum, se ab Hungaris serò Magister doluit. Inter Polonos & Prussos solis certabatur humanitatis officiis. Tandem in Julio 1479. Petricoviam descensum est. Nicolaus in primo Regiæ aditu ubi in conspectum Casimiri venit fastu & pertinaciâ depositâ, lachrymis perfusus procidit ad pedes Principis. Supplici data venia, & post præstitum XV. Julii Regno & Regi Poloniæ cum Canonicis, quos præsentes habuerat, fidelitatis juramentum, circa Varmiensem Episcopatum conservatus est: cujus bona, omniaq; privilegia suo & Successorum nomine subjecit Regi, ejusq; patrocinio, tanquam Patrono Varmiensis Ecclesiæ. *Vide Volum. Leg: I.* Magister in reddenda obedientia & jurejurando confirmanda difficilis, potius se vitam amissurum, quàm in verba Regis juraturum fortiter asserebat. Cæterum in nova Civitate Korczyn Casimirum assecutus, quò Rex Petricoviâ abierat ad excipiendos Hungariæ Oratores, hortantibûs ipsis Hungaris, & nullas suppetias ob causæ injustitiam eidem promittentibûs Regi & Regno Poloniæ reconciliatus, die IX. Octobris solenni ritu fidem & obedientiam, præeunte verba Joanne Episcopo Cracoviensi, fecit: idem fecêre, qui cum ipso venerant, primi Crucigerorum, & sex alii de Nobilitate, ac tres Regiomontani Consules. Absentes verò ut Legatis Regiis eandem fidem obstringerent, cautum est. *Dlugossius Lib. XIII.*

Ita renovatô fœdere, & pace stabilita Magister & Tungenus in Prussiam rediere, ab omnibus communi lætitia & honore excepti, per annos aliquot laceras munitio-

nitiones & arces reficiebant. Tandem uterq; anno eodem 1489. vitâ decessit. Martinus Franco Regiomonti, Nicolaus Fravenburgi sepultus.

XVI.

LUCAS de ALLEN VEISSELRODT

PAtriâ Torunensis, U. J. D. Canonicus Varmiensis à Capitulo electus, in Præsulem Romæ confirmatus & consecratus. Ægre quidem ferebat Rex Casimirus hanc dignitatem ad eum delatam, quod usitata jam consvetudine nullus in Polonia in Episcopum promoveri deberet, absq; Regis notitia, serioq; cogitabat de Luca Episcopatu amovendo, sed hic possessionem nactus cum esset, Vir doctus, lingvarum peritus, vitæq; compositæ, ac partium Regiarum studiosus, Prussiæ Primores ejus patrocinium susceperunt, ne quid durius Rex in eum statueret. Brevi Casimiro defuncto prolis Regiæ primos favores meruit, præcipue Sigismundi, qui operâ Lucæ in maximis negotiis usus, ejusdem fidei & administrationi commisit Stargartensem, Stumensem, Christiburgensem Præfecturas.

Ut Polonis affectus Præsul, sic à commercio cum Crucigeris alienus, ea de causa invidiæ & odio eorum expositus, & nisi Joanni Tiffeno in Magistrum 1498. Fridericus Georgii Saxoniæ Ducis Filius probus & pacis amans successisset, plurimis injuriis Antistes obnoxius fuisset. Inter multa amicitiæ suæ cum Polonis documenta, illud erat maximum. Temporibûs Sigismundi I. pro festo D. Joannis Baptistæ 1510. venerant Posnaniam Legati Maximiliani Cæsaris, Ladislai Hungariæ Regis, & Friderici Magistri Crucigerorum: expedivit & suos Sigismundus, In illo congressu querulabantur Teutones, jura & libertates suas à Polonis læsas, inique ereptas Provincias, fidelitatis & obedientiæ jusjurandum à Magistro, Ordine, & Civitatibus nullo jure exigi. Et cùm pactis obstantibûs, quæ Joannes Lasko

Lasko Poloniæ & Legationis Primas affatim explicuit, nihil efficerent, ad dolos conversi, supplicârunt Legatis, ut eorum authoritate Rex Poloniæ administrationem totius Prussiæ permitteret Crucigeris pro annua 50000 fl: pensione. Credebant multi rem effectum habituram; Sed Lucas, quantum ex eo fuisset periculum manifeste docuit: ac subornatîs Senatoribûs negotium impediebat, palamq; profitebatur: *Si Ecclesiarum bona, & res Cleri in Prussia, totamq; Provinciam in bono & securo statu constituere Poloni vellent; caverent diligenter, ne avarè & iniquè homines denuo potentiâ & viribûs augerentur.* Hist: Pruss: Lib: VII.

Ea dicendi libertas in Præsule & pacis studium offendit Crucigeros novarum rerum cupidos. Dolebant plurimum, quod illorum tacitas intentiones prævidisset, & aperuisset providus ac perspicax Antistes. Et quia non erant in eo statu, ut Episcopo nocerent, Archiepiscopo Rigensi authores fuere, ut Lucam ad Synodum in Livoniam invitaret, ut & illi in bona absentis, & Rigensis Metropolitanus in præsentem sævire posset. Intellexit facile Præsul, quo tendebant Ordinis consilia, & mens Archiepiscopi; quare rescripsit Archi Præsuli: se minime teneri ad Synodum in Livonia, utpote qui Præsul Poloniæ, & nulli Metropoli, sed soli supremæ Sedi subjectus esset.

Plura alia moliebantur Crucigeri in perniciem Lucæ, sed hic patrocinio Regis Poloniæ securus omnes eorum risit conatus, & optimi Præsulis adimplevit munia. Synodum 1497. die XX. Februarii celebravit: in qua sanxit inter cætera, ut post Conciones oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum, & confessionis generalis formula ex suggesto haberetur ad populum sermone Pruthenico, utq; ea ignorantes à communione sacræ Eucharistiæ essent alieni. Patres Ordinis Minorum Vesmariâ 1511. introduxit, & per V Joan-

Joannem, Simbaliensem Episcopum suum Suffraganeum eisdem in Varmia monasterium S. Antonii fundavit. Exactâ rei Oeconomicæ curâ annuum proventum auxit ad 1500. marcarum, quem in Ecclesiarum necessitates & suæ Provinciæ commodum expendit: Templo Cathedrali pretiosa ornamenta, vasa sacra aliaq; plura elargitus. Arcem Heilsbergensem non ita pridem flammis absumptam magno sumptu restauravit. Tandem cùm rediret Cracoviâ è nuptiis Sigismundi Regis, ad quas pro veteri amicitia à Sigismundo invitatus erat, Torunii 1511. in viam æternitatis abiit. Corpus delatum in Varmiam, in Cathedrali Ecclesia conditum est.

XVII.

FABIANUS de LUSIANIS

PRuthenus è nobili & ampla Familia oriundus, scientiis optimè excultus D. J. U. Varmiensis Canonicus, quamvis sacris nondum initiatus esset, attamen votis Canonicorum Lucæ substitutus, probante Roma Presbyter factus & in Præsulem consecratus est. Nominis claritudo, indoles eximia, ætas valida spem alebat omnium, quòd defensurus esset Episcopatum contra Crucigerorum ambitionem. Sed Matris blanditiæ, à cujus pendebat nutu, ineptum ad omnia fecerunt.

Albertus Marchio Brandeburgicus post obitum Friderici in Magistrum Ordinis electus jusjurandum & obedientiam Sigismundo I. Regi Poloniæ præstandam (licet Sophia Sigismundi Sorore esset genitus) differebat, imo conditiones pacis perpetuæ convellere, & Prussiam, quæ Polonis cesserat, vindicare constituit. Lucas Antecessor Fabiani, ut bona Episcopatùs defenderet contra Crucigeros, eorumq; observaret gressus, aliquot cohortes à Sigismundo impetraverat. Noverat Albertus novum Antistitem Maternis regi affectibûs & imperiis. Illum ut suarum haberet partium, mulierem Romelische dictam Genitrici Præsulis optima familiaritate conjunctam misit Bartensteiniô, ut hæc Matrem, & per eam Episcopum Ordini faventem redderet. Quæ Albertus optaverat, effecit omnia astuta fæmina. Mater improvida facilè persvasit Filio, ut hic Polonas acies ex Varmia abire jusserit. Vacuam milite Regio Provinciam, quod desiderabat Magister, propere suis invasit copiis, & in bona ferrô ac flammis desæviit, adeò ut paucæ villæ ejus furorem evaserint. Serò advertit Fabianus, se circumventum à Teutonicis, & licet partes Sigismundi denuo secutus esset, nonnullas tamen munitiones, potissimùm Brunsbergam repetere non potuit.

Huic malo accessit alterum longè pejus. Lutherus, qui Provincias plures, præsertim in Germania erroribûs suis inquinaverat, per suos asseclas eosdem disseminabat in Prussia. Conscientiæ libertas, morum licentia, opum Ecclesiasticarum permissio multis placuit. Penetrârunt illi & in Varmiam, quibus minimè obstitit Fabianus. Tandem morbô correptus, eoq; misere cruciatus frustra medicorum implorabat opem, imò quò plura remedia ab illis & Matre adhibebantur ægro, eò magis ingravescebat malum, adeò, ut ad extremum pes, quem morbi vis arrodebat, abscindi debuerit, ex quo sacer ignis Episcopo mortem attulit anno 1523.

XVIII.

MAURITIUS FERBER.

MInimè dolebant Canonici sublatum è vivis Fabianum, cujus dissimulatione hæresis in Varmia fixit radices, & dubiô agendi modô exarcebati tam Poloni, quàm Crucigeri armis affligebant Provinciam: in id soliciti, ut defunctô Præsulem strenuum, in rebus tractandis efficacem, Polonis addictum substituerent. Mauritiô hoc nullus videbatur aptior; quare omnium

votis electus est. Natus ille Gedani urbis hujus Cive non postremo, primam ætatem mercibus tractandis impendit, filiamq; Pilmanni forma & dote ampla commendatam in matrimonium ambivit; sed hæc ubi alii nupta esset, Romam perrexit, ubi litteris & juri addiscendo dedit operam, in eumq; virum evasit, ut Doctor Juris, Leonis X. Camerarius, Notarius Apostolicus constitutus fuerit. Successu temporis in Patriam reversus, Varmiensis, Lubecensis, Revaliensis, Derpatensis Custos, Gedanensis & Melsbacensis Parochus factus est.

Genium & animum Mauritii perspectum habuit Rex Sigismundus quare in electionem illius facile consensit: Roma quoq; electum confirmavit, & ob diminutos Episcopales proventus circa beneficia Ecclesiarum conservavit. Brevi ex mandato Regio venit Petricoviam, ubi post præstitum fidelitatis jusjurandum à Joanne Łaski Regni Primate in Præsulem Varmiensem consecratus, ac epulô Regiô exceptus est. Et quia ut fidelis Poloniæ esset Varmia, arces nonnullas possidebat miles Polonus, eas, perorantibus pro suo Antistite & Capitulo Oratoribus, Nicolao Copernico per suum sistema Astronomicum Orbi noto, Joanne Crapiccio, & Felice Reich Sigismundus Episcopo restituit, ea tamen conditione, ut militi stipendia persolveret.

Bonis receptis cùm Diæcesim Mauritius à desertoribus sacrorum institutorum perversam, Elbingam ex integro Lutheranam, Brunsbergam depravatam, varias urbes infectas cerneret, in errores extirpandos toto studio incubuit: severa mandata promulgavit, quibus aditum Apostatis, omnibus vero vetitam & perniciosam Lutheri doctrinam inhibuit. Brunsbergam à Regiis Commissariis: Mathia Drzewicki Vladislaviensi Episcopo, Ludovico de Mortagen Castellano Elbingensi ejectis hæreticis. venia pro patratis sceleribus datâ, legibus de tuenda fide Catholica, ac obedientia Episcopis Varmiensibus sacrosanctè colenda circumscriptam in possessionem accepit. Occu-

Occupaverat & Ordo Teutonicus temporibus Fabiani Præsulis nonnulla Episcopatûs bona titulô retinendæ in obedientia Provinciæ. Mauritius metuens, ne exemplo Sambiensis Pomesaniæ Diæcesis, (quarum Antistites, Lutherum & carnem secuti, dote suarum Ecclesiarum cesserunt Duci novo) Albertus non ita pridem profanus Dux Prussiæ institutus, ducta in sociam vitæ Dorotheâ Danorum Regis Filia, desideriô amplioris dominii easdem facultates jure hæreditario usurparet, splendidam legationem ad illum adornavit, duo postulans. I. ut Arces & civitates Varmiensis Episcopatûs restitueret. II. Cùm Diæcesis Varmiensis per ditiones Ducis esset etiam extensa, in quibus ab Apostatis seductus populus pro libitu Parochos sibi adsciscceret. Ut, inquam, Dux eligeret Viros Romanæ Ecclesiæ, & præsentaret Varmiensi Episcopo, qui uti loci Ordinarius, in fide, moribus, & scientia bene examinatos paræciis præficeret, ac in illos pro jure suo animadverteret. Facilem se præstitit Albertus in oppidis & munitionibus reddendis: sed in altero postulato à suis ministris instructus flecti non potuit.

Doluit tantam animarum perniciem religiosus Antistes: & ut ab Alberto & apostatis quibusvis Varmiam securam ac immunem redderet, edicta Pastoralia renovavit, arces antiquas refecit, novasq; superaddidit, & munivit. Curiam Episcopalem ad Ecclesiam Cathedralem erexit, quam cum æde sacra fossâ & murô cinxit. Plura pro Religione & sua Diæcesi meditantem post annorum 14. regimen plusquam septuagenarium commune omnibus fatum è vivis sustulit 1. Julii 1537. In Ecclesia Cathedrali omnium dolore sepultus.

XIX.

JOANNES IV. DANTISCUS

Gedani natus, unde etiam Dantisci nomen sortitus est. Juventutem in castris excoluit: ut liquet ex

ejus testimonio: *Junior, & belli, contra Dacosq; Getasq; Ac Boristenidas tempore, miles eram.* Brevi nuncium remisit Marti, ingeniumq; scientiis primùm, post modum variis peregrinationibûs ac insigni rerum usu expolivit. Præter Europam, lustravit Asiam, Palæstinam, adoravit Christi sepulchrum, Siriam, Arabiam, Cretam, Corciram, Rhodum, Græciam invisit. Redux in Poloniam, promovente Petro Tomicki Cracoviensi Episcopo Secretarius Regis factus est.

Legationem ad Maximilianum Cæsarem adornabat Sigismundus I. illi obeundæ Dantiscô nemo aptior visus est. Ivit, & tantos favores Maximiliani meruit, ut Pontificii & Cæsarei Juris Doctor, & Poeta laureatus ore Cæsaris promulgatus, insigne dignitatis, laurum & annulum e manu Maximiliani acceperit: annumeratus est præterea ab eodem Cæsare Nobilitati Germanicæ. Ivit brevi & ad Carolum V. Imperator hic non in Europa duntaxat, sed & in Africa bellis & rebûs gestis gloriosus quanti Joannem fecerit? liquet: dum eum per annos duodecem annuente Rege Poloniæ itinerum & negotiorum socium esse voluit, illius consiliis semper fortunatus. Caroli hujus nomine ivit Orator ad Rempublicam Venetam, & optatas pacis conditiones detulit. Cladem Gallorum, & captivam sortem Francisci Galliarum Regis ad Ticinum spectavit & doluit. In Hispaniam parabat iter Carolus, aliorum Principum Legatos suum reditum præstolari jussit, Dantiscum vero viæ comitem assumpsit, & merita compensans Hispanæ Nobilitatis (quæ dignitas non postrema in Europa) participem fecit. *Niesiecki Tom: II.*

Plenus gloriæ redux in Patriam, primùm Varmiensis Canonicus, brevi post obitum Konopaccii Culmensis Præsul, annos aliquot afflictis illis temporibûs, quibûs Lutherana secta per Prussiam diffusa, etiam Torunium infecerat, Diæcesim rexit laudabili vitæ exemplô. Post fata tandem Mauritii Varmiensis Præsul electus

ctus est. Obiit Heilsbergæ annô ætatis 64. Christi 1548. Fravenburgi honorem sepulturæ nactus.

XX.

TIDEMANNUS GISSA

ET huic Gedanum Patria. In aula Sigismundi I. & ejus Filii Augusti crevit. Ingenii promptitudine, styli elegantiâ inter primos sui ævi Scriptores censebatur: in Cancellaria Regni labore & scriptis eminuit. Custos Varmiensis, Ecclesiæ Gedanensis Rector in Culmensi & Varmiensi Sede Dantisco successit. Præsul humanitatis, authoritatis magnæ, prudentiæ insignis, alterô Episcopatûs Varmiensis annô 1550. obiit. In vita sæpe dicere solitus: *Qui potenti minora negat, majora promittit. Immodicus libertatis usus, servitutis est occasio.*

Ejusdem erat Familiæ Nicolaus Gissa Ordinis S. Benedicti, vitæ sanctitate, miraculis in vita & post obitum clarus Genuæ 1456. corpore solutus. De hoc plura Annales Ordinis memoriæ prodiderunt, id præcipuum, quod ex illis annotavit. *Niesiecki Tom: II.* Cum Genuæ Tyronum Magistrum ageret; Adolescens quidam capitis damnatus, extremam vitæ horam præstolabatur in carcere: eam ut evaderet, in suppetias malum genium evocavit. Præsto adfuit animarum prædo, libertatem vincto appromittens, modo hic Deo Creatori nuncium remitteret. Quid non audet cæcus & infelix vitæ amor! Numen ejurat, superos execratur scelestus, captivitatem & mortem temporalem cum æterna commutaturus. Eo pactô libertati redditus, dum, quid fecerit, seria mente revolvit, quid agere deberet, anxius, ad Nicolaum confugit. Accepit benigne Pater infelicem & perditum juvenem: commissi sceleris & facti enormitatem explicuit: spem tamen fecit veniæ, sinceram duntaxat & seriam ageret pænitentiam, admonuit: quæ ut efficacior esset, & maturior, vestem

Religiosam svasit. Dedit vinctas manus de salute sua solicitus adolescens, religiosamq; vitam ejusdem cum Nicolao Instituti professus est.

Eo Nicolai consiliô & juvenis progressu advertit sê eludi nequam spiritus; quare ut injuriam vindicaret, visibilis comparuit, & arreptum juvenem labori panis pinsendi cum aliis Religiosis occupatum in paratam fornacem flammis consumendum injicere intendebat. Ad rem insolitam & omnium clamorem accurrit Nicolaus, signôq; Crucis abegit spectrum. Non destitit juratum sibi famulum repetere inferni incola: infestabat, turbabat, concutiebat ædes, vociferabatur: Vim inferri, sibiq; illum eripi, qui fide jurata suus esset. Tumultûs, timoris & periculi plena erant omnia.

Nicolaus ut omni jure in adolescentem privaret dæmonem; urbis Prætorem adiit, facinus homini: aperuit supplex, ut sententiam capitis ante pactum cum inferno initum latam innovaret. Rapitur juvenis in vincula, dæmoni quoq; ad comparendum citatio ad portas urbis affigitur. Consiliô Nicôlai primum scelus decretumq; pænæ irrogatæ fassus adolescens, alterum quoq; & enorme in superos facinus non negavit: ac propria oris confessione convictus mortis sententiam retulit: sed eam Genuensis Senatus restrinxit, & hominem pro pænitentia de tam nefando crimine in Religione jussit vivere. Sic elusus dæmon, cùm libertatem à morte non sibi, sed judicio deberet adolescens, in jure suo succubuit.

XXI.

STANISLAUS HOSIUS

De Stemmate Hosius vide p. 163.

NOmen à rebus gestis, dignitatibus & muniis administratis Orbi notum. Ulrico Procuratore Arcis Vilnensis, *Privilegium Sigismundi Augusti Lowzæ X. Decembris 1561. Hosiis datum.* (a) Ordinis Prædicatorum Vilnæ Fundatore, Patre, & Anna natus Cracoviæ 1504. die V. Maji. Quantus Vir olim futurus esset? ætas tenera fuit præsagitio; dum plorantem non crepundia, sed libri soli solari poterant. Infantiam egressus, & litterarum initiis instructus, cùm assiduus esset in lustrandis paginis, Mater tantô læta filiô, sacerdotalem paravit ornatum aurô & gemmis textum, quo suo tempore (ut sperabat) uteretur Stanislaus, sacrorum minister. (b) In Academia verò Cracoviensi, nobilissimo, ac vetustissimo Scientiarum Seminario ingenii & zeli pro Religione uberem campum nactus est. In immatura adhuc Stanislai ætate ignescebat jam ille ardor fidei, qui in ulteriore vita in flammam erupit.

Sparsa per libellos Lutheri secta multis arridebat: Hosius, quantum ætas permisit, falsitatem hanc calamô insectari cæpit: librosq; in quos incidit, ne malum hoc serperet, flammis addicebat. Fabianum Cema, Achacii, Palatini Mariæburgensis, magnæ spei filium nactus erat in Academia litterarum socium, frequenti familiaritate optime sibi conjunctum. Erat ille ut magnarum ditionum in Prussia, sic Paternæ hæresis Successor, in qua ut meliùs proficeret, Lutheri libros secretâ quidem sed crebrâ versabat manu. Contigit gravî morbô eundem decumbere, quem pro accepta amicitia Hosius cùm sæpius inviseret, semper lectione libri distractum reperit. Rogabat ut sibi opusculum permitteret, sed in suis postulatis eludebatur à secreti tenace adolescente; continua tamen familiaritate voti compos factus, dum paginas scrutatur, errore infectas advertit; quare æstus febriles (hi infirmum langvere faciebant) non aliter, nisi ignibûs extingvendos asserens, ut librum, qui causa ægritudinis esset, ad rogum damnaret, hortatus est. Paruit amico Cema, & ubi hæresim flammis dedit, viribus restitutus, brevi rationibûs Hosii victus, & ipsum

(a) *Naramowski L. II. C. XI.* (b) *Niesiecki Tom II.*

pſum malorum fomitem deſeruit, Orthodoxam amplexus fidem. *Nieſiecki Tom: I.*

Hoc factum Hoſii, illius ultra ætatem eruditio innotuit Petro Tomicki Cracovienſi Epiſcopo, quare ut magis idoneum ſuo tempore Eccleſiæ redderet, Author fuit, ut post adeptam Baccalaureatûs lauream in Italiam ſuis etiam impenſis excurreret. Paruit optimo Antiſtiti Stanislaus, & primum Patavii, poſtmodum Bononiæ Lazarô Bonamicô Præceptore uſus U. J. D. creatus eſt. Relictâ apud exteros ſui memoriâ, & deſideriô rediit in Poloniam, promovente Samuele Macieiowski Cracovienſi Epiſcopô, Cracovienſi Capitulo ac Secretariis Sigiſmundi I. annumeratus, Regi in pluribus negotiis, præſertim Pruſſicis ſedulam navavit operam. Æſtimabat laborem Stanislai Sigiſmundus, caput emeritum parabat ad Infulas Pruſſiæ, ſed quia nulla vacabat, moriens Sigiſmundo Filio commendavit, ut Hoſio in illa Provincia Præſuleam conferret dignitatem. Metuebat ſibi hæreſis à Viro, cujus labores pro Religione noverat, & libros editos contra errores legerat; quare omnem movebat lapidem, ut illi ad Epiſcopale munus ſtrueret impedimentum. Erat illa in Regno & Regia potens, allaborabat & muneribûs, ut a juriſdictione Pontificia Hoſium amoveret. Hoſius ipſe indignum ſe eo munere palam profitebatur. Cæterum nec hæreticorum ſtudia & aſtus, nec humilitas Stanislai præconceptas Auguſti intentiones mutare poterant. Culmenſem Sedem, poſt aſcenſum Tidemmanni ad Varmienſem, contulit Hoſio, collatam dignitatem Julius III. confirmavit.

Vix Eccleſiam adiit novus Antiſtes, pro bono Reipublicæ ad Carolum V. Cæſarem, Ferdinandum Romanorum Regem Legatus ire debuit. Munus legationis exigente negotio diutius protraxit Stanislaus. Auguſtus Rex, ut apud tantos Principes ſuus Nuncius pro honore Gentis ſubſiſteret, non exiguas impenſas ſubmiſit: egit gratias pro favore Regio, pecuniam tamen remiſit ſuperflua non exambiens. Ad vota Auguſti legatione obita redux totum ſe impendit excolendæ Diœceſi. Laborabat ſtrenue, ut Torunenſes Eccleſiæ reſtitueret, ſed ad doctrinam & monita Præſulis ſurda erat Civitas. Brevi poſt fata Tidemanni ad Varmienſem promotus Sedem, gregis ſui norma præire omnibus ſtuduit vitæ & morum probitate. Ad aulam, quam ex ipſis Catholicis aluit, neminem de hæreſi ſuſpectum paſſus eſt; veritus, ne fucata nequitia Præſulis etiam obſequiis innixa majori eſſet offenſioni, quam aperta & publica. Unde Preikium Gubernatorem Brunſbergenſem, quem uxor hæretica (Soror erat Fabiani Cema, de quo paulò ſuperiùs) ſuis erroribûs & blanditiis perverterat, minime metuens hominis potentiam, Auguſti Regis patrociniô, interpoſitione Procerum non attentâ, movit officiô, ac poteſtate ſuprema, quam Præſul Varmienſis habet in bonis Epiſcopatûs, Romanæ fidei urbis Gubernatorem conſtituit.

Imminebat Synodus Provincialis à Nicolao Dzierzgowski Regni Primate Petricoviam indicta 1551. pro die I. Maji: ad eam ivit Hoſius poſtpoſitis viarum incommodis, ipſo etiam vitæ periculo, dum flumina præſertim Viſtulam glacie ſolutum trajiceret. Et quod Synodus hæc optatô eventu finita, ſacerrimisq; legibûs circumſcripta eſſet, multis difficultatibûs ſuperatis effecit Stanislai eruditio, dexteritas, & ſtudium.

Prodierat non ita pridem Vittembergæ impreſſa Confeſſio Auguſtana authore Philippo Melanchtone, ſic à Comitiis Imperii Auguſtæ Vindelicorum celebratis, ſeu potius ab urbis nomine dicta. Ut qnælibet hæreſis, cùm non ſit infundata veritati, & judicio veræ, Eccleſiæ, ſed pro ſua baſi habeat faſtum, judicii pertinaciam, & conſcientiæ licentiam, facilè in diverſa rapitur. Sic Lutherus, homo faſtuoſus, qui ex odio Romani Pontificis errores varios in Academia Vittembergenſi

gensi promulgabat, & pertinaciter tuebatur: plures nactus asseclas, in primordiis doctrinæ suæ divisus est. Ut ille nunc hæc, nunc illa dogmata asserebat, mutabat pro libitu & temporis qualitate; ita errorum socii inter se decertabant tam in privatis quam publicis congressibûs sibi contrarii. Hanc doctrinæ inconstantiam, & suorum dissensiones advertit Lutherus, quare Melanchtoni commisit, ut articulos, quos ipse rudi & acerbô calamô complexus erat, mollioribûs & ab amphibologia pet tis nominibûs emendatos in ordinem redigeret & unam confessionem, quasi bonæ fidei testem omnibus proponeret. Fecit satis Melanchton desideriis Lutheri: & Confessionem hanc Augustanam dictam concinnavit: quæ pluribus etiam Lutheranis displicuit, à Catholicis verò velut dubia damnata est. *Poszakonski Hist: Luther: Lib: II.*

Ne hæc Confessio, à Carolo Cæsare, & Comitiis Germaniæ rejecta, quæ etiam in Poloniam devenerat, noceret Fidei Catholicæ, Hosius a Synodo Petricoviensi impetratus, insigne illud volumen Confessionis Christianæ scripsit, quod Romæ, Dilingæ, Moguntiæ, Ingolstadii typis repetitis editum ut Religioni profuit, sic in Hosium calamos adversariorum acuit. Non in Polonia & Prussia duntaxat, sed in aliis etiam Regionibus incurrit illorum odia. Vergerius, cujus falsitates alia lucubratione detexit, suos errores à Stanislao gravibûs argumentis explosos ubi advertit, acri in eundem stylô vindictam curavit. Multi alii in furorem acti, in Hosium, velut in objectum furentis calami, scripta malevola direxerunt: famam tamen & gloriam Viri minimè inquinârunt.

Tantos labores pro Ecclesia Hosii, & tales illius injurias ac probra a veræ fidei desertoribus,, Aloysius Lipomanus Veronensis Episcopus in Polonia Nuncius Apostolicus detulit Paulo IV. Hosii merita, munia gloriose gesta pridem urbi innotuerant, Viri, quem fidei

dei ardor adeò commendabat, Paulus videndi cupidus, Stanislaum Romam evocavit, & majorem famâ expertus est. De statu Religionis in Polonia, de rationibus universæ Ecclesiæ, de modis obviandi hæresi privata & publica cum eo communicavit consilia, & semper efficacia accepit. Virtuti & prudentiæ præmium, Cardinalium videlicet dignitatem parabat Paulus, sed Hosii humilitas, præsertim mors Pontificis fuit obstaculum. Paulo vitâ defuncto brevi successit 1559. die XXVI. Decembris electus Joannes Angelus Medicæus, dictus Pius hujus nominis quartus.

Pontificis hujus primum fuit studium, ut Concilium Tridentinum propter bellicos tumultus per annos aliquot suspensum innovaret. Paulus adhuc III. ad Petri Sedem post obitum Clementis VII. elevatus in primordiis Pontificatûs sui 1534. adnitente Carolo V, & aliis Principibus Catholicis ad supprimendas hæreses Concilium generale primùm Mantuam, sed cùm locus hic displicuisset, Vincentiam, urbem Venetorum in anno 1538. indixerat. Cæterum, dum Respublica hæc ob metum Turcarum pro universali Synodo celebranda locum non permitteret, Tridentum anno 1541. huic universalis Ecclesiæ cætui designavit, & anno sequenti edidit Bullam convocationis Concilii, quod tamen ob bellum Cæsaris cum Galliarum Rege in aliud tempus differri debuit.

Tandem 1545. die XIII. Decembris, præsidentibûs Joanne Maria Monti Episcopo Prænestensi, Marcello Cervino, & Reginaldo Polo S. R. E. Cardinalibûs, Legatis Pontificiis, in Ecclesia Cathedrali S. Vigilio Episcopo Tridentino dedicata solenni ritu inchoatum, & aliquot sessionibûs ad diem XI. Martii 1547. protractum, cum consensu Pauli Pontificis Bononiam translatum est. Hæc Legatorum actio displicuit Cæsari, qui in Concilium Tridenti habendum consenserat, ut faciliùs illius temporis hæreticos ad ejus amplecten-

ctenda sancita induceret; quare instabat apud Pontificem, ut Patres redire, & Fidei acta Triden i prof. qui juberet, ubi suarum ditionum Præsules cum Cardinale Pacieko remansissent. Divisio hæc Patrum ne unitati Ecclesiæ foret noxia, Paulus metuens, Bononiam congregatis in materia Religionis nihil attentare præcepit. & quarto ante fata sua mense integra Fidei consilia suspendit.

Dies decima Novembris 1549. ultima erat huic Paulo, cui Joannes Maria Monti sub nomine Julii III. 1550. die 7. Februarii successit. Pro electione novi Pontificis congregati Cardinales jure jurando statuerant, ut electus Papa Concilium per Paulum III. suspensum indiceret repetendum aut Bononiæ, aut Tridenti. Julius statuto satisfaciens, cùm rationes Synodi translatæ cessâssent, Tridenti *Resumptionem* (vox est Bullæ) Concilii promulgavit. Convenerunt pro die I. Maji 1550. Marcellus Crescentius Cardinalis S. Marcelli, Sebastianus Pighinus Archiepiscopus Sipontinus, & Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis, supremæ Sedis Legati, comparuerunt & alii plures. Magno labore in variis materiis desudatum à Præsulibus & Theologis: Ab omnibusq; Catholicis sperabatur brevi optatus finis hujus sacrosancti cætus; sed Principum à fide diffidentium sibi, & suis Ministris metuentium pertinacia optimos Papæ & Cæsaris conatus impedivit. Ad arma contra Carolum & Catholicos Principes conclamatum est. Quare ne congregati Tridentum Patres præda hostis fierent, Julius 1552. annô Synodum suspendere coactus est.

Pius itaq; IV. ut tot annorum opus desideratum haberet terminum, communicatis consiliis cum Ferdinando Cæsare, Galliarum, & Hispaniæ Regibus, per annos novem ruptam Synodum denuo die XXIX. Novembris 1560. promulgavit, & Tridenti annô futurô celebrandam statuit. Ad varios Principes in eo negotio

gotio Oratores, ad Ferdinandum verò & Maximilianum Bohemorum Regem expedivit Hosium. Rem Ecclesiæ egit præclare Stanislaus, & ad vota Pontificis perfecit. Eos labores & merita Viri compensanda Pius censuit, & absentem, ne precibus suis Pontificis intentiones interturbaret, 1561. S. R. E. Cardinalem creavit.

Imminebat tempus indicti Concilii, quare ad illud prosequendum suos Legatos Pius designavit: Herculem Gonzagam Episcopum Mantuanum, Hieronimum Seripandum, Ordinis S. Augustini olim Magistrum Generalem, Archiepiscopum Salernitanum, Stanislaum Hosium Episcopum Varmiensem Cardinales: quibus brevi Jacobum Simonetta (Ludovicum scribit *Chifflețius*) & Marcum Sciticum Altempsium itidem Cardinales Legatos adjunxit. (c) Non poterat Pius digniores, & magis eruditos Nuncios præficere huic sancto cætui; utpote quorum primum Principum Gonzagarum sangvis, sanctitas & prudentia, reliquos insignis doctrina, pietas, & rerum usus Orbi commendatos fecit. *Onuphrius Pavuinius*, qui post Platinam Scripsit Vitas Pontificum: in vita hujus Pii IV. brevi calamô Seripandi & Hosii laudes complexus est: *Inter sex & quadraginta, quos quatuor lectionibus vel in gratiam Principum, vel ob insignem doctrinam & religionem, vel de Sede Apostolica bene meritos, vel sangvine conjunctos, aut veteri familiaritate acceptos creavit Cardinales, sacrarum literarum scientiâ, morum gravitate & vitæ sanctitate Seripandus & Hosius in primis fulsêre.* Venerunt Tridentum Legati: sed quia pro die determinata pauci comparuerunt Præsules, anno sequenti 1562. die XVIII. Januarii, primam ab indicta per Pium IV. Synodo, in ordine verò decimam septimam sessionem celebrârunt.

Non postremo Gentis suæ honori duxit Polonia, quòd suæ Nationis Præsulem Concilii Oecumenici Præ-

(c) *Onuphrius Pavuinius in vita Pii IV.*

Præsidem nacta fuerit. Plurimi Senatorum vota sua detulère Hosio, inter quæ singulare fuit Joannis Ocieski Regni Cancellarii. Optabat ille more aliarum gentium feriis abstinentiæ usum lacticiniorum Polonis permittendum: eaq; de re scripsit Hosio supplex, ut hoc beneficium pro sua Gente à sacra Synodo impetraret. Sed Cardinalis omnem novitatem exosus, veritus, ne hæc ea tempestate fidei obesset, svaves dedit litteras ad Cancellarium, quibûs eundem & alios Proceres ad consvetum jejunandi morem in Polonia, hortatus est. *Niesiecki Tom II.*

Finitô Conciliô, cui cum Joanne Morono in locum Mantuani, Bernardo Navagerio in locum Seripandi, defunctorum, Cardinalibus substitutis, & Simonetta. (Altempsius revocatus erat) feliciter coronidem imposuit, illudq; subscripsit (*d*) supplex erat Pio Pontifici, ut abiret in Poloniam ad regendam & ab hæreticis defendendam Diæcesim. Collaudatâ in concludenda Synodo Stanislai operâ annuit benignè postulatis Pius. Plenus gloria ubi rediit in Patriam, sedulam intendit curam, ut Decreta Concilii Tridentini sacrosanctè colerentur; quare Diæcesanam Synodum convocavit, in qua sancita ab universalis Ecclesiæ Patribus, & Pio IV. confirmata promulgavit & observari præcepit. Dolebat tamen Diæcesim in pluribus locis hæresi infectam; in illa excolenda quia dividi non potuit, ad labores Apostolicos Societatem JESU evocavit.

Religio hæc non ita pridem à Paulo III. confirmata 1540, & per Concilium approbata, à variis postmodum Pontificibus privilegiis decorata, initia sua debet D. Ignatio de Lojola, qui Parisiis lectis novem Sociis: Franciscô Xaverio, Thaumaturgo postea Indiarum Apostolo, & Sanctorum Fastis adscripto, Petro Fabro, Jacobo Lainio, Alphonso Salmerone, Simone Roderico, Nicolao Bobadilla, Claudio Jajo, Joanne Codurio,

(*d*) *Pavninius in vita Pii IV.*

durio, Paschasio Broetto: Viris Scientiarum laureâ insignibûs, in monte Martyrum non procul Parisiis in Templo Deiparæ prima Ordinis jecit fundamenta. In cujus rei memoriam in superiore parte dictæ Ecclesiæ affixa est ænea lamina cum ejusmodi inscriptione.

Siste Spectator
Atq;
In hoc Martyrum sepulchro
Probati Ordinis cunas
Lege
Societas JESU.
Quæ S. Ignatium Lojola Patrem agnoscis,
Lutetiam Matrem,
Anno salutis MDXXXIV. Augusti die XV.
Hic nata est.
Cum Ignatius & Socii
Votis sub sacram Synaxim religiosè conceptis
Se Deo in perpetuum consecrârunt.
AD MAJOREM DEI GLORIAM.
Fasti S. J. 15. Augusti

Institutum hujus Religionis optimè perspectum erat Hosio, labores manifesti. Audiverat in Concilio Tridentino Jacobum Lainium Præpositum Generalem II, Theologum Pontificium de Sacrificio Missæ, ejus institutione, valore, & fructu contra hæreticos prope tres horas perorantem. Facundia, orationis & argumentorum vis, Vir ipse erat prodigiô. Hujus itaq; Instituti Viros, ut illos furenti hæresi opponeret, primus Brunsbergam introduxit anno 1565. Brunsbergæ, stabilita fundatione Societatis, duos ejusdem Socios misit Elbingam, qui afflicto ab Hæreticis Clero essent auxilio; cæterum hi cum Sacerdotibus Catholicis à male sano populo pessime habiti, & miris modis divexati non tam injuriis, quàm tempori cesserunt.

Evocata interea Nobilitas à Sigismundo Augusto

ad Comitia confluebat: ivit & Hosius, ne in publico illo Regni congressu quidpiam molirentur hæretici, quorum pars magna Senatum impleverat. Trideistas, Anabaptistas exules contendebant Lutherani & Calvinistæ; obstitit fortiter Cardinalis, & aut omnes, aut nullos hæreticos e Regno pellendos concludebat: facilius inter varios diffidentes, ajebat, fidem orthodoxam imperium habituram, futurumq; ut inter has errantium à vera Religione discordias certus interitus omnium eveniret. Ægerrimè tulerunt hostes fidei tantum intentionum suarum obicem in Hosio, quare in perniciem Viri conspirârunt; sed omnes adversariorum conatus elusit Stanislai prudentia. *Niesiecki Tom: II.*

Quantum ad Sigismundum Augustum: hic plurium judiciô videbatur favere hæreticis. Ne traduceretur apud exteros, ne Jagellonicæ familiæ eam labem multorum opinione appingeret, avitæ fidei, & officii sæpius eundem admonuit, & gravioribûs litteris saniora inspiravit Hosius. Paternis Stanislai admonitionibûs minimè offendebatur Augustus, imo ut Patrem reverebatur, ejus in maximis negotiis consiliô usus & obsequiô. Cum Joanne Kostka Palatino Sandomiriensi ad Ducem Prussiæ Legatum esse voluit, quod ille munus ad vota Augusti & totius Regni absolvit. Contigit: cùm die abstinentiæ carnes, & cibos lacte conditos ad mensam Dux apposuisset, Hosius custos jejunii rigidus esurire maluit, quàm vetitas gustare dapes. Ex ea legatione redux Elbingæ Ecclesiam Parochialem ab hæreticis recepit, Regiomonti seditionem exortam authoritate & prudentiâ compescuit.

Brevi ab Augusto 1569. Romam missus, negotia Poloniæ summa laude ac diligentiâ tractavit. Pio V. & Successori Ejus Gregorio XIII. charus & intimus, à quo Major Pænitentiarius (dignitas in Curia Romana prima est) creatus, omnes officii hujus partes adimplevit. Ecclesiam S. Stanislai E. M. & ad illam nosocomi-

um pro commodo Polonorum venientium erexit & dotavit. Cum ætas ingravescens prohiberet facultatem redeundi in Poloniam, cum annutu Capituli & Romano assumpsit Coadjutorem Episcopatûs Martinum Cromerum, Virum de Ecclesia, & sua Patria optimè meritum. Tandem 76. ætatis annô, in Episcopatu Varmiensi annos 28. emensus, cùm Capranicam æstûs vitandi causâ perrexisset, 1579. die V. Augusti obiit. Corpus Romam delatum in Ecclesia S. MARIÆ trans Tyberim in marmoreo tumulo conditum est. Præsul in agendo strenuus, in scribendo contra hæreticos indefessus, quorum errores plurimis libris, editis manifestos fecit, merito à S. Pio V. dictus *Ecclesiæ columna.* Laudes illius carmine Treterus complexus est.

Scripta Hosii mundus veneratur, gesta stupescit:
Catholicus sequitur, proteris hæreticus.
Concilii Præses, Præfectus, Episcopus Urbis,
Gloria, Dux fidei, flos Patriæ, orbis amor.

XXII.

MARTINUS CROMERUS

De Stemmate Cromer

Stemmatis campus per medium divisus est, cujus partem superiorem aquila alis expansis, inferiorem scutum vittâ coccineâ cinctum occupat, toti verò campo aquila biceps eminet.

Bieci (civitas est in submontana Provincia Poloniam ab Hungaria disterminante) primam lucem vidit Martinus. In omni pietate à Parentibus educatus Cracoviam perrexit, ubi sub Joanne Casimiriensi ingenium expolivit, & in urbis hujus Academia utramq; lauream adeptus excurrit in Germaniam Italiam. Ab illis oris redux à Choienscio Cracoviensi Præsule, & ejus Successore Gamrato ad aulam invitatus, ingenii limatissimi uberem campum nactus est. Canonicus Cracoviensis, Sandomiriensis, Kielcensis, Custos

Vislicensis & S. R. M. Secretarius institutus, dignitatibus collatis affatim respondit: sed cum majores virtus Viri exigeret, Sigismundus Augustus Regio Archivo eundem præfecit, & ut privilegia, munimenta Regni colligeret, commisit.

Magno labore, ingentiq; prudentiæ laude demandatum perfecit opus: non exiguum ex eo subsidium nactus ad suam de rebus Poloniæ Historiam, quam à primordiis Regni ad tempora Sigismundi I. styli elegantiâ, rerum commendatione antiquos Scriptores prætergressus sincerus Poloniæ Historicus conscripsit, & triginta libris complexus est. Opus hoc magno omnium eruditorum plausu susceptum adeò, ut stante vita Cromeri Basileæ tribus vicibus, Colnæ præter typos Patrios in lucem prodierit, & variis lingvis aliarum Nationum commendatum fuerit. Incurrit equidem nonnullorum odia, quod optimis Scriptoribus contingit. Bielski præcipue arguit Cromerum, quod multa acri calamô descripserit, alia prætermiserit, sed author hic forte à censura abstinuisset, si sua scripta non blandienti oculô respexisset, & sincera mente revolvisset, meritò à pluribus, redargutus. Cæterum grata Respublica solennes pro eo labore in Comitiis Varsaviensibus Cromero egit gratias. Exteri quoq; adornarunt laudes Viri: Joannes Porta: *accuratissimum Scriptorem*: Spondanus: *Insignem Scriptorem Historiæ Polonæ* Possevinus: *Fidelissimum & optimè de Ecclesia meritum*: nominârunt. Pastorius verò omnibus Historicis illius ævi Cromerum præposuit. Scripsit ille & alia plura, quibus nomen suum & Poloniam commendavit.

Hæc eruditio maximis negotiis obeundis fecit idoneum Ivit Romam nomine Augusti obedientiam Paulo IV. redditurus, à quo benigne acceptus, dum, quid sibi præstandum vellet? à Pontifice interrogaretur, alienus ab ambitione Cromerus: se iis, quæ à suo Rege haberet, abunde contentum respondit. Ivit ad Caro-

Carolum V, ad Ferdinandum jam Bohemorum Regem jam Cæsarem: cum Joanne Kostka Gedanensi Castellano ad civitates Anseaticas, & Francofurtum ad Mænum pro Comitiis, in quibus Maximilianus Rex Bohemiæ in Regem Romanorum electus est. In his legationibus ut magnam partem ætatis consumpsit, sic non exiguam nomini gloriam comparavit. Apud Ferdinandum Cæsarem eos affectus meruit, ut ad stemma Gentis suæ aquilam bicipitem, Austriacorum insigne sortitus esset.

A Paulo IV. evocatus Hosius & à Sigismundo Augusto ad munus legationis invitatus Romam parabat iter, ne orphanam Diæcesim relinqueret, Cromero administrandam commisit, & sedulum in rebus Ecclesiæ expertus, cùm laboribûs & seniô ætatem suam fractam cerneret, cum annutu Capituli & Romano eundem Episcopatûs Coadjutorem adscivit. In Præsulem Varmiensem 1579. die 6. Decembris à Stanislao Karnkovio Vladislaviensi Episcopo consecratus Cromerus, omnem intendit curam, ut Ecclesiæ suæ Clerus ad præcepta Sacrorum Canonum, populus ad regulas honesti vitam componeret. Invigilabat maxime ut sua cuiq; fieret justitia; unde Burgrabium Heilsbergensem affinem suum ob illatam injuriam officiô ante solis occasum movit, & Provinciâ abire jussit. Quotannis semel circumibat civitates & arces, tum ut de Burgrabiis & Magistratib9 inquireret, tum ut sumptib9 parceret egenorũ qui sua negotia ob locorum distantiam non parvis impensis curare quandoq; cogebantur. Tandem, cum ad provectam devenisset, ætatem, Stephano Rege pro suo nepote Andrea Cardinale intercedente, eum Coadjutorem legit. Intentiones Regis & sui Antistitis ratas habuerunt Canonici, & Roma probavit. Ipse verò quartô post annô, 77. annorum vitam gloriose transactam optima morte finivit 1589. die 23. Martii, in Ecclesia Cathedrali & sepulchri honorem & laudes funeris sortitus.

XXIII.

ANDREAS I. BATHOREUS
Transylvaniæ Princeps.

NOminis dignitas, indolis magnitudo scientiis excultum ad summa quæque parabat & promovebat juvenem. Sacram indutus Togam Præpositus Miechoviensis exuvias S. Floriani Episcopi Hispalensis natione Poloni ut patet ex epistola S. Caroli Boromæi ad hunc Andream 1584. data, (a) ab eodem S. Cardinale sibi missas Miechoviensi Ecclesiæ applicuit. A Gregorio XIII. Purpuratorum Patrum Collegio adscriptus, à Malaspina Nuncio Apostolico in Subdiaconum ordinatus, jure pleno post obitum Cromeri in Varmiensi Episcopatu Successit. Poloniam pro Patria optavit, quare in Comitiis coronationis Sigismundi III. anno 1588. pro Indigena Poloniæ cum Fratre suo Balthasare declaratus, ac ad quævis Ecclesiastica beneficia excepta sola dignitate Primatiali, admissus est. Ne tamen ex ratione eminentiæ Romanæ primatum in Senatu ambiret, ejusdem anni cavit Constitutio: ut votum suum haberet eo gradu, cujus Cathedræ esset Episcopus. *Volum: Leg: II.*

Interea Sigismundus Transylvaniæ Princeps excusso jugô TurcicôTransylvaniam Rudolpho Imperatori cessit, accepto per commutationem in Silesia Raciboriensi Ducatu. Sed ubi in possessionem novæ ditionis venit, exiguam pro ammplissimo suo patrimonio advertens, facti eum pænitere cæpit. Quare relictis omnibûs, clam conscensô equô celerrime in Transylvaniam contendit, ab Ordinibus, quamvis hi fidem suam Rudolpho obstrinxissent, magnâ lætitiâ receptus. Ea Sigismundi inconstantia non mediocriter offendit Cæsarem, & licet hic Maximilianum Archiducem ad gubernandam Provinciam expedivisset, eundem revocavit, & familiam Sigismundi ac res qvasvis ex Silesia liberas dimisit. Restitutus Transylvaniæ Sigismundus, cùm se imparem illi regendæ & defendendæ adverteret, præcipue quod in odium Turcarum, & Christianorum Imperatoris incidisset, in Prussiam ad Andream Cardinalem venit, Provinciam & regimen illi deferens. Excusabat Andreas imperium fatale præsentiens; sed à Sigismundo inductus in fidem accepit Provinciam, statimq; per Legatos egit cum Imperatore, de illo leniendo, & pace componenda ipsius etiam Pontificis interventu. Dum Transylvaniæ appropinquaret, ad obvios fertur dixisse: *Vado pro vobis immolari.* Vocem fatidicam probavit eventus. *Hist: Pruss: Lib: VIII.*

Vix Albam Juliam (civitas Transylvaniæ à Julia Matre Cæsaris Marci Aurelii dicta) pervenit: Michaël Palatinus Moldaviæ bellô non denunciatô magnô exercitu Provinciam ingressus munitiones aliquot occupavit. Cardinalis insperata irruptione præventus missis Legatis, cur alienæ ditioni injurius esset? quæsivit. Sed Palatinus dubiô datô responsô Legatos remisit, ipse verò magnis itineribûs cum exercitu progressus per Fecialem Andreæ detulit: à Turcarum Sultano mandatum sibi esse, ut totam Bathoreorum Gentem à qua superiori tempore non modicam cladem accepisset, deleret: Id quoq; se habere in commissis à Rudolpho Cæsare.

Eo Nuncio afflictus Cardinalis quas potuit, contraxit copias, & licet viribûs longe inferior, primam Palatini aciem gloriose fudit; sed præliô restitutô à Gasparo Cornisio Arriano, Equitatûs Duce, cujus filium in aula Andreas foverat, & Botscaio Luterano, Varadini Præfecto, Ecclesiastici hominis imperium moleste ferentibûs turpiter desertus, noctis beneficiô ægrè necem evasit, sed non vitavit. Iter fugienti impedie-bant

(a) Niesiecki Tom: II.

bant tenebræ, virium debilitas exposcebat quietem; quare equô descensu facto, herbâ, pro cubili usus naturæ & somno concessit. Sequebatur fugientem Jeckel, aulicus Principis beneficiis enutritus, & opulentô prædiô ditatus sed qui vitam Domini tueri debuerat, scelestus nefando ausu eripuit: edoctus nequam, ubi Cardinalis quiesceret, innocenti caput, & Comitis Romani juvenis falce amputavit. Hanc suam nefariam temeritatem adhuc Heilsbergæ prædixerat; cùm enim æger decumberet, & ab Andrea inviseretur, indoluit, se aliquando futurum necis Cardinalis administrum. Dictum hominis acri dolori & menti motæ attribuit tunc Bathoreus, sed ejus veritatem brevi expertus est. *Hist: Prus: Lib: VIII.*

Tam dolendo casu occubuit Andreas Bathoreus in ipso ætatis flore annorum 33. Anno Christi 1598. die 28. Octobris. Fata illius Coturius S. J. carmine inter spectacula Heroum Christianorum Orbi proposuit.

XXIV.

PETRUS TYLICKI

IN Cracoviensi Sede obiit. *Vide Lib: pag: 340.*

XXV.

SIMON RUDNICKI

De Familia Vulpigerorum.

JOannis Castellani Rospiriensis Filius. Postquam per ætatem licuit, domesticâ disciplinâ instructus, ad perdiscendas severiores litteras ivit ad Academiam Cracoviensem Claruerunt eo tempore in illo Polono scientiarum cætu, Jacobus Gorscius, Canonicus & Archi Presbyter Cracoviensis, Stanislaus Sokołovius Canonicus Cracoviensis S. Floriani Præpositus, Regis Stephani Theologus, Viri in arte litteraria optime versati.

sati. Horum institutione ita excolebat ingenium Rudniccius, ut omnium judiciô reliquis palmam præriperet, & suo tempore magnus Vir in Patria speraretur. Annis aliquot Cracoviæ exactis ultra Alpes perrexit, lingvarum & majorum scientiarum quæsiturus peritiam. Bononiæ triennium exegit, studioq; Juris Canonici incubuit. Inde Romam abiit. Degebat tum in urbe Stanislaus Hosius, is Polonos Romam venientes omni excipiebat officiô, ingenium, dotes, mores singulorum expendens unius cujusq; futuros metiebatur successus. Rudniccii modestia & indoles mirifice placuit Cardinali; quare illis juvenem occupabat studiis, quæ aliquando Episcopalem dignitatem adornarent. Doctrinâ & ætate cùm maturesceret, Clemens Simonis Patruus Custos Gnesnensis, Archidiaconus Uniejoviensis nepotem, Coadjutorem sibi designari cupiebat. Hosii operâ perfectum est, ut eam Clementis mentem Pius Vratam firmamq; haberet.

Redux in Poloniam, collectam in urbe eruditionis famam, in Regiam intulit: Regnabat tum in Polonia Stephanus Bathoreus, Princeps ut bellô sic pace gloriosus, & Scientiarum amans. Aulam ejus impleverant Sokołovii, Gosliccii, Varseviccii doctrinâ & libris in lucem editis Orbi noti. Eorum congressu & familiaritate Simon magis eruditus, & in statu Poniæ versatus esse contendebat. Stephano Regi è vivis sublato cùm Sigismundus III. successisset, à Petro Tyliccio Regni Pro Cancellario Regens Cancellariæ factus, officium hoc singulari morum comitate, & prompta facilitate exornavit: in laboris præmium Major Regni Secretarius institutus est. Dignitas hæc inter difficilia Aulæ recensetur munia, verùm ad majores honores gradus est.

Brevi promovente Sigismundo post Tyliccium à Capitulo Varmiensi electus, 1604. à Claudio Rangono Regii Episcopo, Nuncio in Polonia Apostolico consecratus,

cratus, ad Episcopales curas & commissum gregem properavit: & Assumptis in partem laboris Sacrorum Canonum, & disciplinæ Ecclesiasticæ gnaris subjectas lustravit Ecclesias, quarum visitatione completa Heilsbergæ celebravit Synodum, & Concilii Tridentini decreta ut servarentur, statuit. Constitutiones Diæcesanas à suis conditas Prædecessoribus typis repetitis edidit: usu Breviarii Varmiensis, ut prisca ferebant tempora, sublatô, Romanum introduxit: Librum cerimoniarum circa administrationem Sacramentorum reformavit, intimavitq; Romano usui conforme, quod postmodum Radzieiowski in meliorem redegit ordinem. Nullam prætermisit diem, nisi debilitas major esset obstaculum, qua aut ipse præmissa exomologesi sacra celebraret mysteria, aut alteri celebranti summa devotione adesset. Subditorum querelis pronam dabat aurem, jus Clero & populo dicere solitus, nec in longum trahi sinebat lites: si quando severiorem tulit sententiam, eam ita lenire studuit, ut etiam puniens amaretur. Luxum & fastum domô proscripsit, dignitatis tamen Episcopalis & Senatoriæ memor amplam fovit aulam, sed modestiâ & optimis moribus compositam. Quotidianæ mensæ etiam tum, cum hæc in gratiam hospitum lautior instructa esset, Sacræ Scripturæ codicem & Historiam Ecclesiasticam prælegi jubebat, persvasus meliùs dapes sapere, cùm lectione spirituali condiuntur.

Regiomontanam Commissionem in annis 1609. & 1612. ex decreto Conventûs generalis Regni cum adjunctis ex Senatu & Ordine Equestri eximiâ prudentiâ & dexteritate perfecit. *Vide Volum: Leg: III.* ibiq; juxta cautionem datam Varsaviæ 1611. à Joanne Sigismundo Duce Prussiæ per suos Legatos Abrahamum Baronem & Burgravium à Dhona, Joannem Truchses à Wetzhausen Capitaneum Fischausanum, & Joachimum Hubner (b) locum Regiomonti pro Ecclesia

(b) *Volum: Leg: III.*

clesia Romana designavit. Lindam Marianam, locum Dei paræ cultu & miraculis celebrem oblitteratum: *Vide pag: 280.* Stephano Sadorscio è ruderibus vindicanti efficax præstitit patrocinium, ædemq; sacram impensis juvit, & præcipua pietate coluit. Elbingæ (civitas est Diæcesis Varmiensis) Parochialem S. Nicolai Ecclesiam Lutheranis ejectis 1617. ipsis Calendis Januarii Catholicis restituit. Nullam ædem sacram in sua Diecesi prætermisit, quam sacra supellectili aliisq; beneficiis non ditâsset. Sponsam suam amplissimis cumulavit donis, quæ Svecis Prussiam vastantibus magna ex parte in prædam cesserunt. Vartenburgum PP. Ord: Min: de Observantia Andreas Bathoreus introduxerat, Templum & religiosas ædes inchoaverat, ne finiret, impedimento erant Transylvana negotia: operi manum liberalem admovit Rudnicki, & feliciter coronidem imposuit.

Limites controversos inter Ducalem Prussiam & Episcopatum composuit, nihilq; intactum reliquit, quod aliquam suo tempore litem provocare posset. Pro libitu, assertô mansorum numerô ad thesaurum Prussiæ publica exigebantur tributa, erant illa populo & toti Varmiæ molesta & peracerba: Simon impetrata Regia Commissione, determinatôq; justô mansorum numerô rem sopivit, cunctisq; controversiis Regia accedente authoritate finem imposuit. Motu civili in Polonia exorto cohortes aliquæ prædas acturæ in Varmiam excurrerant, ne rapinis in plebem sævirent, Præsul partim oblatis militaribus stipendiis, partim mediis civilioribus imminens Provinciæ malum avertit.

Longe gravior tempestas totum Regnum, totamq; Regalem invasit Prussiam. Militia Polona, quæ Demetrii solium Moschoviæ vindicantis partibus adhæserat, quæquæ Regiis auspiciis Moschoviam bellô fatigabat, postquam rediisset in Patriam promissa stipendiorum solutione, vinculô militari soluta erat. Tam subitò peca-

pecunia colligi non poterat; quare miles inito fædere totius Regni oppida, pagos juris Regii & Eccleſiaſtici vaſtabat. Legionum tumultuantium Præſes ſeu Mareſchalcus Sbigneus Silnicki Bidgoſtiæ cum ſelectioribus ſuæ militiæ ſedem fixerat. Tantæ calamitatis pars derivabatur in Varmiam: oppidani, agreſtes inſolitis preſſi oneribûs vix ſpirare poterant. Antiſtes acerbam ſubditorum miſeratus ſortem propria majoris pretii diſtracta ſupellectili, fundis etiam Epiſcopalibûs Paulo V. Pontifice annuente oppignoratis militarem placavit licentiam, gravemq; populi ſervitutem hoc redemit lytrô.

Tandem annîs & curîs feſſus langvere cæpit & ultima ægritudine tentari, quæ licet familiari illius medico minimè periculoſa videbatur, facileq; illius judiciô ſanari poterat, Simon ſupremam ſibi imminere diem quaſi fati præſcius conſtanter aſſerebat: præſertim cùm illi quidam Stanislaus Ord: Min: de Obſervantia Sacerdos vitæ ſanctitate commendatus ante annum defunctus, in viſu apparuiſſet, eumq; allocutus eſſet: *Domine Epiſcope parate ad mortem.* Quare animæ ſuæ diſponens, noxis conſcientiæ in ſacro tribunali expiatis, anno ætatis 69, à partu Virginis 1621. quarto nonas Julii Antiſtes magnorum pro Patria & Eccleſia laborum ingenti omnium luctu ut vixit ſanctè, ſic ſanctè obiit. Codicellum ultimæ voluntatis condidit bene valens erga Eccleſias, quarum olim proventu alebatur, liberalis. Villam hæreditariam Rzeczyca in Palatinatu Siradienſi ſitam Eccleſiæ Uniejovienſi tranſcripſit, erecto ibidem Canonicatu pro Familia Rudnicciorum: In Varmienſi Eccleſia duo ſanxit anniverſaria. Tumulum ſibi exſtrui mandavit ad ſiniſtram partem majoris aræ; quem avara Svecorum manus violavit, & nec mortuo parcens, catenam cum cruce aurea & annulum ſurripuit.

XXVII

XXVI.

JOANNES V. ALBERTUS PRINCEPS REGIUS

ANdreæ Lipſcio in Cracovienſi Sede ſucceſſit. *Vide Lib: I. pag: 354.*

XXVII.

NICOLAUS II. SZYSZKOWSKI

De Stemmate Oſtoia.

Duæ ſunt lunæ creſcentes coloris aurei, tergo ad ſe converſæ, in campo rubro, & gladius in earum medio.

MArtini Epiſcopi Cracovienſis nepos. Quantam ſui æſtimationem apud univerſos haberet Ordines, quantæq; virtutis & dexteritatis eſſet? patuit, dum Principi Regio in Diæceſi per incurſionem Svecorum ad extrema redactam ſuccedere meruit. Illam non pauci ambiebant, ſed hic cæteris maximè dignus Ladislao IV. viſus eſt. Teneram illius ætatem Martinus ſuus Patruus excoluit, & ut cultiorem redderet in Italiam expedivit. Reducem Pultovienſi Præpoſiturâ, Plocenſi & Cracovienſi Canonicatu adornavit: brevi Abbas Czervinenſis & Regni Secretarius à Sigiſmundo factus officium hoc illa tempeſtate difficillimum laudabili dexteritate obivit. Sigiſmundus III. ad maxima idoneam probabat Nicolai indolem, ſed fatis intervenientibûs Ladislaus IV. optimi Patris judicium ad effectum deduxit.

Orba erat, & ſine Paſtore Eccleſia Varmienſis poſt translationem Joannis Alberti Fratris Regii ad Cracovienſem Sedem. Valida commendatio Ladislai tunc Poloniæ imperantis effecit, ut concordibûs Canonicorum votis Nicolaus electus fuerit & ab Urbano VIII. confirmatus. Exhorruit laceram & rapinis ex

hau;

haustam Provinciam, omnem tamen operam adhibuit; ut miserum Varmiæ statum fortunatiorem redderet. Votis optimi Præsulis Tractatus inter Sveciam & Poloniam subsecutus respondit.

In primo in Diæcesim ingressu pro felici successu Patriæ voverat locum in oppido Springborg seu ad fines D. Virginis dictum, ex antiquo miraculis clarum concurrenti populo commodiorem efficere; Rebûs pacatis voti reus Ecclesiam de cocto latere erexit, eamq; PP. Ord: Min: de Observantia curandam commisit. PP. Societatis JESU Ressel Regia beneficientia locum providerat: ut commodius subsisterent, & sacras excursiones in vicina Prussia obirent, dotem auxit. Religionem hanc ut à teneris adamavit, sic eam per totam vitam fovit suis beneficiis, illius ubiq, contra malevolos Tutor & Patronus. Divo Francisco Xaverio Indorum Apostolo præcipuo cultu addictus, ejus diem sacram singulari coluit devotione, & ut præter affectum, etiam liberalis animi monumentum relinqueret, Goam ubi corpus hujus sancti magna veneratione colitur, calicem aureum transmisit.

Pestis hoste pejor, bellorum quandoq; fructus, infecit Prussiam, finitimæ imminebat Varmiæ: Præsul ut à tanto malo liberaret Episcopatum, ex voto in Ecclesia Cathedrali ad dextram majoris aræ erexit altare, & honori D. Caroli Borromæi ac S. Rosaliæ dedicavit cum hac inscriptione: *D. O. M. Divisq; publicæ sospitatis Tutelaribus, Carolo Borromæo & Rosaliæ Virgini, Provinciâ & Episcopatu Varmiensi à peste liberatô voti reus, & in posterum beneficio fidens Aram hanc perpetuæ gratitudinis, & venerationis pignus Nicolaus Szyszkowski Episcopus Varmiensis anno 1640. Decimo octavo Kalendas Octobris erexit & doravit.* Parabat plura in Ecclesiarum decus, & Sanctorum cultum, sed optimum Antistitem ulteriori bono Diæcesis invida mors eripuit anno ætatis 54. à Christo nato 1643. die 7. Februarii.

XXVIII.

XXVIII.

JOANNES VI. CAROLUS KONOPACKI

Muro pro Stemmate insignis.

Mathiæ Palatini Culmensis, & Elisabethæ Dulska Filius. Repetitis per Europam peregrinationibûs ut indolem expolivit, sic magnam rerum experientiam collegit. In aula Sigismundi III. etiam cum dispendio patrimonii diu meruit. Dyboviensem tandem Præfecturam pro tot annorum obsequiis obtinuit. Quinquagenario major aulicæ vitæ pertæsus sanctiorem togam induit & à Ladislao IV. Abbatiam Vachocensem accepit.

Interea extra Regnum Joannes Casimirus Poloniæ Princeps parabat iter. Eidem in Italiam, Genuam, indeq; maritimo itinere Hispaniam visere cupienti veteranus in Aula Konopaccius viæ comes adjunctus est. Iter hoc improspere cessit Principi & Konopaccio. Nondum triremis pervenit Massiliam, quæ Joannem Casimirum ejusq; vehebat familiam: Joannes Godefredus præmissus evulgat Magistratui Principem Poloniæ Massiliam intra biduum venturum; ubi jam detinendi Casimiri coquebantur consilia, Champigno Gubernatore Provinciæ satagente, ut ad effectum deducerentur. Nonnulli ex familiaribus Principis præsenserant hoc arcanum, etiam forensi plebi apertum: cùmq; de hoc Casimirus præmonitus esset, cymbam conscendens ad triremim rediit.

Vix sex leucarum iter navis emensa ad portum Gallicum, Jour de bove dictum cùm pervenisset, & prope vicinum eidem castellum Martegvos jactis anchoris substitisset, illius navarchus in continentem evocatus, detentus est. Hæc ubi Princeps intellexit misit Konopaccium ad castelli Præsidem, expostulatum sur amicæ & fæderatæ civitatis triremis & navarchus deten-

detentus esset? & navale iter quare persequi ultra non permitteretur? surdis auribûs excepta est Konopacci requisitio quī imò ipsemet ad suum Principem redire prohibitus est. Non mitior sors parabatur Casimiro; qui si in terram descendere nollet, tormenta navim quassatura disponebantur.

Invitus itaq;Princeps ac coactus aggredi, primùm ad supra memoratum castellum, inde subministari custodia Salonam Cisteronem deductus, arctiusq; custoditus est. In illa vicissitudine Konopaccius non deserebat Casimirum, donec aulæ Gallicæ mandato Parisios venire jussus, annum integrum scenæ hujus præstolabatur eventum; sed hæc cùm in longum traheretur, in Poloniam abiit, in Patria meliùs profuturus Principi. Pro Fratre, Ladislao IV. Poloniarum Rege, aliisq; Poloniæ Proceribus pro suo Principe Regio, agentibus libertati restitutus, Româ visitatâ rediit in Poloniam Casimirus: qui Konopaccium ærumnarum comitem impensius Ladislao commendavit.

Cesserat fatis sub idem tempus Jacobus Zadzik Cracoviensis Antistes; promovente Rege Sedes hæc Petro Gembicki Premisliensi Episcopo, Regni Cancellario delata est: Abbatia verò Tinecensis Konopaccio commissa, donec eidem major gradus ab aula procuraretur. Nec diu erat expectandum; anno 1643. abiit è vivis Nicolaus Szyszkowski Varmiensis Episcopus, ad eam Sedem Ladislaus Konopaccium Pruthenum, Indigenam, moribûs svavem, prudentiâ insignem commendavit, & Canonici unanimi elegerunt consensu.

Procurabat in Urbe sacrorum diplomatum expeditionem Joannes, quæ priusquàm pervenissent, febri maligna correptus ultimis diebus Decembris 1643. in Abbatia Tinecensi (cujus Ecclesiæ pretiosum apparatum donaverat) sexagenario major mortalitatem explevit. Diu insepultus jacuit, fratre germano officium extremum segnius curante. Demum Georgius Osso-linski

Supremus Regni Cancellarius, pro ea amicitiæ necessitudine, quæ illi cum vivente intercedebat, eundem in Ecclesia Tinecensi sepulchri honore adornavit. Vir erat animi liberalis, in egenos plus quàm beneficus adeo, ut quandoq; se egere experiretur, eoq; tempore indigentiam verbis Davidicis solabatur: *Dominus providebit, ego verò egenus sum & pauper, Dominus solicitus est mei* semperq; votis suis accline cælum nactus est. Simon Starowolski Vir spectatæ integritatis & doctrinæ a sacris exedris laudavit defunctum.

XXIX.

VENCESLAUS LESZCZYNSKI

AD Gnelnensem promotus Sedem: *Vide Lib: I. pag: 172.*

XXX.

JOANNES VII. WYDZGA

POst fata Olszowscii Archiepiscopus Gnesnensis: *Vide Lib: I. pag: 184.*

XXXI.

MICHAEL RADZIEIOWSKI

IN Gnesnensi Metropoli supremum diem obiit: *Vide Lib: I. pag: 187.*

XXXII.

JOANNES VIII. ZBASKI

Fascia pro Stemmate insignis.

STanislai & Constantiæ Przyiemska Filius: in tenera ætate cùm ingenium excoleret, animum non neglexit, hæresi, in qua lucem aspexit, in scholis abjecta: ad summa demum adolevit. Sacris initiatus à variis Canonicorum Collegiis ad dignitates adlectus, Sando-

domirienſis Canonicus, Lovicienſis Decanus, Varſavienſis, Gneſnenſis Archidiaconus, Tribunalis Regni Præſes pro juſto & æquo decidebat. A Duce Czartoryski Archi Præſule pro pallio expeditus Romam, coronavit vota Principis, cujus promotione Miechovienſis Præpoſitus à Michaële Rege factus, PP. Congregationis S. Philippi Nerei Studziannæ ad ædem Thaumaturgæ Virginis, bonis eisdem inſcriptis fundavit. In Comitiis Coronationis à Joanne III, Abbas Sulejovienſis, Premislienſis Epiſcopus, Reginæ Cancellarius renunciatus eſt.

Finita inaugurationis ſuæ in Regem ſolenni pompâ Joannes ad proſequendas victorias in Ukrainam excurrit viæ & laborum comite Zbąſcio. Podoliam, Moldaviam, Budziacenſes campos Rex armis glorioſus peragravit magno hujus Antiſtitis ſubſidiô; militem ille Polonum hortabatur ad fortiter agendum pro Patria pro religione, pro Regis integritate: ejus Spiritu Rex & miles vivere credebatur victoriæ certus, cùm ſe à tantæ pietatis Præſule animari audiret. Lege Ottomanis ſcripta rediit ex Ukraina Victor Joannes: rediit & Zbąski ad regimen Diæceſis, quam ut cultam redderet, Clericorum Seminarium condidit, & Præpoſituræ Samborienſis proventus ſuperaddidit, id ipſum lege Regni publica probante anno 1685. Fundavit prætereà ad eandem Cathedram PP. Congregationis S. Vincentii à Paulo, quibus eruditionem Clericorum commiſit. Varſaviæ verò amplum emit palatium & PP. Theatinis, qui ornamentô eſſent urbi illi, donô perpetuô inſcripſit.

Ejus prudentiæ & in rebus tractandis dexteritatis conſcius Joannes III, illum ad Summum Pontificem, ad Imperatorem, & Rempublicam Venetam expedivit, quo in munere votis Regiis & Regni abunde reſpondit. Ex ea Legatione reducem poſt aſcenſum Radzieiovii ad Gneſnenſem Metropolim, idem Rex ad Varmienſem

ſem promovit Sedem: quam ille pluribûs donis & vitæ probitate exornavit. Tandem laboribûs & annis feſſus, anno 1698. obiit magno Diæceſis & Patriæ dolore.

XXXIII.

ANDREAS II. CHRYSOSTOMUS ZAŁUSKI

Agno pro Stemmate inſignis.

Hic ore & manu propria, ut olim Julius Cæſar, laudandus, & ſcribendus eſſet. Alexandro Palatino Ravenſi & Catharina Olſzowska, Filia Caſtellani Spicimirienſis, Andreæ Archiepiſcopi Gneſnenſis Sorore natus ad ſumma, ad maxima maturuit, Præſul ſui nominis, & ſuô ævô alter Chryſoſtomus. Aptam ad omnia & excultam omni eruditione indolem cùm ſacris applicuiſſet, à Floriano Czartoryski Regni Primate Ravæ in Eccleſia PP. S. J. ubi teneriorem ætatem expolivit, Sacris Ordinibûs initiatus, ad futuras dignitates gradum poſuit. Cracovienſis brevi Canonicus & Pultovienſis, Vąchocenſis Abbas, Gneſnenſis Cancellarius, Scholaſticus Lancicienſis, Præpoſitus Jaroslavienſis, Regni Secretarius inaugurari meruit.

Poſt fata Michaëlis I. Poloniarum Regis ivit Legatus in Hiſpaniam vellus aureum, & pullam Regni faciem deferens Carolo II. Hiſpaniarum Regi. A tota aula benevole acceptus, quem comitas in agendo, maturitas & prudentia affectui Regiæ Familiæ inſinuavit. Ipſe Carolus de rebus Poloniæ ſæpius cum Andrea contulit, ſemperq; indolem magnam conſpexit & probavit. Tantô lætus hoſpite diutius eundem in ſua detinuiſſet Regia, ſed abitum cogebant negotia in Luſitania tractanda, & Legati officium. Cum omni itaq; humanitate dimiſſum Majeſtatis Hiſpanicæ pompâ comitari juſſit ad fines Regni.

Y 2 In

In Lusitaniam ubi pervenit, quia ob ægram valetudinem Regis Portugalliæ differebatur ad aulam accessus, Andreas ne in vanum tempus tereret, antiqua Regni hujus monumenta lustravit. Spectaculum primum erat Lisbona, aliter Olissipone civitas, Regni Metropolis, Regumq; Sedes, portûs amplitudine & securitate celebris, Sancti Antonii Patavini Patria: quam Divus hic proxime ante obitum suum 1231. singulari miraculô commendatam fecit. Degebat ille Patavii in Italia. Interea duo cives mutuô odiô in se exarserunt, tantumq; crevit, malevolentia, ut unus alterius filium clam occiderit, & ut scelus ignotum esset, corpus occisi in horto Parentis, S. Antonii, adhuc superstitis, sepelivit. Inventum cadaver: senex cum suis domesticis, tanquam criminis reus in custodiam datus, sententiam judicis præstolabatur. Calumniam & injuriam Parentis Servo suo fecit Deus manifestam, & nocte judicium præcedente Antonium Lisbonam transtulit. Mane adit judicem Vir Sanctus, corpus occisi adferri jubet, Deiq; imperiô mandat, ut occisus fateretur, Paterne suus an aliquis ex ejus familia necis hujus causa esset? Surrexit juvenis, & innocentibus præbuit testimonium liberosq; fecit. *Kwiatkiewicz ad Annum 1231.*

Conspexit & alia plura, quæ *Part: I. Tom: I. Epist: Famil* ipsemet recenset. Tandem paratam Regiam in suum adventum accepit: in eam admissus solitis cerimoniîs, Michaëlis I. Poloniarum Regis fata detulit, & nomine totius Regni bellô Turcicô exhausti subsidium contra communem Christianitatis hostem postulavit. Sed responsum solis votis fortunatorum successuum opulentum & liberale obtinuit.

Aulæ Ministerio totiq; Lusitaniæ vale dicto, redibat in Patriam: & ecce dum fines Hispaniæ transgreditur, in limitibus Galliæ litteras accipit, quibus Orator in Galliam instituebatur, ut electum in Regem Poloniæ Joannem Sobieski Supremum Regni Mareschalcum

cum & Exercituum Ducem; non ita pridem victoriâ ad Chotimum de Turcis gloriosum Ludovico XIV. denunciaret. Intendebat equidem Maria Casimira Neo electi Regis Consors suo in Gallia consangvineo hanc deferre Provinciam; sed Olszovius eam pro suo Nepote Załuscio insciâ Reginâ impetravit, citissimisq; passibûs in Gallias transmisit munus Legati. In eo obeundo non nihil difficultatis in primordiis nactus est, affinibus Reginæ Casimiræ exercitium officii interturbantibûs. Sed omnia obstacula superavit Andreas, legationemq; commissam cum gloria Gentis absolvit, indolem & in agendo dexteritatem Załuscii ne dum aulâ Regiâ, sed ipsis adversariis probantibûs & laudantibûs.

Redux in Patriam commissarum sibi partium gloriose peractarum luculentam rationem reddidit Regi Joanni, cujus singulares affectus, & cor Serenissimæ Mariæ ex occasione legationis in Gallia obitæ paulo læsum lucratus, ejus mentis interpres Reginalis Majestatis Cancellarius promulgatus est. Andreas Olszowski cùm Pro Cancellarii munus deponeret, in sermone, quem ad Rempublicam congregatam habuit, eum Regi & Regni Proceribus commendavit. *Tribuo* verba sunt Olszovii: *non sangvini, sed indoli & virtuti Załuscii Cancellarii mei, quòd illum in theatro Reipublicæ statuam; ingenium sublime suis velocius annis, maturitas judicii, lingvarum peritia, in tractando sedulitas, primarum aularum, & Ministeriorum notitia maximis dignum efficiunt.*

Post ascensum Stanislai Witwicki ad Luceoriensem Episcopatum, Kioviensis vacabat Sedes, hanc Joannes III. Andreæ contulit 1680. Diæcesim postquam adiit, ejus regimen ad regulas Sacrorum Canonum composuit, & neglectas à suis Antecessoribus Canonicorum Collegii Kioviensis dignitates innovavit. Thomas Uieyski & Stanislaus Witwicki prætermiserant electionem Judicis ad Tribunal Regni, Ne id in morem

rem & legem postmodum abiret, cum injuria sui Episcopatûs, Primicerium Kioviensem eligi curavit, & cùm in Tribunali de illo admittendo controversia orta esset, gravibûs litteris cum Mareschalco & utroq; Collegio egit, locumq; sui Capituli Judici in hoc Justitiæ Sacrario obtinuit. *Vide Tomi I. Part: II. Epist: Fam:* Cum Polono exercitu Joannes Rex anno 1683. in suppetias afflictæ per Turcas Viennæ, jamq; sub armis hostilibus fatiscentis properis perrexit passibûs, eamq; XII. Septembris anni ejusdem ab imminente clade & obsidione Turcica liberavit. *Vide Lib. IV.* Reducem cùm exercitu, cæde Orientis gloriosum Regem XXIII. Decembris in Cracoviensi Basilica nomine totius Regni aurei oris Chrisostomus salutavit. In Comitiis Regni 1689. ab Instigatore M D. L. de Ateismo accusabatur Joannes Lyszczynski: gravi sermone scelus & impium ausum in Deum Creatorem primamq; omnium rerum causam explicuit Andreas congregatis Ordinibus, qui crimen exosi hominem ad rogum damnârunt. *Vide L. II. p. 198.*

Plura quidem ab ambitiosa Regina suis consiliis regere Poloniam volente passus est, sed omnes ejus conatus aliorumq; invidiam gloriose vicit. Bonaventura Madalinski in Episcopatu Vladislaviensi supremum diem obierat 1691. in ejus locum Stanislaum Dąbski Episcopum Plocensem, ad eam verò Sedem hunc Andream promovit Joannes III. Et, cum 1694. unicam Filiam suam Theressiam Cunegundem Maximiliano Duci & Electori Bavariæ, Jacobo Regio Poloniæ Principe ejus personam agente Cardinale Radzieiovio XV. Augusti matrimonium ritu Ecclesiastico benedicente, in sociam vitæ elocâsset, ad deducendam sponsam sponso Bavaro Chrisostomum Legatum instituit, ut operi, quod dexterrimâ prudentiâ inchoaverat, extremam manum imponeret. Hoc legationis munus qua gloriâ obiverit! describit ipse. *Tomo I, Epist: Parte II.*

Ali-

Aliquot post annis, 1696. Joannes III. Orientis terror, totius Christianitatis dolore fatis decessit. In cujus locum electus Augustus II. Princeps & Elector Saxoniæ 1697, & ejusdem anni XV. Septembris per Stanislaum Dąbski Episcopum Vladislaviensem coronatus est. Załuski ut pacatam & remotiorem à curis publicis haberet Diæcesim, præcipuè ut suas lucubrationes concluderet, consentiente Augusto, Roma probante Plocensem Episcopatum cessit Fratri suo Ludovico Suffraganeo Premisliensi, Varmiensi Sede post fata Zbąscii contentus. Sed feriari diu non permissus; post obitum Georgii Donhoff Cancellarii Regni calamitosa Poloniæ tempora prudenti & efficaci egebant ministeriô; Dexteritas Andreæ & in rebus tractandis perspicacia nota erat universis. Eam dignitatem plurimi vovebant Chrysostomo, sed obstabat Varmiensis Episcopatus lege cum Cancellarii munere prohibitus. Cæterum Domina jurium Respublica praxi non semel usitata in suis statutis dispensavit. (a) Omnibûs itaq; probantibûs, dignitatem hanc eidem contulit Augustus. Illam amore boni publici suscepit Chrysostomus.

Ad componendam Poloniam armîs Sveticis, Saxonicis, Moschoviticis, & civilibûs ad extrema ferè redactam contribuebat suìs consiliìs; sed in Regno diviso cura & solicitudo hujus Ministri nullum effectum nacta est. Tandem laborum pro Patria, meritorum & gloriæ plenus anno 1711. mortalitatem exuit. Sepulchro suo inscribi jussit: *Hic jacet Andreas Episcopus* inferius verò apponi *ConCUL Case peccatoreM. Załuski ac pro eo orate*, in quo suæ mortis annum expressit. Verùm tanti Viri memoriam & laudes non prætermisit posteritas.

Quinque Senatorum Fratrum Dux Stemmatis Agni,
Patre Palatino Ravensi prodiit Orbi,
Delicium Regum, Legum defensor, & author,
Quæ dixit, scripsit, fecit, non carminis hæc sunt.

(a) *Volum. Leg: VI.*

X 4 Scri-

Scripsit multa & in lucem edidit, quibûs nomen suum & eruditionem Orbi claram fecit.

XXXIV.

THEODORUS POTOCKI

STanislao Szembek in Gnesnensi Metropoli successit. *Vide L. I. p. 192.*

XXXV.

CHRISTOPHORUS SZEMBEK

Tribus rosis inter binas capras pro Stemmate insignis.

FRancisci Castellani Camenecensis & Barbaræ Rupniewska Filiæ Castellani Sandecensis Filius. Stanislai Archiepiscopi Gnesnensis, Joannis Supremi Regni Cancellarii Frater. Variis Scientiis cultam indolem ubi sacris applicuit, Cracoviensis Canonicus, Præpositus Miechoviensis ivit ad Regni Tribunal Judex, & munus hoc omni numerô absolutum fecit. Brevi Regni Secretarius, cùm Theodorus Wolff nominatus Episcopus Chelmensis, ante ingressum suum in Diæcesim, extremum diem obiisset, illi ut succederet Christophorus, Augusto II. dignus visus est: nominationem Regiam probavit Clemens XI.

Nondum ab armis quievit Polonia, bello Svecico, Moschovitico & civili implicata; in ea Regni calamitate suæ Diæcesis & Ecclesiæ integritatem curavit. Eam in primordiis regiminis invisit, & ut ad regulas sacrorum Canonum & decreta Concilii Tridentini compositam haberet, Synodum Crasnostaviæ celebravit, quam ut ad manum haberetur, Zamostiensibûs typis impressit. Cathedralem Ecclesiam plurimis donis adornavit. Thaumaturgam in claro monte Częstochoviensi Virginem Poloniæ Reginam coronavit. *Vide L. I. p. 259.*

Joan-

Joanni Bokum in Premisliensi Sede successit, demum ad Varmiensem post ascensum Potoccii ad Gnesnensem Metropolim translatus, utramq; vitæ exemplô, laboribûs & decoribûs locupletem fecit.

Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ adhuc sub Sigismundo Augusto 1569. Gothardo Ketler jure feudi dimissus, *vide L. IV.* cujus familia decedente in Provinciam Poloniæ & M. D. L. converti debuerat, habuit Ducem Ferdinandum superstitem, sed absq; spe prolis masculæ & ætate provectum. In eo rerum statu Comes de Sax Moritz ad Curlandiam adjecit animum, & vivente Ferdinando electionem sui in Ducem procuravit. Progressus hic totam offendit Poloniam: & cùm Comes prædictus parvi penderet diploma Regium, quo ditione cedere jubebatur, Respublica per legem anni 1726. eundem perduellionis damnavit, & finibûs suis proscripsit. Et ne in jure caderet, eadem constitutione ad ordinandam Provinciam Commissarios designavit, quorum Principem, hunc Christophorum esse voluit. In obsequium Patriæ ivit Præsul cum aliis, & 1727. electione Comitis de Sax uti illegitimâ, retractatâ, ad mentem Reipublicæ Provinciam disposuit, & fidelitatem à Statibus Curlandiæ jure jurando firmatam recepit. (*b*) Tandem meritorum plenus obiit 1740.

XXXVI.

ADAMUS GRABOWSKI

De Stemmate Zagloba

Solea est erecta, frameâ permedium transfixa.

ANdreæ Castellani Culmensis & Kleystowna Filius, primam aspexit lucem 1698. die III. Septembris: eruditam ætatem litteris perdiscendo juri applicuit, in eoq; tantum profecit ut Notarius Castri Skarszeviensis esse meruerit. Verùm instabilem fluxarum rerum sortem

(*b*) *Volum. Leg. VI.*

tem advertens, ſanctiorem indicit. Canonicus Poſnanienſis, hujuſq; Diæceſis Suffraganeus & laboris Præſulei Socius à Poſnanienſi Antiſtite Hoſio factus, ivit Romam, Clementi XII. deferens Sereniſſimum Auguſtum III. Regem Poloniæ electum. Obiit interea diem ultimum Franciſcus Czapski Culmenſis Epiſcopus, ad vacantem hanc Sedem ſuum Legatum commendavit Auguſtus Clementi, facile votis tanti Regis Roma annuit, & Epiſcopatum Culmenſem Adamo detulit. Rebûs geſtis glorioſus redut in Patriam, & brevi Chriſtophoro Szembek, qui regendam Metropolim Gneſnenſem acceperat, in Vladislavienſi Epiſcopatu ſucceſſit: ſed & hanc diu moderari non permiſſus, altiores dignitates aliis reliquit, & Varmienſem Epiſcopatum poſt fata Chriſtophori Szembek probante Roma accepit. Hunc Præſulis animum ab omni ambitione alienum, ut laude, ſic ſingulari gratiâ proſecutus Benedictus XIV. Pontificale pallium Adamo tranſmiſit, ut eo inſigni pluribus emineret.

Præſul naturæ dotibus abunde cumulatus, juſtitiæ amans, quam in Tribunali Radomienſi ſupremus Judex laudabili ſtudiô ut coluit, ſic omnibus fecit amatam. Heilsbergæ Epiſcoporum Varmienſium commodo palatium reſtauravit, aliis in locis plura ædificia comptiora reddidit. Commiſſioni Gedanenſi inter Magiſtratum & plebem arbiter deſignatus, multa egit, ut domeſticas hujus urbis lites componeret; ſed mens litigantium obſtinata eluſit optimos Antiſtitis conatus. Exemplum Magni illius Hoſii, in Sede Varmienſi Prædeceſſoris imitatus, Elbingæ fixam ſedem conſtituit binis Patribus S. J. qui hac in urbe eſſent ſolatiô & obſequiô ſpirituali, gregi Catholico. Optimo pro Religione conatu, pro Patria ſtudiô, auctam ætatem poſteris ad exemplum & æmulationem relinquit.

CAPUT

CAPUT TERTIUM
DE EPISCOPATU LUCEORIENSI

DE initiis hujus Cathedræ, quando & à quo ſit fundata? diverſus eſt Authorum ſenſus. Cromerus. L. IX. & cum illo Łubienski in Geographia fol: 296. aſſerit Boleslaum Pudicum, poſt quam injurias Poloniæ illatas per Jadzyges ſeu Jadzvingas, eorum ingenti clade compensâſſet, ditionemq; illorum Podlachiam, ſive Subſylvaniam occupâſſet, cùm miſeræ Jadzvingarum reliquiæ fidem Chriſti agnoviſſent Luceoriæ Sedem Epiſcopalem condidiſſe. Alii exiſtimant à Ludovico Hungariæ & Poloniæ Rege anno 1375. ut *Dlugoſſius L. X. Bielſki L. III.* anno 1376. Epiſcopatum Gregorio XI. probante erectum eſſe Vlodimiriæ in Volhynia: cujus Sedes poſtmodum 1428. Luceoriam tranſlata Lucenſis dicta eſt: quæ nomenclatio cum Lucenſi Epiſcopatu in Italia dum eſſet eadem, per Concilium Florentinum 1438. in Luceorienſem mutata nomen hoc hucuſq; conſervat. *Naramowſki L. II. Cap: XII.*

Luceoria civitas ad fluvium Styr ſita, Volhyniæ Metropolis, Sede Ritus Græci Epiſcopi (qui Exarha totius Ruſſiæ dicitur) commendata, quantæ magnitudinis & majeſtatis fuerit? ex congreſſu famoſiſſimo Principum Europeorum intra mænia urbis hujus concluſo collige. Hic ab Alexandro Vitoldo Magno Duce Lithvaniæ, Kieyſtuti Filio, Ladislai Jagellonis Fratre patrueli 1428. juxta Koiałowicz magno luxu celebratus eſſe ſcribitur. Pro tempore condicto ex diverſis partibus comparuerunt ſelectiſſimi hoſpites. Sigiſmundus Romanorum Imperator, cum Barbara Conjuge, pluri-mis Imperii Principibûs, Comitibûs, Baronibus, Alemmanicis, Pannonicis, Croaticis, Bohemicis, Auſtriacis, comitatus: adfuit Ladislaus Jagello Rex cum Conſorte Sophia Andreæ Ducis Kiovienſis Filia, Ladislai

Var-

Varmensis, & Casimiri Matre, in comitatu Lithvaniæ, Mazoviæ, Russiæ Principum, Regni Poloniæ Procerum Ducum Pomeraniæ, Legnicensis & Bregensis. Venerat à Vitoldo invitatus Dux Magnus Moscoviæ, Gener ejus, & cum eo Duces: Borislus Tversensis, Olha Rozanensis & Odoiovienfis. Præterea Ericus IX. Rex Daniæ, Ericus XIII Rex Sveciæ, Scytharum Tauricanus & Transvolgensis Reguli, exul Valachiæ Dynasta, Magistri Equitum duo Rusdorfins Prussiæ, Sigtridus Livoniæ. Paleologus autem Orientis Cæsar Legatos ad eundem Conventum miserat. Primores cum digniore familia fovit Luceoria in suis domibus: alii vicinos pagos & prædia occupârunt. Per dies quinquaginta Vitoldus eos hospites magnificentissima prodigalitate sustinuit, aluitq;. Proponebantur in dies singulos mellis cocti septingenta dolia, præter vinum diversi generis, aliosq; potus: boves centum, arietes mille quadringenti, alces, apri sylvestres, damæ ex singulis speciebus centum ad aras culinarum, luxui plusquam Regio & stomacho multiplici, quotidie immolabantur. *Koialowicz Par: II. L. II.*

Latitudo Diæcesis Luceoriensis amplissima est: continet in se Palatinatus: Volhyniæ, Bracłaviensem, Podlachiæ, Brestianensem in Lithvania (unde Luceorienses Episcopi etiam Brestenses dicuntur) Polesiam, & Russiæ partem non modicam. Ducatus minores duodecem, videlicet: Ostrogiensem, Zasłaviensem, Zbarazensem, Vilniovecensem, Dobrovicensem, Korecensem, Klevanensem, Ołycensem, Lubartoviensem, Poricensem, Kosżyrensem, Kodnensem: Ditiones Magnatum amplissimas, extenditurq; ultra octoginta leucas. *Niesiecki Tom: I,*

Præter Cathedralem Ecclesiam duas Infulatas numerat. Ołycensem à Ducibus Radziviliis in urbe sua hæreditaria cum Academia erectam, alteram Kodnensem in urbe hæreditaria Sapieharum imagine Gregoriana

riana MARIÆ de Gvadalupe celebrem ab inclyta Domo Sapiehana conditam & dotatam, ad quam & Patres S. J. beneficiô ejusdem Illustrissimæ Familiæ locati sunt. Ecclesias habet octoginta quinque supra centum; sed hunc numerum auxit præcipue in Ukraina Franciscus Kobielski: numerat præterea plures ædes sacras Religiosorum Ordinum. Cathedralis sub titulo SS. Trinitatis erecta, a pluribus restaurata, demum à Stephano Rupniewski augustius fere ex fundamentis extructa est.

Decanatus habet XIII, Archidiaconatus duos: Luceoriensem & Brestensem: Officiales & Vicarios in Spiritualibus binos: Luceoriensem & Brestensem, qui alter Janoviæ (bona suut Episcopi) judicia exercet. Tertium instituit Bracłaviensem Franciscus Kobielski ut subveniret necessitatibus Incolarum Bracłaviensium ab Officio Luceoriensi ultra quinquaginta milliaria distantium; sed hic in majoribus negotiis subest Luceoriensi.

Episcopus Luceoriensis in Senatu cum Varmiensi alternum locum habet, hicq; primus est, qui Sigillo Regni præesse potest; superiores enim illo Antistites nisi dispensante Republica ea dignitate eminere nequeunt, juxta Statutum Alexandri 1504.

Capitulum præter Prælatos: Præpositos Luceoriensem, Brestensem, Decanum, Archidiaconos Luceoriensem, Brestensem, Primicerium, Custodem, Cancellarium, sex è Nobilitate Canonicos habet: unum è medio sui in conventu pro festo SS. Trinitatis celebrari solito eligit Judicem ad Tribunal Regni. Stemma illius est effigies SS. Trinitatis.

Ipsa civitas Luceoria præter ædes sacras variorum Religiosorum habet Ecclesiam PP. Prædicatorum imagine B. Virginis celebrem, non ita pridem solenni ritu coronata. Podkameni quoq; extat eorundem Patrum cum cænobio ædes Sacra opere magnifico erecta,

ςta, in qua colitur Imago Deiparæ Virginis magno & frequenti populi concursu a Stephano Rupniewski Luceoriensi Episcopo coronis Româ missis adornata.

ORDO & VITÆ EPISCOPORUM LUCEORIENSIUM

I.

ISIDORUS

VLodimiriæ erectam Sedem Episcopalem primus regendam accepit. Regular s fuisse scribitur, sed cujusOrdinis? antiquitas siluit. Diœcesim in Decanatus, Decanat9 inParæcias divisit. Vitâ religiosâ gregem sibi commissum ad regulas morum componere studuit: & sanctitate ac doctrina eundem in omni pietate erudiit. Exuit mortalitatem 1380.

II.

RUGIANUS

REligioso Viro successit Religiosus, sed ex qua familia assumptus, notitiam sibi illa ætas reservavit. Plurium annorum Antistes egit multa, plures laboris nactus socios, plures instituit paræcias. desiit vivere anno 1400.

III.

GREGORIUS

SAcer Prædicatorum Ordo, qui plures variis in Polonia Eccclesiis Episcopos dederat, hunc Gregorium scientiis & Religiosis muniis optime probatum ad regendam Diœcesim Vlodimiriensem enutrivit: eam fecit ille cultam & in disciplina parem aliis ultra annos viginti illi præfuit, nam acta Cōsistorii huj9 1424. ejus mentionem faciunt. In Comitiis Horodli annô 1413. celebratis Unionem Magni Ducatûs Lithvaniæ, & Ladislai Jagellonis privilegium, quo incolis Lithvaniæ libertates Polonis communes concessæ sunt, subscripsit. *Legum Volum. I.*

IV.

ANDREAS I. De SPŁAWKA

De Stemmate Leliva vide p. 84.

CUm Vitoldus pro majori dignitate Vlodimiriâ Luceoriam Sedem Episcopalem transtulisset, Andreas jam Vlodimiriensis, jam Lucensis vocabatur Episcopus. Pacem Brestensem Ladislai Poloniæ & Hungariæ Regis cum Ordine Crucigerorum anno 1146. cum titulo Vlodimiriensis subscripsit. (*c*) Ne etiam Lucensis Episcopatûs denominatio in Volhynia confunderetur cum Lucensi in Italia. decreto Concilii Florentini hujus Diæcesis Præsul, Luceoriensis dici jussus est. (*d*) Ad illum solennem congressum, de quo supra p. 363. cum variarumNationumPrincipes convenirent Luceoriam, cum agmine Cleri linteatus & mitrâ Pontificiâ eminens ivit obvius Sigismundo Cæsari & Ladislao Jagelloni, & in primo Imperatoriam, in altero propriam Majestatem Polonus adoravit.

Svidrigello, qui in Ducatu Lithvaniæ Vitoldo defuncto successerat, homo crapulæ magis quàm bonæ menti deditus contra Fratrem Jagellonem arma movit, sed à Polono exercitu non una acie victus vix necem evasit Luceoriam profugus. Ad cingendam urbem duxit Ladislaus copias, & dum obsidionem urgeret; Andreas ne cum Duce temerario extremô infortuniô involveretur, Polonus suo Regi fidus ibat ad castra Polona, in illis asylum habiturus; sed à Polono milite non agnitus, supellectili & ipsis vestibûs spoliatus accedebat Ladislai tentorio. Agnovit Præsulem Joannes Olesnicki Regni Mareschalcus, & injuriam depreca-

(*c*) Volum: Leg: I. (*d*) Sapieha in Monum: Marian.

precatus est, quam optimus Antistes facile indulsit & errori suorum Polonorum adscripsit. (*) Svidrigello verò brevi etiam Lithvaniâ à Laoislao privatus, meritas temeritatis pœnas eluit. Andreas quoq; post obitum gloriose Episcopatûs regimen e vivis decessit: sed annum fatorum antiquitas prætermisit.

V.

VENCESLAUS

De Stemmate Korczak vide p. 58.

CUm ejus temporibûs Svidrigello post plures illatas Polonis ditionibus ac Magno Ducatui Lithvaniæ injurias ab omnibus derelictus abiisset, jussuq; & impensis Casimiri nepotis, Poloniæ Regis 1452. Vilnæ sepultus esset; Venceslaus ab omni metu liber Diæcesim in optimum ordinem redegit, plurimisq; virtutum relictis vestigiis, fatis cessit 1462.

VI.

JOANNES I. ŁOSOWICZ

PRomovente Virum Casimiro in Vilnensi Sede successit Nicolao. *Vide p. 173.*

VII.

MARTINUS KRZESZOWSKI

De Stemmate Gryphium.

MEruit affectus Casimiri Regis, & nisi illum immatura fata eripuissent, majoribûs dignitatibûs eminuisset in Polonia.

VIII.

STANISLAUS I. STAWSKI

De Stemmate Korczak vide p. 58.

Regi-

(c) *Dlugossius Lib: XI.*

REgimen hujus Præsulis afflixit Tartarorum in Volhyniam & Podoliam irruptio. Septem horum Barbarorum millia Borysthenem per locum Tawalsza dictum prætergressa miserè vastârunt Podoliam. Spoliis Provinciæ hujus nondum contenti barbari, totam ferè Volhyniam peragrârunt. Zbarażum (civitas est Ducum loci illius hæreditaria, à qua etiam Zbarascii dicti fuere) expugnârunt. IvanusDux, urbis Dominus flammis consumptus, duo filii & filiæ manus hostium evaserunt; sed Consors cum filio minorenni in servitutem abducta. Plura millia hominum ex Volhynia, Podolia, Russia in prædam egerunt, quibûs divenditis Tauricam suam fecerunt locupletem. (a) Hac Diæcesis calamitate suorum injurias deplorans Præsul contabuit.

IX.

JOANNES II. PUDEŁKO

LÆtiora & magis fortunata tempora Antistes hic expertus est, etiam cælo, cùm sævire deberet, arridente; annô enim 1493. mensibûs Januariô & Februariô ea cæli fuit clementia, ut non tantum frondes gemmaverint, prata floruerint, sed etiam fœtus novos aves excluserint. (b) Confirmationem Unionis Lithvaniæ cum Regno Poloniæ per Proceres Magni Ducatûs factam Vilnæ 1499. subscripsit. (c) Ipse brevi annô eodem ætatem optime peractam conclusit.

X.

ALBRACHTUS RADZIWIL

POst obitum Alberti Tabor Vilnensis Præsul. *Vide pag: 179.*

Z XI.

Vit: Præs: Tom: II.

(a) *Guagninus. Dlugossius L. XIII.* (b) *Guagninus* (c) *Volum Leg: I.*

XI.

PAULUS ALGIMUNT

CUm Joannes de Ducibus Lithvaniæ ad Episcopatum Posnaniensem promotus esset, hic Paulus in Vilnensi eidem successit. *Vide p. 180.*

XII.

GEORGIUS FALCZEWSKI

Tubis pro Stemmate insignis.

BEneficiô Pauli Antecessoris in facultatibus auctum accepit Episcopatum, quare cùm majores proventus cerneret, Cathedralem Ecclesiam Luceoriæ (quæ hactenus lignea fuit) ex cocto latere erigendam curavit. Suô exemplô ad præsentiam circa Ecclesiam ut alliceret Canonicos, pro eorum commodo struxit ædes. Torczyni quoq; (bona sunt Episcopatûs) arcem ad normam illius sæculi perfecit. Pro Synodo Petricoviensi curis suæ Diæcesis impeditus Legatum expedivit: demum in æstu laboris pro sua Ecclesia 1544. vitam libavit: Luceoriæ sepultus.

XIII.

VALERIANUS PROTASZEWICZ

AD Vilnensem Cathedram translatus est. *Vide pag: 182.*

XIV.

JOANNES III. ANDRUSZEWICZ

PRæsul nobilitate scientiis & facillima in rebus agendis dexteritate commendatus, Kioviensem primùm Sedem rexit, & juxta Nakielscium in eadem obiit. Sapieha in monumentis scribit assumptum esse ad Luceoriensem Ecclesiam: illam quamdiu moderatus esset, prætermisit.

XV.

VICTORINUS WIERZBICKI

De Stemmate Radwan.

Vexillum est tripartitum ad formam Ecclesiastici, desuper cruce insignitum.

UT fortiore vinculô connecteretur Lithvania Poloniæ, quivis Regum Domus Jagellonicæ Unionem Ducatûs hujus cum Regno renovabat & confirmabat. Sigismundus Augustus ultimus de stirpe mascula Jagellonicæ Familiæ Successor & hæres, anno 1564, Regni sui 35. cesserat jure & titulo hæreditatis quarumvis ditionum, Terras Podlachiæ, Volhyniæ Kioviæ (pró quibus inter Polonos & Lithvanos multæ lites, quandoq; bella annis superioribus intercedebant) Regno asseruit in Comitiis Lublinensibus 1569. eodemq; anno Unionem MDL. ratam habuit, & ordinem dignitatum communem utriq; genti disposuit & sanxit: quam ejus confirmationem Præsules, & hic Wierzbicki Luceoriensis, Palatini, Castellani, ex statu Equestri Legati subscripserunt. *Volum Leg: II.*

Ex Sede Mednicensi seu Samogitiæ circa annum 1566. juxta Niesieccium ad Luceoriensem translatus est, quanquam Sapieha in Monumentis Antiquitatis ex Luceoriensi in Mednicensem translatum esse scribit. Pro Synodo Petricoviensi cui Lippomanus Nuncius Pontificius præerat 1577. Legatum suum Victorinus expedivit. Obiit in optima senectute 1588.

XVI.

BERNARDUS MACIEIOWSKI

CUm ad Vilnensem Episcopatum à Lithvanis non admitteretur, in Cracoviensi Radziwilio successit, quam Sedem simul cum Gnesnensi rexit, *Vide Lib: I. pag: 141.*

Illo Diæceſim Luceorienſem moderante accidit: In villa Wozniki (bona hæreditaria Kiſzkarum) Albertum Petrenia dictum annorum quatuor puerum Judæi furtô ablatũ pro diebus ſuæ Paſchæ crudeliter interfecerunt, corpuſq; interempti, ut ſcelus occultum eſſet, abdiderunt inter arundines ſtagni paluſtris: ſed ſangvis innocuus palam ſe ſe prodidit. Tres Judæi: Aaron, Marcus & Iſaac intercepti, Lublinum ad Tribunal deducti Iſtvano Pette de Gerſe, libero Barone in Srobkow Hungaro villæ prædictæ Domino (duxerat hic in vitæ ſociam Annam Palatini Podlachiæ Kiſzka Filiam) cauſam fortiter promovente, decretô Tribunalis illius vivi excarnificati & dilaniati. *Gvagninus.* Corpus Alberti Bernardus Lublinenſi S. J. Eccleſiæ intulit. *Vide L. I. p. 146.*

XVII.

STANISLAUS II. GOMOLINSKI

De Stemmate Jelita vide p. 84.

NIcolao Spicimirienſi Caſtellano, Myſzkowska Filia Caſtellani Vielunenſis genitus futurarum dignitatum jecit fundamenta in Epiſcoporum Seminario Cracovienſi Capitulo, illius Eccleſiæ Canonicus; brevi Plocenſis Scholaſticus. Poſt aſcenſum Goſliccii ad Cathedram Chełmenſem Camenecenſis Præſul, anno 1589. adhuc Nominatus Camenecenſis ex Comitiis Varſavienſibus ad emendandum jus Patrium deſtinatus eſt. Brevi eidem Goſliccio in Chełmenſi Sede ſucceſſit, & Craſnoſtaviæ Epiſcoporum commodo palatium erexit. Breſtæ in Lithvania Synodo, quam celebrabant Epiſcopi Ritûs Græci 1594. cum Macieiovio præfuit nomine Summi Pontificis, multumq; contribuit ad unionem cum Eccleſia Romana. Templum Sokali (urbs eſt ad fluvium Bug) imagine Deiparæ Virginis commendatum. *Vide L. IV.* Patribus Ord: Min: de Obſer-

vantia attribuit. Luceorienſis demum Antiſtes brevi tempore multa egit. Janoviæ cænobium Patribus Ord: Prædic: condidit. Præſul in Religioſas familias beneficus, Superis devotus, de Eccleſia & Patria bene meritus ætatem depoſuit 1604.

XVIII.

MARTINUS II. SZYSZKOWSKI

BAranovio in Plocenſi, Tyliccio in Cracovienſi Sede ſucceſſit. *Vide L. I. p. 346.*

XIX.

PAULUS II. WOŁOWICZ

De Stemmate Bogoria vide p. 188.

MAgnæ ſpei Præſulem vix uno anno huic Eccleſiæ permiſerunt fata: à Sapieha in Monumentis Antiqu: *Paſtoris vigilantiſſimi* encomium meruit. Obiit 1608.

XX.

PAULUS III. WOŁUCKI

IN Vladiſlavienſi Sede ſupremum diem obiit. *Vide pag: 75.*

XXI.

HENRICUS FIRLEY

UNius Anni Antiſtes Szyſzkovio in Plocenſi Sede ſucceſſit, ex qua ad Gneſnenſem Metropolim aſſumptus eſt. *Vide L. I. p. 153.*

XXII.

ANDREAS II. LIPSKI

POſt obitum Wołuccii Vladiſlavienſis Antiſtes, demum in Cracovienſi Epiſcopatu obiit. *Vide Lib: I. pag: 351.*

XXIII.

STANISLAUS III. ŁUBIENSKI

AD Plocensem Sedem post obitum Cieleccii assumptus, ejus regimini immortuus est. *Vide p. 262.*

XXIV.

ACHATIUS GROCHOWSKI

Agno pro Stemmate insignis.

ADalberti & Sophiæ Manasterska Filius, Stanislai Leopoliensis Archiepiscopi Frater. Redux ab exteris Regios & Præsulum Poloniæ meruit favores. Sigismundi III. Secretarius, Cracoviensis Canonicus, Gnesnensis Primicerius, Lanciciensis & Sandomiriensis Præpositus: his dignitatibûs, ceu gradibûs ascensum parabat ad majores, & quas semper meruit, eas gessit laudabili conatu & studio. Premisliensis primùm Episcopus, demum Luceoriensis, in utriusq; Diæcesis regimine norma & exemplum gregis eminuit. Miechoviensi Canonicorum Regularium SS: Sepulchri cænobio (cujus loci Præposituram administrabat) plurima elargitus beneficia: in Collegium Patrum S. J. quod non ita pridem Premisliæ creverat, plusquam liberalis. Templum eorundem Patrum cui munificam porrexit manum, solenni ritu consecravit. Parœcias Codnensem & Visnicensem in Præposituras evexit.

Ejus in rebus tractandis efficax dexteritas, in consiliis perspicax prudentia perspecta erat Regiæ; quare Sigismundus III. eum Romam Legatum expedivit. Ad vota Regis negotium perfecit Achatius, & ne solâ obiti muneris gloriâ insignis rediret, à Mutio Vitellesco S. J. Generale, annuente Gregorio XV. Caput D. Stanislai Kostka pro sua Patria donatum Sigismundo Cracoviam detulit: quod pius Princeps Templo SS. Petri & Pauli Apostolorum opere celeberrimo impensis suis Societati JESU condito *vide L. I. p. 337*, pompâ plusquam Regiâ intulit, dolens, quòd non integrum Stanislaum, quem Roma Tyronem fovit, & cælo maturum die Assumptæ Virgini Sacro 1568. Superis transmisit, restitueret. Hujus rei inscriptio extat in ejusdem Ecclesiæ Sacello, in quo venerandum hoc Caput cum aliis Sanctorum exuviis colitur: *Sacrum B. Stanislai Kostka S. J. Caput anno 1621. ad vota Serenissimi Sigismundi III. ab A.R.P. Mutio Vitellesco Generale S. J. per Illustrissimum Reverendissimum D. Achatium Grochowski Episcopum Luceoriensem transmissum.*

Cùm esset Premisliensis Antistes, advertit hæresim audere multa: palam distrahebantur libri, quibûs inficiebantur plurimi: monitis suis obstitit malo Præsul; sed dum potentiâ Bolestraszyccii, hominis in ea Provincia opibûs & sangvine non postremi, virus hoc serperet, diem dixit hæreticis ad Tribunal Lublinense: obtinuitq; decretum perpetuæ infamiæ in lectores, venditores librorum hæreticorum, librosq; ipsos ad rogum publicum per sententiam Judicum damnatos procuravit. *Załuski.*

Post obitum Sigismundi III, stante interregno confæderationem pro re dissidentium à fide ab aliquibus Episcopis pacis gratiâ cum ea cautione: *Salvis juribus Ecclesiæ Catholicæ* ubi subscriptam cognovit, coram Actis publicis contra progressum ejusmodi hæreticorum, & in Comitiis Brestiianensibus formâ juris Poloni protestatus est. Adfuit Varsaviæ juramento Ladislai IV. neo electi Regis super Pacta conventa, authorq; fuit potissimus (ut scribit Okolski) ut Princeps hic exercitium publicum hæreticis postmodum inhibuerit. Redux Varsaviâ, die VII. Januarii 1633. obiit, in sepulchro suæ Familiæ Premisliæ conditus.

Eodem mortis hujus Præsulis annô, in confirmationem Unionis Ecclesiæ Græcæ cum Romana, res singu-

singularis accidit: Maximus Melecius Smotrycki Schismatis Photiani acerrimus propugnator cùm videret B. Josaphatum Konczewicz Plocensem Archiepiscopum unionem Ecclesiæ Græcæ cum Romana feliciter promovere, ut obicem poneret zelo hujus Sancti Præsulis, Vitebscii tumultum excivit, in quo Josaphat à Schismaticis occisus est. Ubi furor deferbuit, Melecius perpendit facti atrocitatem, cujus ipse author fuit. Misere & miris modis excruciabat hominem sceleris & sacrilegii conscientia. Quare ut animi quietem nancisceretur, Constantinopolim, tum Hierosolimam properavit, ab illius loci Patriarchis mentis malaciam habiturus; sed nullum malo remedium, imo majorem in dies cruciatum expertus est. Rediit itaq; in Patriam, Photii dogma ejuravit, & mentis quietem nactus est. Ivit brevi Romam, ubi ab Urbano VIII. censuris absolutus pro Episcopatu Hieropolitano accepit diploma. *Niesiecki Tom III.*

Redux in Russiam Dermani (locus Ostrogio non adeo distans) in cænobio, Religiosorum ritûs Græci Institutum professus, ac brevi propter egregiam virtutem Archimandrita institutus est, (eo nomine vocantur Abbates ritûs Græci) Annus 1633. Vitæ illius erat ultimus. Supremum diem cùm sibi imminere adverteret, rogavit ut sibi mortuo, suisq; manibus illud diploma Urbani imponeretur, & cum illo sepeliretur. Post plures à morte horas nunc primùm id subsecutum est; cùmq; Breve illud Apostolicum manibus defuncti impositum esset, cadaver ita digitis compressit chartã, ut nulla vi extrahi potuerit. Hujus rei fama dum longiùs divulgata esset, ad invisendum corpus & rei veritatem explorandam excivit plures. Supervenit & Velaminus Rudzki Russiæ Archiepiscopus, & ut sibi syngrapham permitteret, Votô obedientiæ Sedi Romanæ, dum viveret, nuncupatô adstrinxit. Paruit imperio defunctus: publicè lectum diploma, & denuo manibus

nibus impositum, quod ut antea, Melecius forti compressit manu (d) Scribit. *Niesiecki loco superius citato:* Non nemo Epistolam Patriarchæ Constantinopolitani ad Smotryccium, manui defuncti admovebat, sed ab illa dexteram contraxit.

XXV.

BOGUSLAUS I. RADOSZEWSKI
De Familia Okszarum.

VIrtute prodroma, promovente Sigismundo III. Kioviensem assecutus Sedem, cùm exiguam dotem Collegii S. J. Faustinensis advertisset, ut socii laboris Præsulei haberent, quo ad opus & sudores Apostolicos alerentur, Bona Konotop dicta emit, & fundationi Collegii adjunxit. Achatio Grochowski in Episcopatu Luceoriensi successit, & Nominatus adhuc Luceoriensis confirmationem generalem Jurium Poloniæ per Ladislaum IV. comprobatam subscripsit. Diæcesim solenni ritu ingressus, disciplinæ Ecclesiasticæ custos accuratus, eam ad normam Sacrorum Canonum composuit. Gens Judaica in Volhynia, & aliis Diæcesis suæ locis patrociniô Procerum late diffusa, ne ferperet cum ingenti Christianorum injuria, serio animadvertit. Imaginem Pretiosissimæ Virginis Gvadalupensis cum plurimis Sanctorum Reliquiis Ecclesiæ Kodnensi intulit magno Dynastarum & populi concursu. Illius originem, & quo modo huic Ecclesiæ cesserit, ab Illustrissimo Joanne Friderico Comite in Koden Sapieha Castellano Trocensi, demum supremo MDL Cancellario descriptam brevî compingo calamo.

Pelagius hujus nominis II. Pontifex Romanus circa annum 581. Gregorium S. R. E. Cardinalem (qui postmodum Sedem Petri rexit, Gregorii Magni nomen

(d) *Susza Episcopus Chelmensis, Kojalowicz. Narawowski Niesiecki.*

nomen adeptus, & Sanctorum fastis adscriptus) in maximis Ecclesiæ negotiis Bizantium ad Tiberium Orientis Imperatorem Legatum ire jussit. Sanctus hic eos Cæsaris istius meruit affectus, ut cùm Constantia ejus Filia Mauritio in vitæ sociam elocata filium genuisset, non alium voluerit, nisi Gregorium, qui sacro fonte infantem ablueret. Interea Pelagius ad conficiendum legationis opus Laurentium Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum Constantinopolim misit, Gregorii operâ & consiliô usurus in difficillimis Ecclesiæ negotiis. Magno animi sensu Gregorium dimittebat Tiberius; sed cùm hic pararet abitum, in amoris sui monumentum, Statuam B. Virginis à D. Luca exaratam, Caput ejusdem S. Evangelistæ S. Andreæ Apostoli brachium, & alias insignes Sanctorum Reliquias abeunti obtulit. Redux Romam Gregorius retulit Pontifici, quæ egit pro Ecclesia Bizantii: paulo post, consumpto peste Pelagio, licet invitus successit in Sede Romana.

Sanctus hic Papa familiarius vixerat cum Divo Leandro Hispalensi in Hispania Episcopo: amico suo ut singulare amoris pignus conferret, hanc statuam Marianam eidem transmittere statuit. Ut tamen non memoriam duntaxat, sed & vestigium illius Romæ relinqueret, effigiem in tela linea ab Augustino familiæ D. Benedicti Abbate depingi curavit: quam ille adeò exquisito labore perfecit, ut ad absolutissimum artis opus nihil prorsus desiderari videretur. Probavit imaginem suo originali simillimam Divus Papa, illamq; inter limina domestici sacrarii deposuit adorandam, statuam verò ipsam Leandro Hispalensi dono misit. Accepit munus à Sancto Pontifice Beatus Præsul, ac in Principe Urbis Ecclesia omnibus colendum proposuit. Magna devotione & frequenti confluentis undiq; populi concursu colebatur Deipara in sua effigie, sed Saracenis Hispaniam vastantibus ne in prædam & contemptum abiisset, primùm Toletum, mox ad amnem Gvadalupe dictum translata, marmoreæ cistæ inclusa humi abscondita est.

Aliquot sæculis sacrum hoc depositum tegebat terra: tandem circa annum 1313. Alphonso XI. Hispaniæ imperante, statua hæc indiciô bubulci reperta, in erecta tumultuario opere ædicula collocata est. Brevi fama repertæ Iconis Marianæ, quæ solâ memoriâ à nonnullis colebatur ad aulam Regiam pervenit. Lætus eo nunciô Alphonsus ad locum accurrit, MARIAM in sua effigie prociduus adorat: illiusq; patrocinio se, Domum Regiam, Regnumq; integrum consignat, & pro æde augusta cælorum Reginæ erigenda operarios convocat, urbem, quæ Ecclesiàm ambiat, exstruit, & ab amne præterfluente Gvadalupa nominat: unde nomen statua Mariana sortita est. Hæc de originali effigie.

Transpicta imago eandem nomenclationem nacta fuit, & in magno cultu ab omnibus habebatur Romæ, licet solis Oratorii Pontificii parietibûs comprehenderetur. Temporibûs Urbani VIII. venerat Romam devotionis & curandæ valetudinis causâ Nicolaus Sapieha Vexillifer M. D. Lithvaniæ. Hic, cùm præter aliorum Principum, favores ipsius Pontificis experiretur, sæpius in prædicto Oratorio ante aram Deiparæ devotioni vacabat, desiderioq; potiundæ Iconis ardebat; sed modus habendæ deerat. Noverat optimè omni cura hoc sacrum servari pignus; cæterum corruptô nummis custode Papalis sacrarii, imagine cùm plurimis Divorum exuviis potitus, urbe ocyus excessit.

Spolium Oratorii non tam citò patuit: sed ubi apertum est, missi, qui omnes scrutarentur Ecclesias, instituta urbis lustratio, anguli omnes excussi, abdita quæquæ penetrata, & ubi in nullo loco repertum est, sacrarii custos omni studiô quæsitus & deprehensus fatetur omnia: se aurô corruptum, Iconem cum aliis sacris opibus Sapiehæ tradidisse asserit: propria oris confessione convictus, ad rogum vivus damnatus avaritiæ & sacri-

sacrilegii pœnas eluit. Expediti statim emissarii, qui sacrorum raptorem insequerentur; sed omnes elusit celeritas properantis Sapiehæ.

Pervenit Varsaviam Nicolaus Romanô spoliô lætus & dives. Et ecce ex imperio Urbani, mandatô absq; provocatione citatur ad Tribunal Apostolicum. Comparuit, & factum ingenue fassus est. Se id fecisse dixit devotionis causâ & domus suæ asyli, quod sperabat semper in hac effigie: cæterum audiit sententiam quatuor punctis comprehensam. I. Rerum omnium ablatarum restitutio integra intra tempus determinabatur, ac sub pœnis & censuris Ecclesiasticis injungebatur. II. Carcer publicus, seu more Polonico sessio turris in castro aliquo eligenda, & per annum integrum implenda. III. Manus ultima & perfecta Ecclesiæ lateritiæ imponenda, quam à se inchoatam asserebat. IV. Iter pedestre ad limina Apostolorum, ibiq; summi in orbe Antistitis venerabunda deprecatio peragenda. Tres postremas decreti Apostolici conditiones libenter accepit Sapieha: prima cum maximo animi dolore gravis & molesta visa est; sed & hanc leniendam ab ipso supremo Pontifice non desperabat.

Sublato è vivis Sigismundo III. in solio Polono successit Patri Ladislaus: à novi Regis auspiciis fortunatiora de successu causæ suæ Nicolao formanti consilia subit in mentem, expedire in urbem Alexandrum Sapieha Nepotem cum excusatione facti sui; ut autem negotio pondus adderet, litteris Regiis institutum Romam misit. Venit ille pro suo Patruo supplex Pontifici, litteras reddidit, quibus Rex factum Nicolai suo etiam deprecabatur nomine. Nomen & Virtus Ladislai adhucRegii Principis optimè perspecta erat Urbano VIII. & adamata; interea à primo æquitatis rigore nondum defervbuit Urbani pectus; integram decreti prolati executionem exigebat Papa. Et fortè ab hoc sensu nunquam destitisset hic Pontifex, nisi, quod rationes

tiones precibus junctæ impetrare non poterant, efficacior mora & circumstantiæ effecissent.

Imminebat generalis totius Regni conventus. Rex jam Varsaviam pervenerat: comparuit in tempore Nicolaus Nuncius ad Comitia ex Palatinatu Minscensi electus. Gemina Materia potissimus fuit deliberationum scopus. I. Ut definitæ in subsidium belli impensæ in tempore per Palatinatus comportarentur. II. Ut communi omnium Ordinum assensu permitteretur Regi matrimonium cum Principe Filia Palatini Rheni diffidente à fide Catholica. Primum punctum ad componendum erat facile, cùm illud amor & necessitas Patriæ svaderet: in altero primos, & ut in Polonia vocantur præliminares, congressus occupavit præceps furor hæreticorum (quorum pars magna & Senatum ea tempestate & Nunciorum numerum impleverat) contra jurisdictionem Romanæ Sedis, prærogativas Præsulum, & immunitates Ecclesiasticas pleno ore debacchantium.

Sapieha pro Domo Dei, pro juribus Antistitum, pro Patriis legibus murum se opposuit, connubii Regii fæderi cum Sponsa hæretica palam obstitit, & in evidenti religionis periculò prudentissimè usus jure vetandi, Comitiorum illorum cursum in ipsis primordiis præclusit. Præsules. & quotquot de Ordine Ecclesiastico erant, sæculares etiam Catholici certatim accurrêre grati Religionis vindici. Honoratus Vicecomes Nuncius Apostolicus Nicolaô, nomine Pontificis prolixas egit gratias, fecitq; non vanam spem causæ illius optime eventu concludendæ.

Fremebant hæretici res suas impeditas. Rex ipse Ladislaus doluit solutum conventum, quod belli imminentis prosequendi præscinderetur nervus: (huic necessitati sequentia occurrerunt Comitia) Nicolai tamen dexteritas sinistram de se mentem à Ladislao amovit; cum se obligationi tuendæ Religionis, & legum autho-

authoritati, tanquam gemino fulcro innixum, solita avertendis imminentibus malis adhibuisse media demonstravit.

Vicecomes ArchiPræsul Larissenus Urbani VIII Nuncius in Polonia pro vindicata Ecclesiæ authoritate ut gratior fieret Sapiehæ, plenam obsequii a Nicolao Religioni præstiti cum non postremis ejusdem laudibus ad Pontificem dedit epistolam: dignum favore Romano dicebat illum, qui delictum suum amplissimò compensâsset meritô. Et feliciter pro Sapieha ad Urbanum scripsit Vicecomes. Litteris ejusmodi permotus Pontifex omnem reatûs veniam indulsit Nicolao: subtractas è sacrario Romano cum imagine Gregoriana Gvadalupensi Sanctorum exuvias donavit, à censuris & sessione turris per editum Breve liberum fecit; relictâ tantùm Ecclesiæ de cocto latere perficiendæ, & visitationis liminum Apostolicorum non tamen ad pedestre iter restrictæ obligatione. Præterea pro majori benevolentiæ documento obtulit ei per manus sui Nuncii tibiam&fragmentaCapitis S. CaspritiiMartyris. Nepotem verò illius Alexandrum, qui causæ in Curia Romana invigilabat, Sacris Ordinibus initiari jussit, & actum ejus primam litantis hostiam præsens adornavit. Obiit hic Alexander in Vilnensi Episcopatu.

Honoratus Vicecomes favores Urbani detulit Nicolao, dona & diploma Apostolicum in manus reddidit. Prolixas egit gratias Nuncio Sapieha, & promissionem de invisendis Apostolorum liminibus præcepto Supremæ Sedis restrictam differendam minime ratus itineri se accinxit, priùs tamen intentiones suas Ladislao Regi aperuit. Rex obligationis conscius ad augendam authoritatem, munere Legati sui ornatum, felices gressus precatus, dimisit.

Non erat, quod pedem contineret, & ab itinere Romano retraheret. Itaq; Nicolaus non jam clandestinus, sed per ora Nationum decantatus Vaticani Sacrarii

rii direptor ultro ad locum delicti properavit, & cum Germaniam, Italiam admiratione, Romam stupore implevisset, nemine ex obviis salutato, recta ad Pontificis delatus penetrales, Urbani plantis advolutus, eas copiosis lachrymis perfudit. Non poterat reciprocas continere lachrymas teneritudo Patris optimi. Elevavit humi jacentem, benigne corripuit, demum supplicem vigore supremæ potestatis ab omnibus censuris absolvit, & vivæ vocis oracûlô Gregorianam, Deiparæ imaginem cum Sacris Ossibus temerè nuper ablatam donavit: geminam tamen adjecit conditionem, ut inchoatam Templi fabricam quantocyus accelerarct, & coram Loci Ordinario fidem juratam deponeret super Reliquiis Sacris nec immutatis nec substitutis, sed reapse his ex Oratorio Romano acceptis. Eo modo Imago hæc præclara cessit inclytæ Domui Sapieharum. Ad eum finem intentionibus suis & rebus perductis, Urbano & Romæ valedixit Nicolaus, & instrumentum Commissionis Romanæ in Patriam detulit.

Luceoriensem Sedem moderabatur tum Boleslaus, diploma Urbani ubi recepit, Commissione indicta Nicolaum admisit ad obstringendam juramento fidem in ea verba: *Ego Nicolaus Sapieha Comes in Koden, Vexillifer M. D. L. juro, quòd Reliquias hasce Sanctorum ex sepulchris SS. MM. in urbe ab eo, cujus protunc potestas fuerat asservandi, has ipsas & alias plurimas acceperim cum signis & nominibus eorundém idoneis ibidem ab eodem inventis & extraditis. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Crux.* Demum obsignatas suô sigillô sacras exuvias cum Imagine Deiparæ Gvadalupensi ex palatio Sapiehano Kodnensi in templum ligneum (nondum perfecta erat Ecclesia de muro solido) solenni apparatu Poloniæ & Lithvaniæ Proceribus pompam hanc adornantibus intulit anno 1636. aræq; appendit votivum anathema, se suamq; Diæcesim in mancipium MARIÆ devovens, cujus patrocinium in rebus non semel deploratis expertus, curas Pastorales cum vita deposuit 1638.

XXVI.

ANDREAS III. GEMBICKI

Fascia pro Stemmate insignis.

JOannis Subdapiferi Polnaniensis, & Catharinæ Cielecka Filius, Petri Cracoviensis, Joannis Vladislaviensis, Episcoporum Frater, utrumq; imitari, & meritis æquare studuit. Crusvicienfis Custos, Gnesnensis, Vladislaviensis, Loviciensis Canonicus. In Synodo Provinciali per Laurentium Patruum celebrata egit querelarum Judicem, & cuivis pro æquo & justo dixit sententiam. Decanus Cracoviensis à Petro Tylicki ejus Ecclesiæ Antistite, à Rege Sigismundo Tremesnensis Abbas factus Synodo Provinciali à Joanne Węzyk indictæ interfuit, & ad ejus sancita plurimū contuli suis consiliis. Brevi Episcopus Theodosiæ, & Gnesnensis Suffraganeus ivit Comes Georgii Ossolinscii Romam Legati, magnoq; in rebus tractandis Viro huic fuit adminiculo. Tandem à Radoszewscio assentiente Ladislao, Roma probante in Adjutorem Luceoriensis Episcopatus assumptus; fatis illius, relictam Diæcesim pleno jure administrandam post quam accepit, Synodum celebravit, ejusq; decisiones, ut omnibus præsto essent, typo impressit. Plures Ecclesias, inter quas Patrum S. J. Luceoriæ Wołuccii Prædecessoris liberalitate conditam consecravit. A seditioso Chmielniccio qui plebem Ukrainensem evocatis in defensionem rebellionis Moschis & Tartaris contra Poloniam armavit, (e) Diæcesi exturbatus, vicissitudinem & ærumnas Patriæ deplorans obiit Cracoviæ 1655. apud Patres de Monte Carmelo strictioris Observantiæ sepultus. Funus defuncti celebravit, & Fratri charissimo honorem sepulchri posuit Petrus Cracoviensis Episcopus.

XXVII

(e) *Vide L. IV. C. V.*

XXVII.

JOANNES IV. ZAMOYSKI

De Stemmate Jelita vide p. 84.

JOanne Castellano Chełmensi, & Anna Wisniowiecka Duce, Palatini Russiæ Filia genitus: Magni illius Joannis Zamoyski, Supremi Exercituum Ducis & Cancellarii Regni Sangvis. Adolescebat ad primos in Patria honores, illis ut viam præcluderet, Ordinem D. Dominici 1615. professus ætate ad omnem Religiosi Instituti normam composuit. Cathedris Scholastici admotus, eas ingenio & doctrina ut subtiles sic sublimes fecit. Post finitum Cracoviensis cænobii regimen ut Baccoviensi in Moldavia Sedi præesset, Roma injunxit, quo tempore Zamostiæ Ecclesiam Collegiatam sub titulo S. Thomæ Apostoli erectam consecravit. Ut regeret in Polonia religiosus Præsul, Joannes Casimirus fecit, dum post obitum Piaseccii 1649. eundem sua nominatione ad Premisliensem Ecclesiam Romanæ Sedi commendavit: Regiam promotionem probavit Roma. Spectata ejus prudentia majoribus dignitatibus fecit idoneum. Ad Luceoriensem Episcopatum promotus, dum ad illius capessendum regimen pergeret, Biłgorai 1655. obiit, Zamostiæ sepultus. Meruit laudes à Potocio: *Vir ut in subjecto populo pro dicenda concione religiosus, ita in conciliandis Procerum dissidentium animis felix, ostendit haud inutili cura ex Asceteriis sumi Præsules ac Senatores.*

XXVIII.

JOANNES V. WYDZGA

IN Gnesnensi Metropoli supremum diem obiit. *Vide Lib: I. pag: 184.*

Illo Luceoriensi Præsule, 1657. die XVI. Maji

Aa

Vit: Præs: Tom: II. P. An-

P. Andreas Bobola S. J. claro genere ortus in Polonia, vitæ Apostolicæ cursum finivit fuso gloriose pro fide Christi sangvine, indefesso viginti annorum labore, & insatiabili dilatandæ religionis ardore nomen Apostoli Pinscensis promeritus. Totam eo anno regionem Schismatici vastabant, ac sacrorum stragem, necem Sacerdotum in suis numerabant victoriis. In gentem efferam incidit Bobola, captâ prædâ læti barbari in innocentem irruunt, ac minis atrocibûs perpellere conantur, ut Catholicam ejuraret fidem: minis inanibus addunt verbera, & spoliatum vestibûs alligatumq; palo flagris crudelem in modum lacerant: evellunt ungves, dentes excutiunt, cutem manibus detrahunt. Ubi tot cruciatibûs nihil se vident proficere, ad vicinum oppidum Janoviam inter duos equites & repetitos ictus pertrahunt: illic priorem crudelitatem renovant, inaudita rabie oculos exsculpunt, nares auresq; rescindunt: cùmq; tot suppliciis fidem ab invicto Dei servo eripere nequeunt, saltem svavissima JESU & MARIÆ nomina, quæ ingeminare non cessabat, avulsa lingva tentant abrumpere. Iis implorandis post acceptum in cervice & manu vulnus geminum immortuus est.

Quàm pretiosa in conspectu Domini Vita & mors P. Andreæ fuit? declararunt prodigia, quæ plurima rite litteris, pleraq; studiô & authoritate Alexandri Wyhowski, demum Stephani Rupniewski, Luceoriensium Antistitum recognita approbata, fideq; jurata testium consignata & confirmata sunt. Addit eisdem fidem corpus omnis labis expers, & hucusq; integrum: quod ornatiore tumulô compositum novis in dies miraculis celebratur. Ut Sanctorum numero adscribatur, negotium tractatur in Curia Romana, jamq; 1754. die IX. Februarii per decretum Benedicti XIV. agnitus est verus pro Fide Christi Martyr.

XXIX.

NICOLAUS PRAZMOVSKI

Suprema se meruisse probavit, cùm a Joanne Casimiro ad Gnesnensem Metropolim promotus est. *Vide Lib: I. pag: 175.*

Ejus temporibûs vixit Stephanus Czarniecki Palatinus Kioviæ Dux Campestris exercituum: Vir heroicis factis famâ major, Moschorum, Scytharum, Cosacorum terror, Svecorum fulmen, (quos ille unus per annos aliquot plures ferrô domuit, quam per annos triginta gladius Germanorum in Imperio profligavit (a)) Poloniæ felicitas, Joannis Casimiri fortuna. Patriam gestis, Daniam militari virtute, Orbem victoriarum gloriâ implevit. Ut Poloniam, Prussiam Svecus desereret, armis effecit. Parva illi suis facinoribus videbatur Lechia, extra Regnum hostem prosecutus est. Holsaciam, Jutlandiam à Svecorum jugo liberavit & Friderico III. Danorum Regi restituit. Nec mare continuit felices Herois gressus, illud ad sex supra viginti jugera protensum eques tranavit, Alsen Insulam, Sandeburgum & Nortburgum munitiones maritimas vindicavit. (b) Ab Alexandro VII. Pontifice, Leopoldo Cæsare, Fuldensi & pluribus aliis Scriptoribus laudatus, obiit Sokołoviæ (villa est Diæcesis Luceoriensis) anno ætatis suæ 66. Christi 1665. magno Poloniæ dolore.

XXX.

THOMAS LEZENSKI

Fascia pro Stemmate insignis.

Varsaviensis Canonicus, Vąchocensis Abbas Stanislao Pstrokonski in Chełmensi Sede successit ex

(a) Potocki in Centuria Virorum. Climacter: II. Lib: IV. *(b) Kochowski*

hac ad Luceorienſem 1669. translatus, indolis excelſæ & magnorum meritorum Præſul obiit immaturo ſato 1675.

XXXI.

STANISLAUS IV. DABSKI

IN Cracovienſi Epiſcopatu ſupremum diem obiit. *Vide Lib: I. p. 373.*

XXXII.

STANISLAUS V. WITWICKI

AD Poſnanienſem Cathedram translatus. *Vide pag: 159.*

XXXIII.

BOGUSLAUS II. LESZCZYNSKI

De Stemmate Wieniawa vide p. 17.

BOguslai Pro Cancellarii Regni & Annæ Donhoffowna Filiæ Palatini Siradienſis Filius. Plocenſis Præpoſitus, Czervinenſis Abbas, Reginæ Eleonoræ Cancellarius demum 1688. Luceorienſis Præſul. Leſnæ (bona ejus hæreditaria) Eccleſiam e fundamentis ſtruxit: in Diæceſi Plocenſi illius Cathedræ Præpoſitus geminas erexit. Patribus S. Vincentii à Paulo Varſaviæ dotem contribuit: in alios Religioſos liberalis, in pauperes pluſquam munificus. Ceſſit naturæ, cùm nominatione Regia ad Plocenſem Sedem promovebatur, 1691. annô, Leſnæ ſepultus.

XXXIV.

FRANCISCUS I. PRAZMOWSKI

De Stemmate Belina

Tres ſunt ſolea circa enſem erectum terge ad ſe converſa.

ANdreæ Caſtellani Varſavienſis & Podlodowska Filius

lius: Nicolai Regni Primatis Frater, Brunsbergæ primam ætatem expolivit, inde Viennam pro diſcenda Theologia excurrit, quam ſub Avancino S. J. gloriose finivit. Ivit poſtmodum Romam, ubi ab ipſo Summo Pontifice Sacerdotiô initiatus eſt. Redux Regni Secretarius, Gneſnenſis Præpoſitus, Scholaſticus Plocenſis, Cracovienſis Canonicus, Sieciechovienſis Abbas, ad Tribunal Regni Judex, huic Polono Areopago octo vicibus ut gloriose præfuit, ſic adminiſtratæ juſtitiæ glorioſa veſtigia reliquit. Kiovienſis Præſul, demum Luceorienſis, Eccleſiam Patrum S. J. Breſtæ in Lithvania conſecravit. Obiit Janoviæ 1701. die V. Septembris.

XXXV.

ALEXANDER WYHOWSKI

De Familia Abdankorum.

EX Referendario Regni, Abbate Sieciechovienſi in Præſulem Luceorienſem 1703. conſecratus reſtaurandæ Eccleſiæ Cathedrali primam manum admovit: breviq; magnis impensis operi finem impoſuit: tum ut ſuus cultus & devotio perfecto celebraretur ordine, diſpoſuit, & curam omnem adhibuit, eoq; fine Clericos in communi viventes introduxit. (c) Janoviæ templum de cocto latere erexit. Pro Eccleſia Codnenſi Joannes Fridericus Sapieha tum Referendarius MDL. à Clemente XI. impetravit diploma, ut Eccleſiæ hujus Præpoſitus eſſet Infulatus. Vi prædictæ Bullæ Pontificiæ Præpoſituram hanc ad eam dignitatem evexit Alexander cui Eccleſiæ Conſtitutio 1717. Parochiam Huſzczanenſem in perpetuum attribuit. *Legs Vol: VI.* Corpus Venerabilis P. Andreæ Bobola S. J. pro Fide Martyris, *vide ſupra p. 386.* ad locum magis decentem tranſtulit, & ſuper vitam ac miracula ope ejus

Aa 3

(c) *Hanc eorum introductionem etiam WitwicPio tribuit Nieſiecki.*

jus patrata examen instituit. Obiit 1714. die 28. Decembris Forczyni, in Principe Basilica sepultus. Testimonio Sapiehæ *Præsul rituum Ecclesiasticorum, cærimoniarum Episcopalium exactissimus observator, prudentia, affabilitate, cæterisq; Infulatis virtutibus conspicuus.*

XXXVI.

JOACHIMUS PRZEBENDOWSKI

De Stemmate Przebendowski

Martes est ordibus erecta, primis globum cruce signatum, seu pomum Regale complexa, supremam crucis partem faucibus tenens.

JOannis Supremi Regni Thesaurarii Majoris Poloniæ Præfecti generalis, Frater patruelis, testimoniô Sapiehæ: *Piæ pii Mariani honoris propagator*, dum majoribus infulis pararetur, Familiæ suæ spem & desideria fatis antevertit. Vixit anno 1721.

XXXVII.

STEPHANUS RUPNIEWSKI

De Familia Szreniavitarum.

ADalberti & Helenæ Ozarowska Filius. Posnaniensis, Sandomiriensis, Cracoviensis Canonicus: brevi Episcopus Licopoliensis & Suffraganeus Leopoliensis Chrisostomo Gninski in Camenecensi Sede successit. Ab anno 1672. ad 1699. Podolia cum sua Diæcesi gemebat sub jugo Turcarum. *Vide Lib. IV.* Illius Ecclesiæ a barbaris decore spoliatæ, non paucæ vetustate temporis prostratæ universis triste erant spectaculum. Ea templorum vastitas & squalor excivit lachrymas Diæcesim lustranti Præsuli: refecit plures, adornavit multas, quibus idoneos Rectores dedit; exemplum Antistitis secuti alii. Et quia facultates & fundi Ecclesiarum a Turcis direpti, post restitutum Polonis Camenecum & Podoliam, à multis possidebantur, pro

illis repetendis egit Antistes, & has dotes propriis Ecclesiis applicuit. Id curavit maxime, ne Christiani religione abjecta Mahometem sequerentur (sæpe id contingit in partibus Podoliæ) neve in servitutem Turcis venderentur; ad fidem ex judaismo vel Mahometismo aut schismate conversos paterno excipiebat sinu & liberali fovebat manu.

Sic meritum in Podolia Stephanum Augusti II. favor post fata Przebendovii ad Luceoriensem promovit Episcopatum: probavit nominationem Regiam Innocentius XIII: Accepit Præsulem Volhynia, & adornatam ingressûs solennis pompam suorum Procerum & Nobilitatis comitatu auxit. Dum optima quæquæ pro bono Diæcesis efficaci studio novus disponit Antistes, Luceoria igne correpta abiit in favillam: ædes sacras cum Principe Ecclesia flamma vorax involvit cineribus, Ad eam urbis & suæ Cathedræ ruinam indoluit Præsul, omnemq; movit solicitudinem & impensas, ut sua facies & decor rediret Ecclesiæ; magno sumptu restauravit ædem, majore adornavit, ad eamq; formam, quam hucusq; retinet, perduxit.

Corpus V. P. Andreæ Bobola S. J. à Wyhowscio Prædececessore suo Pinsci in decentem locum translatum elevavit, super miracula denuo Commissionem indixit, examen instituit usitato iis in rebus ritu, & hunc Dei Servum ad honores Sanctorum Romanæ Sedi proposuit. Joannes Fridericus Sapieha Comes in Coden apud Innocentium XIII. 1723. Imaginis Gvadalupensis coronationem impetraverat: festivitatem hanc solenni apparatu & cerimonia absolvit Stephanus. Anno quoq; 1727. miraculis claram Iconem Deiparæ Podkameni in Templo PP. Prædicatorum coronis a Benedicto XIII. missis adornavit.

Curis & oneri Pastorali nuncium mittere intendebat, & ultimos dies ut in Societate JESU transigeret, Romanæ Sedi erat supplex: repetebat postulata, sed ad

ejus intentiones Roma flecti non poterat. Interea morbô correptus, ægritudinem hanc cùm supremam adverteret, Religiosa Societatis JESU vota nuncupavit, & quibus in vita adjungi non valuit, defungens vita annumerari elegit: & ultima voluntate sua in Templo SS. Petri & Pauli ejusdem Societatis Cracoviæ sepeliri voluit. Obiit 1731. Funeri parentatum Cracoviæ dignitate Præsulea & Senatoria. Dies tertia consvetis Societatis JESU cerimoniis, tanquam Socio JESU defuncto data est.

XXXVIII.

JOANNES VI. LIPSKI

AUgusti III. favore ad Cracoviensem Sedem & Romanam Purpuram promotus est. *Vide Lib: I. pag: 378.*

XXVIX.

ANDREAS KOSTKA ZAŁUSKI

LUceoriensem cum Culmensi commutavit, demum Cracoviensis Præsul. *Vide Lib: I. p. 380.*

XL.

FRANCISCUS II. KOBIELSKI

Poraita.

EXcultam scientiîs & optimîs virtutibûs ætatem ubi sacris applicuit, in Cracoviensi Vladislaviensi Canonicorum Collegio eminuit. A Christophoro Szembek Vladislaviensi Episcopo in Suffraganeum adlectus, laboris Pastoralis socius, suo Antistiti ut consilio, sic in rebus agendis fuit adminiculo. Ad Regni Tribunal sæpius Judex Deputatus pro justitia decidit, & ex æquo majora sibi deberi probavit. Coronavit primùm probatam Viri virtutem Maria Josepha Serenissimi Augusti III. Consors Augustissima, dum mentis suæ interpretem voluit & elegit: Augustus verò III. ad Camenecenses, dein Luceorienses promovit Infulas. Utriq; Diæcesi Pastorali solicitudine & vitæ exemplo præfuit. Camenecensis Episcopatûs Clerum ut cultum Diæcesis haberet, Seminarium fundavit.

Ad comprimendos Turcas, qui ditionibus Cæsareis graves erant, ad Chotimum properabant Moschi, ut vim barbarorum dividerent facilius opprimendam: illis ut se Taurica opponeret, ultra 50000. Tartarorum expedivit. Vicinum Chotimo Camenecum ut sibi consuleret, claudi debuit; in hoc communi totius urbis metu cunctis solatium fuit Præsul, victoriamq; de Turcis prædixit. Dictorum veritatem probavit eventus: barbaris dispersis, a Moschis expugnatum Chotimum Cameneco securitatem restituit.

Luceoriensis Præsul ingressui suo Diæcesis lustrationem præmisit: oram Ukrainensem itineribûs & latrociniis quandoq; insolentis plebis infestam visendam assumpsit. Brahiloviæ PP. SS. Trinitatis de Redemptione captivorum beneficentiâ Francisci Salesii Potocki, tum Dapum Regni Incisoris fundatos collocavit, eorumq; Ecclesiam consecravit. Vinnicæ ædem Sacram PP. Societatis JESU ab annis 111. obstante insolentiâ & persæpe seditione rustica non consecratam consvetis cerimoniis Deo & SS. Tutelaribus 1740. dedicavit, ac Dominicam III. Septembris Dedicationis anniversariam instituit: in profundiorem Ukrainam metu omni periculorum excusso properavit, in qua plures Ecclesias pro populi commodo erigendas curavit.

Provincia hæc, magna pars Diæcesis Luceoriensis in suis necessitatibus recurrebat ad Officium generale Luceoriam: ingens loci distantia negotium & incommodum facessebat incolis; quare instituit Vicarium

in-

in spiritualibus, qui tamen in majoribus causis Luceoriensi subjectus esset. Luceoriæ Patres Ordinis Prædicatorum Imaginem MARIÆ Majoris ex Romano originali depictam, a Clemente VIII. benedictam, & Bernardo Macieiovio Luceoriensi tum Episcopo dono oblatam ab eodem Præsule pro decore suæ Ecclesiæ impetrarunt. Claruit illa variis gratiis & miraculis. Urbs & tota Luceoriensis Regio, ut perenni vinculo esset subdita huic cæli & terræ Reginæ, Benedicto XIV pro Regiis insignibus suæ Thaumaturgæ deferendis supplicavit, rata habuit postulata pius Pontifex: geminum diadema submisit, quo hæc Augusta in sua Imagine Luceoriensi coronaretur. Diem festum coronationis 1749 obivit Franciscus. Proceres, magna pars populi Volhyniæ solenni apparatu adornarunt.

Acerbô ferebat animô Diæcesim suam gente Judaica impletam, eam ut Christo lucrifaceret, errores sectæ demonstravit congregatis adventum Messiæ explicuit, Christumq; in Synagogis prædicavit. Et quia opus hoc Apostolicum Pontificia interrumpebant negotia; prædicatores constituit, qui gloriosum supplerent laborem. Ingravescens ætas, & senectus veneranda impar erat curis Pastoralibus, quare ut vigilem haberet Administrum, Antonium Wołowicz MDL. Secretarium 1754. Episcopatûs Coadjutorem impetravit. Lætus eo Successore, brevi in optima senectute 1755. die XVI. Januarii omnibûs Sacramentîs munitus ut sancte vixit, ita sancte obiit Janoviæ: ibidem sepulchri honorem nactus.

XLI.

ANTONIUS WOŁOWICZ

De Stemmate Bogoria vide p. 188.

Ma-

Magnorum in Lithvania Virorum (d) Eustachii Vilnensis, Pauli Luceoriensis, Episcoporum sangvis, Adami & Hedvigis Kobielska Filius natus 1711. die XXIV. Septembris. in Scholis S. J. Petricoviensibus juventutem excoluit, magnam q; sui reliquit memoriam, illarum decus maximum. Majorem ætatem juri Patrio perdiscendo consecravit, breviq; eam legum quæsivit notitiam, ut Actis Siradiensis Castri Regens præesse jussus fuerit. Palatinatus Siradiensis, Tribunal Regni intime perspexit Virum, & tacita mente decus ac columen adoravit. Parabatur jam ad profanas in Polonia dignitates, sed flexis rebus nuncium remisit, Deoq; arctius adhærere statuit. Inter Canonicos Gnesnenses adlectus leges, quas junior didicit, tueri & exequi in Tribunali design tus, cum geminis rarô exemplô uterinis Fratribus (e) hujus Judicii Vice Regii Supremis moderatoribus, integras esse curavit & fecit. Judicis æquitatem laudarunt cuncti, victor & victus probabant sententiam.

Notarius postmodum M. D. Lithvaniæ, & ejusdem Ducatûs, Supremus Secretarius cor & mentem Principum meruit. Viri prudentiam ac probitatem spectavit Serenissima Maria Josepha, Josephi I. Romanorum Imperatoris Filia, Augusti III. Consors, Regina Poloniæ, & cum suus Cancellarius Franciscus Kobielski ætate gravior viribûs deficeret, non alio ore loqui voluit, nisi Antonii. Quanti verò fecerit hunc

Secre-

(d) Ducatum Lithvaniæ adornarunt Wołowicii variorum Palatinatuum Palatini, Castellani, Samogitiæ Præfecti, totius Ducatûs Mareschalci, Pro Cancellarii, Referendarii.

(e) Bonaventura, Tursi Archidiaconus Gnesnensis, Præsidens, Casimirus Tursi Mareschalcus Tribunalis Regni 1742. Anno, eadem Matre cum Antonio Wołowiccio geniti.

Secretarium Sereniſſimus Auguſtus III. patet, dum ex multis Kobielſcio deficienti Succeſſorem 1754 elegit, & 1757. Equitem aquilæ albæ fecit. In Antiſtitem die XI. Junii Varſaviæ 1755 ab Antonio Tyſzkiewicz Samogitiæ Præſule conſecratus poſt obitum Kobielſcii pleno jure Diæceſim adiit, eamq; luſtravit vigil Paſtor. Poſt aſcenſum Hieronimi Szeptycki, Franciſcum Kobielski laboris Præſulei ſocium, & Suffraganeum Luceorienſem Roma probante inſtituit. Adorat Diæceſis Præſulem, Religioſæ Familiæ colunt Patrem & Patronum, cuncti prædicant conatus, & optima ſtudia in Patriam & Eccleſiam.

INDEX RERUM

Hîs duobûs Librîs contentarum

Nomina Epiſcoporum, quorum acta Libro I. annotata ſunt, in hoc Indice prætermittuntur.

Cæna

Rudge-

S. Sta

Wasi-

ERRATA CORRIGE

Pag: 11. verſu 25. iu lege in
Pag. 30. ver: 7. mpenſis lege impenſis.
Pag: 44. ver: 22. mnro lege muro.
Pag: 68. ver: 30. felicici lege felici.
Pag: 89. ver: 1. Sociesatis lege Societatis.
Pag: 102. ver: 11. abſcinenda lege abſcindendæ.
Pag: 114. ver: 4. ſequi lege ſeſqui.
Pag: 157. ver: 23. initiatus eſt lege initiavit.
Pag: 211. ver: 2. moneſterio lege monaſterio.
Pag: 213. ver: 6. ediſcopatu lege epiſcopatu.
Pag: 216. ver: 12. minimum lege minimam.
Pag: 223. ver: 25. notitiæ lege notitia.

Pag:

ERRATA CORRIGE

Pag. 224. ver: 17. illcebris lege illecebris
ver: 26. Clemnenti lege Clementi
Pag: 233. ver: 20. ſcrutino lege ſcrutinio.
Pag: 258. ver: 17. palam lege palmam.
Pag: 262. ver: 17. quæ lege qua.
Pag: 279. ver: 35. exemplo lege extemplo.
Pag: 350, ver: 6. ad fintes lege ad fontes
Pag: 352. ver: 7. aggredi lege egredi.
Pag: 362. ver: 1. indicit lege togam induit.

Ad M. D. G.

Hist. Polon

6, spraw